

COMPENDIUM  
MANUALE  
CONTROVERSIARUM,

HUJUS TEMPORIS

*opus* DE *fabulae*  
FIDE, ET RELIGIONE,

á R. P. MARTINO BECANO,

Societatis Jesu Theologo conscriptum,

*Cum*

EXCERPTO ANIMADVERSIONUM  
MOGUNTINENSUM

ANTI-BECANO

*Oppositorum.*

IN USUM JUVENTUTIS ACADEMICA

Denuò typis datum.



CLAUDIOPOLI,

171  
TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU.

ANNO 1756.

DUM  
**ASSERTIONES**  
EX UNIVERSA  
**THEOLOGIA**  
**SCOLASTICO-DOGMATICA,**  
**IN PALATIO AULÆ EPISCOPALIS**

*Publicè propugnaret*  
**REV. NOB. ac EXCELLENS,**  
**DOMINUS**

**ANDREAS BEKE,**  
AA. LL. & PHILOSOPHIÆ MAGISTER,  
SS. Cañonum emeritus, & SS. Theologiæ  
in 4tum Annum Auditor  
Seminarii Albensis  
**SAPIENTIÆ INCARNATÆ**  
Nuncupati Alumnus,  
PRÆSBYTER DIÆCESIS TRANSYLVANIENSIS.

PRÆSIDE  
REVERENDISSIMO  
DOMINO  
**JOANNE LUKÁCS,**  
ECCLESIAE CATHEDRALIS  
ALBENSIS  
**CANONICO THEOLOGO.**

Anno Domini M. DCC. LVIL  
Mense Junio die

S A N C T I S S I M Æ  
I N C A R N A T I V E R B I  
G E N I T R I C I  
R E G I N Æ  
C O E L O R U M  
A U G U S T I S S I M Æ  
V I R G I N I O M N I U M  
P U R I S S I M Æ  
I M M A C U L A T Æ  
M A T R I  
M A R I Æ  
D O M I N Æ  
P A T R O N Æ S U Æ  
C L E M E N T I S S I M Æ  
S E  
T H E O L O G I A M Q U E S U A M  
D. D. D.

# AUGUSTISSIMA CÆLORUM REGINA!



Post emensem sacræ Theologiæ quadriennalem cursum , jure id à me exigi grata mente recognosco , ut cuius ope , in necessitatibus gemens , solatus , solatiis , in mærore jacens , erectus , gratiis , in periculis trepidans , sæpe numerò sum confirmatus , sanctissimis ejus Aris , aliquod gratiæ mentis appendam Anathema ; Id inquam Tu A in servum pietas eximia , benignitas in clientem singularis , in filium indignum amor , BENIGNISSIMA MATER depo- sceret : Verum meam recogitans vilitatem , ac TUAM Ó VIRGO SANCTISSIMA præcelsam suspiciens dignitatem , quid aliud hominum miserrimus faciam , nisi , ut , quod possum , beneficia Tu A humili silentiō venerer , optimè gna- rus ,

rus, quod: Si mihi sint linguae centum, sint  
oraque centum, Clementiam Tuam satis lau-  
dere possim nunquam. Eo quidem in Te fe-  
ror animo CLEMENTISSIMA MATER, ut  
cum Mariophilo: (a) Cataactas caeli, & fon-  
tes abyssi libentiis in obsequium Tuum solve-  
rem, quam clauderem: Et, si FILIUS Tuus  
JESUS aliquid omisisset in exaltatione Tua,  
ego servus, ego mancipium, non quidem de  
effectu, sed saltem affectu, supplere gestirem.  
Mallem certe non habere linguam, quam ali-  
quid dicere contra DOMINAM meam; ante eli-  
gerem non habere animam, quam vellem TUAM  
extenuare gloriam. At quoniam: (b) Quid-  
quid honoris, quidquid dignitatis, quidquid  
meriti, quidquid gratiae, quidquid demum est  
gloriae, cumulatissime à CHRISTO DOMINO in  
Te profusum est; reddo pro gratiis, quod mea  
admittit tenuitas, & TUA non dedignatur sub-  
limitas: gratiarum actionem, dum vivam, ge-  
minabo, laudes linguâ humili canam, &, cum  
meum, quod offeram, non suppetat, TUUM,  
honor Tuus, prostratus consecro. Si offe-  
rentis conditionem intuearis, exile Anathema  
est, si rem attendas, singulare Munus est.  
Theologiam meam TUS ad aras appendo  
DOMINA! quam si benignè suscipere digneris,  
felicissimum mortalium non inanè gloriabor.  
Interim id à TE VIRGO SANTISSIMA expe-  
to: Juva balbutientem in annuntianda ALTIS-  
SIMI gloria linguam, accende in corde meo ar-  
den-

---

(a) Petrus Cellen. Epist. 23. lib. 6.

(b) Serry Exer. 66. n. 8. de Ass.

dentem Tui amorem, excita in DEI, Tuō-  
que servitio servorem, in obsequiis pietatem:  
Et dum TIBI debitas agere grates pro am-  
plissimis favcribus, tenuitas mea non finit,  
itā tamen TE laudem, TE colam, ut laudi-  
bus laudes, obsequiis obsequia, toto vitæ meæ  
decursu annexere non desistam. Id peto sup-  
plex! converte illos misericordiæ oculos in  
Vota mea, Pignus grati animi accipe, & im-  
primis VERBI INCARNATI, Tuique ho-  
noris Studiorum, tum me indignissimum,  
potentī Tuō patrociniō protege

## ITA VOVET

*[Clientum minimus]*

ANDREAS BEKE.

# ASSERTIONES SCHOLASTICO - DOGMATICÆ, EX UNIVERSA THEOLOGIA.



I.  
*Xistere DEUM Creaturæ probant, & Fides docet. Superflua est in eo Distinctio formalis ex natura rei, & Virtualis intrinsecæ.*  
II. *Ide. i intuitivè nequit solis naturæ viribus, sed ab intellectu elevato, inæqualiter rāmen.* III. *Ejus visione intuitiva animæ Justorum, si nihil ipsi luendum super sit, immediate post mortem fruuntur; neque Joannes XXII. Chiliastrarum commentum tenuit.* IV. *Ab æterno vult salvare omnes, etiam reprobos; Datur Prædestinatio ad gratiam, & gloriam. Illa est gratuita, hæc supponit merita prævisa, & Reprobatio demerita.* V. *Tres sunt in Deo personæ cum unica natura: Hinc filius, qui à solo Patre, & Spiritus S. qui ab utroque procedit, non est verus Deus.* VI. *Liberius Pontifex non consensit Arianismo neque Synodus Ariminensis, licet hæc graviter deliquerit, in suppressionem vocis: USIA, consentiendo.* VII. *Objectum materiale Fidei Divinæ, sunt res à Deo revelatae. Formale Authoritas ipsius. Hinc Religio Catholica, & in se, quoad alias sectas comparata, est evidenter credibilis, evidentiâ absolutâ.* VIII. *In lege naturæ, & Mosaica Fides explicata Incarnationis quoad Divinitatem, Humanitatem, Passionem, & Resurrectionem Christi, non erat necessaria necessitate mediî ad justificationem adulti peccatoris, est rāmen defactò.* IX. *Præter scripturam, quoad omnes libros in Canone Concilii Tridentini contentos, certò Divinam, dantur Traditiones Divinæ æqualis authoritatis.* X. *Publici Hæretici, Schismatici, & Excommunicati non tolerati, non pertinent ad veram Christi Ecclesiam.* XI.

Hæc

Hæc perpetuè visibilis, ac infalibilis est etiam in decidenda orthodoxia, & Heterodoxia quorumlibet textuum Dogmatis. Soli huic convenienter veræ Ecclesiæ nota. XII. Iudex infalibilis controversiarum Fidei non est scriptura, vel spiritus privatus; minus Principes sacerdotes, aut multitudo fidelium: sed corpus primorum Pastorum Ecclesiæ cum Romano Pontifice, ad quem solum pertinet convolare Concilia Generalia, itisque per se, vel alium praesidere. XIII. Sanctus Petrus accepit à Christo primatum in re Ecclesia, & Jurisdictionem in fideles omnes, in quibus Eius jure Divino succedit Episcopus Romanus. XIV. Primum luciferi peccatum fuit superbia, consistens in eo, quod perfectionis suæ naturalis consideratione elatus, appetierit summo quodam jure creaturis aliis praesesse cum Angelis Apostatis, ac reliquis damnatis sine fine torquetur vero igne corporeo. XV. Beatitudo essentialis objectiva est solus Deus. Formalis consilium in visione, & amore. XVI. Peccatum est libera, legis Divine transgressio. Mortale non est infinitum: Datur etiam ex natura sua veniale, quod per multiplicationem actuum non evadit mortale. XVII. Originale à primo animationis instanti unicuique inest, excepta B. V. MARIA, quæ ex meritis Christi præservata fuit, idque etiam ex D. Thoma sati probari potest. Notum de ruenda Immaculata Conceptione etiam usque ad effusionem, sanguinis licitum, ac laudabile est. XVIII. Parvuli in originali decedentes, Beatitudine supernaturali æternum privantur, & ex hoc lenem animi dolorem habebunt, ab ignis ratione pœna immunes erunt. Zozimus Pontifex peccatum originale non negavit. XIX. Ad redimendum genus humanum viæ condignæ satisfactionis, necessaria fuit Incarnatio. XX. Motivum ejus unicum, & totale, erat redemptio Generis humani, unde, si Adam non peccasset, Christus non venisset. XXI. Messias à Deo promissus, & à Prophetis prænuntiatus, verus Deus, & Homo, jam advenit, Isque est JESUS Christus, Filius MARIAE, sub Augusto natus, & sub Tiberio cruci affixus. XXII. Præter duas naturas inconfusas cum unica Persona, in Christo est duplex facultas volendi, neque Honorius Pontifex oppositum sensit. Communicatio idiomatum in abstracto, seu in sensu Eusebiorum non datur. XXIII. Libertas,

& impeccabilis Christi conciliari potest cum præcepto rigoroſo, indispenſabili ab extrinſeco, quod etiam de factō ei ad ſubeundā mortem impositum fuiffe, probabile eſt. XXIV. Licitum eſt, ac piū habere etiam in Templis Sacras Christi, & Sanctorum Imagines, illasque venerari, & colere; licitum pariter, & honestum eſt Santos invocare. XXV. Gratia efficax conſiſtit in entitate auxilii indifferentis, & conſenſu creaturæ condicionatē fatuō. Datur etiam merē ſufficiens, quæ nec peccatoribus obduratis, nec infidelibus de-negatur. XXVI. Homo etiam infidelis, potest ſolis naturæ viribus facere aliquod opus bonum morale, honestum, naturale. XXVII. Iuſtificatio fit per iuſtitiam intrinſecè inhærentem, quā homo interius renovatur, & fit intrinſecè iuſtus. In hac verē peccata remittuntur, & non tantum reguntur. XXVIII. Iuſti per bona opera, & gratiæ auxilio facta, merentur condigne Beatitudinem aeternam, & ejus augmentum. Licet intuitu mercedis aeternæ bonum agere. XXIX. Novæ legis Sacra menta ſunt ſeptem. Immediate instituta ſunt à Christo. Omnia perficiuntur rebus, & verbis. Cauſant gratiam ex opere operato, ſed moraliter tantum. Minister horum ordinarius eſt ſolus Homo viator ratione utens, non tamen omnis. XXX. Ad validam cujusque Sacramenti confectionem, requiritur in Ministro intentio faciendi quod instituit Christus, vel facit Ecclesia: nec ſufficit intentio ſola ponendi ritum externum; non tamen eſt necessaria in eo fides, aut Sanctitas. XXXI. Materia Baptiſmi eſt aqua naturalis elementaris, & exterior corporis ablutio. Forma: Ego te baptizo &c. Ad hujus valorem requiritur expreſa trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis invocatio. Extra Martyrium eſt in re, vel voto omnibus neceſſarius. XXXII. Sacramentum Confirmationis materia remota eſt Chrifma, eſſentialiter conſtant ex oleo, & balsamo, proxima autem: unctio in fronte per modum Crucis; Minister ex dispensatione Pontificis potest eſſe etiam ſimplex Sacerdos. XXXIII. Eucariftia conſiſtit in re permanente, ſeu ſpeciebus, corpo-re, & Sanguine Christi. Materia ejus eſt panis triticeus, & vinum de vite. Nihil interefit ad valorem, panis azymus ſit, an fermetatus: quivis tamen Minister, ritum Eccleſiae ſuę jervare tenetur. XXXIV. Christus eō anno, quō mor-

tuus est, comedit Agnum Paschalem prima die Azymorum,  
secundum legem, & morem Iudeorum, seu lunā 14<sup>ta</sup> in  
posteriore vespera, qui incipiebat dies 15<sup>us</sup> festivus; non  
verò lunā 13<sup>ta</sup>: Hinc Azymum, non autem fermentatum  
consecravit. XXXV. In Eucharistia, tota substantia panis,  
& vini, convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi, qui  
sub utriusque speciebus, & sub qualibet parte specierum  
totu: continentur. XXXVI. Sumpcio Eucharistiae sub utra-  
que specie non præcipitur Laicis lege Divina; immo usus  
Calicis justis de causis prohibetur ab Ecclesia fidelibus non Sa-  
crificantibus. Solus Sacerdos potest Eucharistiam confiscere.  
XXXVII. Pænitentia est verè, ac propriè dictum Sacramen-  
tum, à Christo institutum, diversum omnino à Baptismo,  
eū que memoriam. Materia hujus remota sunt peccata post  
Baptismum commissa, proxima verò astus pænitentis, ex qui-  
bus, & verbis absolutionis intrinsecè componitur. XXXVIII.  
Contritio concepta ex amore Dei propter se dilecti, sem-  
per justificat, etiam extra Sacramentum, in quocunque  
gradu intensionis sit, non ramen sine voro Sacramenti,  
quod continet. XXXIX. Attritio ex metu Gehennæ con-  
cepta, bona, & utilis est; ut tamen sufficiat in Sacramen-  
to Pænitentiae ad obtinendam remissionem peccati gravis,  
includere debet amorem concupiscentiae erga Deum. XL.  
Confessio Sacramentalis omnium, & singulorum peccatorum  
mortaliū, post Baptismum commissorum, instituta, ac  
præcepta est à Christo, ad eorum remissionem opinendam.  
XLI. Remissā culpā, sepè remanet debitum pænae tempo-  
ralis subeundae, pro qua potest homo satisfacere. XLII.  
Iustorum animæ, corporibus soluta, quæ nondūm Iusti-  
tiae Divinae integrè satisfecerunt, pænas Purgatorii luunt,  
ibique sufragiis Vivorum juvari posunt. XLIII. Forma  
Sacramenti Pænitentiae essentialiter ex institutione Christi  
exprimi debet modō indicativō, proindē nunquam fuit,  
aut est deprecativa. XLIV. Pænitentia habet vim remit-  
tendi omnia peccata sibi subjecta, quantumvis gravia, licet  
sæpius commissa. Merita, per subsequens peccatum mor-  
tificata, hoc remissō, reviviscunt quoad totum præmium  
essentialē. XLV. Datur in Ecclesia Thesaurus meritorum  
Christi, & satisfactionum, infinitus, ac inexhaustibilis, cu:z  
etiam junguntur satisfactiones Deiparæ, ac Sanctorum,  
atque

atque hic Thesaurus, fons est Iudgentiarum, quæ utiles  
sunt omnibus fidelibus, etiam perfectis, ac animabus in  
Purgatorio existentibus. XLVI. Ad earum valorem, pre-  
ter potestatem in concedente, requiritur justa, & ratio-  
nabilis causa, eaque Indulgencie proportionata. XLVII.  
Extrema unctio est verum Sacramentum. Materia ejus  
est oleum olivarum benedictum. Minister solus Sacerdos.  
XLVIII. Ordinatio Sacerdotis, uti & Episcopi, est vere,  
ac propriè Sacramentum. Hic jure Divino superior est  
Præsbytero quoad Dignitatem, & Potestatem ordinis, ac  
etiam Jurisdictionem. XLIX. Matrimonium baptizato-  
rum semper est Sacramentum. Materia ejus est legitimus  
contrahentium consensus; Forma vero sunt verba, ve  
alia signa consensum exprimentia, Minister autem ipsi con-  
trahentes. L. Si sit consumatum, inter fideles nullo  
casu quoad vinculum dissolvi potest vivente utroque conjuge:  
Ratum vero solvitur per solemnem professionem in  
Religione approbata.





## PRÆLUDIUM.

*De varia dispositione Adversariorum,  
& quomodo cum singulis agendum.*



P.

Gitur adversarii, sive illi Lutherani sint, sive Calvinistæ, sive alterius sectæ; non eodem modo omnes affecti, ac dispositi sunt. Nam alii in suo errore sunt pertinaces: alii zelosi: alii frigidi: alii dubii, seu fluctuantes. De singulis sic accipe.

2. Pertinaces sunt, qui quidem agnoscunt, se recedere à communi sensu Ecclesiæ, & SS. Patrum; sed tamen ex superbia, & obdurate mentis, ne videantur à veritate convicti, obstinatè persistunt in sua opinione. Hi propriè dicuntur Hæretici, teste Augustino Epist. 162. & lib. 18. de Civitat. DEI cap. 15. Sunt autem

## P R A E L U D I U M.

autem similes Pharisaïs, & rarissimè propter duritiam cordis convertuntur. De quibus dictum est Matth. 13. v. 15. *Incrastatum est cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauerunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.*

3. Zelosi sunt, qui non ex superbia, aut obstinatione, sed ex quadam ignorantia falso persuasi sunt, suam sectam veritati, & Evangelio conformem esse; ideoque tantò studiò, ac ardore eam tuentur, ut videantur parati vitam potius, quam sectam amittere. Hi similes sunt Paulo ante conversionem, qui de se ipso scribit ad Galatas cap. 1. v. 13. *Audistis, inquit, conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam DEI, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaismo supra multos Coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum Traditionum.* Hujusmodi zelosi, quia non peccant ex malitia, sed ex ignorantia, sàpè à DEO misericordiam consequuntur, ut idem Paulus de se ipso fatetur, 1. Timoth. 1. v. 13. *Misericordiam DEI consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

4. Frigidi sunt, qui neque ex superbia neque ex ignorantia, sed ex aliis causis, quas frigidè prætendunt, manent in suo errore. Et quando monentur de Catholica Fide capescenda,

P R A E L U D I U M.

senda, solent cunctari, tergiversari, & frigidas excusationes adferre. Et alii quidem prætentunt, se in ea religione, quam sequuntur, natos, & educatos esse. Alii, juramentō se obstrinxisse, quod velint in ea persistere. Alii, non audere palam profiteri fidem Catholicam propter amicos, & consanguineos, qui omnes Lutherani, aut Calvinistæ sunt. Alii, non posse se id facere, ne offendant suum Principem, qui, à Catholicis alienus est. Alii denique tametsi nihil horum aperte dicant, revera tamen ex una parte manent in hæresi propter prætensiones allatas: ex altera simulant, se propendere ad nostram religionem; ut hac ratione, vel Cæsaristis, vel alterius Principis Catholicī gratiam, & favorem aucupentur: vel ad officia, & dignitates apud Catholicos promoveantur. Vel certè, si illam jam antea obtinuerint, ne exuantur. Nec desunt, qui ex rerum eventu statuant de sua fide: nempe mansuros se in Lutherana, aut Calviniana, si Catholicī in bello succumbant, & suis fortunis spolientur: sin contra Catholicam amplexuros. Hi omnes similes sunt illis, de quibus dictum est  
*3. Reg. 18. v. 21. Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est DEUS, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Et Eccl. 3. v. 28.  
*Cor ingrediens duas vias non habebit successus.*

5. Dubii sunt, qui simplici, ac recto corde quærunt veritatem: Et quia per se non possunt eam invenire, petunt ab aliis instrui, ac juvari.

P R A E L U D I U M.

Hi similes sunt Nicodemo in Evangelio, & Eunucho in actibus Apostolorum. Nicodemus petivit instrui à Christo circa generationem, quæ fit per Baptismum. Joan. 3. v. 4. *Quomodo, inquit, potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iteratè introire, & renasci?* Similiter Eunuchus legens Isaiam Prophetam, cùm rogaretur à Philippo, an intelligeret, quæ legeret, respondit: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Quasi dicat: Non intelligo sensum Isaiæ, sed obsecro, ut mihi interpreteris, ut me juves, ut me doceas. Hujusmodi homines, si incident in viros bonos, à quibus instruantur, facile juvari solent. Quo pacto Nicodemus à Christo, & Eunuchus à Philippo instructus, & adjutus est.

6. Igitur cum his omnibus non eodem modo agendum est. Ac primò, pertinaces non facile admittendi sunt ad disputandum de fide, ac religione; quia cùm sint superbi & contumaces, non volunt resipiscere, etiamsi manifestè convincantur. Si tamen propter aliorum utilitatem cum illis agendum est, tria servari debent. *Primò:* Coërcendi sunt intra limites certæ alicujus materiæ, ne ex una in aliam, quod sine fructu fieret, subitò, cùm lubet, desiliant. *Secundò:* Restringendi ad formam dialecticam, ut vis argumenti appareat. Nec permittendum, ut sine ordine, sine methodo, sine connexione, quod ipsis familiare est,

## P R A E L U D I U M.

est, multa effutiant, more concionantium potius, quam disputantium. *Tertiò*: Palam confundendi, & objurgandi sunt: sicut Sadducæi, & Pharisei à Christo fuerunt confusi, & objurgati, Matth. 22. v. 29. *Erratis nescientes Scripturas*. Et alibi saepius. Hæc confusio dupliciter prodest. *Primò*: Per eam minuitur authoritas adversariorum. *Secundò*: Illorum Ascœlæ minori in pretio eos habent, & sensim ad nos accedunt. Debet tamen esse confusio rationabilis, quæ non fiat per convitia, & maledicta, sed per justam reprehensionem, aut apertam victoriam.

7. Zelosi, qui pertinaces non sunt, contrariò modò, id est: modestè, ac benevolè tractari debent. Nec tam rationibus, aut subtilitatibus obruendi, quam DEO per orationem commendandi sunt. Sic Stephanus orabat pro Paulo, & Monica pro Augustino; quorum hic Manichæorum errores; ille Synagogam ex præpostero zelo defendebat. Et quidem de altero scriptum est: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*. De altero verò: *Fieri non potest, ut Filius tantorum lacrymarum pereat*.

8. Frigidi propter suas prætensiones, à quibus ægrè abstrahuntur, raro ad frugem perveniunt. Cum illis serio, ac severè agendum est. Quod dupliciter fieri potest. *Primò*: Ostenendo prætensiones, & excusationes ipsorum

## P R A E L U D I U M .

esse frivolas. *Deinde*, sæpè inculcando, ut saluti suæ consulant, neque ob humanos respectus, favores, aut sæculares dignitates patientur se ab æterna, & cœlesti gloria excludi. Meminerint illius parabolæ Evangelicæ, Luc. 14. v. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis: ut venirent, quia para-ta sunt omnia. Et cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse babeo exire, & videre illam: rogo te, babe me excusatum. Et alter dixit: Fuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, babe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire. Ecce, vocantur frigidæ ad Ecclesiam, & fidem Catholicam; omnes se excusant, & quisque suam allegat prætensionem. Quo eventu? Audi. *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Dura, sed justa sententia. Cùm enim DEI vocationem negligant, meritò, ab æterna vita excluduntur.*

9. Dubii denique, seu fluctuantes, qui sincerè quærunt veritatem, fraternè, & ad captum cujusque accommodatè tractandi sunt. Et aliter docti, & ingeniosi: aliter rudes, ac idiotæ instruendi. Habemus exemplum in Christo, qui se omnibus accommodabat. Nam simplicem populum instruebat per parolas, & similitudines, quas facile capiebant. Duobus Discipulis in Emmaus euntibus Mosen, & Prophetas interpretabatur; Nicodemo baptismi vim,

ac

## P R E L U D I U M.

ac necessitatem ex analogia humanæ nativitatis explicabat; Mulieri Samaritanæ, Messiam se esse, inde persuadebat, quod ostenderet se omnia scire, quæ ipsa fecisset. *Venite, inquit, et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus.*

10. Hæc obiter de vario errantium statu, ac dispositione à me dicta sint. Et quamvis cupiam omnibus prodesse, nihilominus illis potissimum proderunt hæ lucubrations, qui simplici, ac sincera corde optant instrui, ac juvari. Hi enim facilius convertuntur, dupli de causa.  
*Primò:* Quia cum optent instrui, libenter admittunt instructionem. *Secundò:* Cùm recta intentione procedant, DEUS paratus est illis cooperari. Nam ut verissimè dictum est à Petro Apostolo. *Sicut superbis resistit, ità humilibus dat gratiam.* Duo siquidem requiruntur in hoc negotio. *Unum* est: Prædicatio Evangelii, seu instructio humana, *Docete omnes gentes.* *Alterum:* Gratia DEI, sine qua instructio non prodest: *Sine me nihil potestis facere.* Unde frustra laborant, qui putant se suâ eloquentiâ, & argumentandi subtilitate posse errantes in viam reducere. Illi, post longam instructionem, & disputandi acrimoniam, meritò usurpent illud: *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Quare? quia humana industria sine DEI adjutorio, nihil efficit, nihil proficit in hoc negotio. Itaque mutatò consiliò, dicant cum Petro Apost. *Domine!*

P R A E L U D I U M.

*in nomine tuo laxabo rete; id est: imploratō  
prius DEI auxiliō, hoc opus inchoabo Quo  
etiam spectat illud 1.Corinth. 3.v.5. Ego plan-  
tavi, Apollo rigavit, sed DEUS incrementum  
dedit. Itaque, neque qui plantat, est aliquid,  
neque qui rigat, sed qui incrementum dat,  
DEUS. Et alibi: Gratia DEI sum id, quod  
sum. Hæc autem gratia assiduè petenda est:  
non modò ab illis, qui alios instruunt in fide,  
ut efficaciter instruant; sed etiam ab iis, qui  
instruuntur, ut corda ipsorum per gratiam  
DEI emollita, & præparata admittant semen  
fidei, & efficaciter convertantur.*

A M E N.



I N.

INDEX  
CAPITUM.

---

Controversiæ Communes.

1. <i>D<small>E</small> Scriptura.</i>	<i>pagina 3</i>
2. <i>De Traditionibus.</i>	<i>31</i>
3. <i>De Ecclesia.</i>	<i>57</i>
4. <i>De Capite Ecclesiæ.</i>	<i>97</i>
5. <i>De Judice Controversiarum.</i>	<i>119</i>
6. <i>De Antichristo.</i>	<i>156</i>
7. <i>De Invocatione Sanctorum.</i>	<i>162</i>
8. <i>De Sacramentis.</i>	<i>165</i>
9. <i>De Communione sub utraque specie.</i>	<i>171</i>
10. <i>De Sacrificio Missæ.</i>	<i>178</i>
11. <i>De Purgatorio.</i>	<i>183</i>
12. <i>De vocatione Ministrorum.</i>	<i>187</i>
13. <i>De Cælibatu Ministrorum.</i>	<i>194</i>
14. <i>De peccato originali, veniali, mortali.</i>	<i>196</i>
15. <i>De libero arbitrio.</i>	<i>199</i>
16. <i>De Justificatione.</i>	<i>201</i>
17. <i>De Fide justificante.</i>	<i>206</i>
18. <i>De observatione Legis.</i>	<i>211</i>
19. <i>De merito bonorum operum.</i>	<i>215</i>
20. <i>De jejunio, &amp; abstinentia.</i>	<i>219</i>

Con-

INDEX CAPITUM.

Controversiæ Lutheranorum.

1. *De Ubiquitate.* 221
2. *De fide infantium, in Baptismo.* 227
3. *De Impanatione, ut vocant; vel an Corpus Christi sit in pane, cum pane, sub pane. Affirmant Lutherani.* 230

Controversiæ Calvinistarum.

1. *De Attributis divinis.* 233
2. *De Christo.* 238
3. *De Imagine Christi.* 245
4. *De Prædestinatione.* 247
5. *De Gratia.* 249
6. *De Authore peccati.* 252
7. *De Baptismo infantium, an sit necessarius.* 253
8. *De Exorcismo.* 255
9. *De reali Præsentia Corporis Christi in Eucharistia.* 257
10. *De Circulo Calvinistico.* 258

Controversiæ Anabaptistarum.

1. *An detur peccatum originarium? Negant cum Pelagianis.* 262
2. *An infantes baptizari possint? Negant.* 263
3. *An Magistratus Civilis apud Christianos sit licitus? Negant.* 264
4. *An Christiani possint bellum gerere? Negant.* 265
5. *An*

# INDEX CAPITUM.

5. *An possint Jurare? Negant.* 267
6. *An Polygamia sit licita? Affirmant.* 269
7. *An Matrimonium dissolvi possit propter diversitatem Religionis? Affirmant.* 270
8. *An animæ Justorum post hanc vitam extinguantur? Affirmant.* 271

## Controversiæ Politicorum.

1. *An quilibet in sua fide salvari possit?* 273
2. *An aliquando liceat negare fidem ad vietandam mortem?* 277
3. *An ex causa liceat eam dissimulare.* 278
4. *An aliquando liceat simulare alienam fidem?* 279
5. *Et speciatim an liceat cum gentilibus Idola colere?* 280
6. *An liceat cum hæreticis publicè orare?* 282
7. *An conciones illorum audire.* ibid.
8. *An Sacra menta cum illis participare.* 283
9. *An Matrimonia cum illis contrahere.* 284
10. *An eos ad sepulchrum comitari.* 285
11. *An libros eorum legere.* 286
12. *An de fide cum illis disputare.* 287
13. *An cum illis pacisci.* 289
14. *An si cum iis paciscaris, servanda sit fides.* 290
15. *An propter hæresim puniri possint.* 291
16. *An Princeps Catholicus possit eos in sua Provincia tolerare.* 295
17. *An possit Iudeos tolerare.* 298
18. *An*

# INDEX CAPITUM.

- |                                                                                      |     |
|--------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| 18. <i>An quilibet Rex in suo regno habeat</i><br><i>Primatum Ecclesiæ.</i>          | 302 |
| 19. <i>An qui juravit se mansurum in Luthe-</i><br><i>ranismo teneatur præstare.</i> | 303 |
| 20. <i>An in aliquo casu liceat mentiri.</i>                                         | 305 |
| 21. <i>An liceat uti æquivocatione.</i>                                              | 308 |
| 22. <i>An duellum exercere.</i>                                                      | 310 |



RE-



# REVERENDI PATRIS MARTINI BECANI LIBER PRIMUS.

*De Controversiis communibus.*

## P R A E F A T I O.

**N**ter communes Controversias una principalis est, ex qua reliquæ omnes dependent: nempe de Ecclesia. Nam si verum est (quod verum esse, DEO volente, demonstrabimus) nostram Ecclesiam (quæ Catholica, (a) Romana, & Pontifícia dicitur) veram esse Christi Ecclesiam, quæ in Fide errare non possit; jam Adversarii prostrati, ac debellati sunt, quod sic ostendo.

Quicunque in rebus Fidei, ac Religionis sequitur veram Christi Ecclesiam, non potest errare circa fidem, & Religionem (cum vera Christi Ecclesia sit infallibilis;)

At Catholicæ, qui defendunt Purgatorium, Sanctorum invocationem, Sacrificium Missæ, & similia dogmata, sequuntur veram Christi Ecclesiam.

Ergo circa fidem, & Religionem errare non possunt: securi igitur sunt. È contrario: Adversarii, qui deserunt veram Christi Ecclesiam, sine dubio (b) errant, & securi non sunt.

A

Hoc

*Hoc discursu sœpè utitur Augustinus, ut  
infrà suò loco videbimus. Atque hoc est brevissi-  
mum Compendium (c) reliquarum omnium Con-  
troversiarum. Singulæ tamen speciatim tractan-  
dæ sunt propter eos, qui de singulis cupiunt sibi  
satisfacere, & aliis rationem reddere. Sit ergo  
Cap. I. de Scriptura.*

### ANIMADVERSIO.

(a) **A**Tqui Calvinistæ, & Lutherani post varia nominâ assump-  
pta, etiam hoc tempore volunt Catholici dici. Ita vo-  
lunt, cùm non sint. Catholicus non est, nisi is, qui  
fidem tenet, quæ annunciatur in universo mundo, omnia tem-  
pora, loca, omnes articulos revelatos, & omnia genera hominum  
complectens, ut docet August., de un., Eccles. c. 6, &c. Talis  
autem sola est Romana, Rom. 1. & 8, & Hist. Ecclesiastica.  
Ergo vanè Calvinista vanè Lutheranus affectat Catholicus dici,  
nisi, unde malè abiit, redeat. Vide fusiū Mogunt. Animad-  
versiones. Multò minus Lutherani, & Calvinistæ simul possunt  
dici Catholici; cùm contradictriam in substantialibus articulis  
fidem profiteantur, quod ex confessionibus eorum est luce clarius;  
in schismate convenient, in articulis doctrinæ minimè. Frustra  
igitur protestantur se esse Catholicos, cùm protestatio sit eorum  
factis contraria, & magis sit factis eorum, quam verbis fidendum,  
monente Domino. Matth. 7. 15. à fructibus &c.

(b) Ita sanè est, quia una Fides, unum Baptisma &c. Ephes. 4. v. 5. finè qua in possibile est placere DÉO. ad Hebr. 11.  
v. 6. Hanc, qui oppugnat, errat. At graves errores jactant de  
Rom. Ecclesia Protestantes? en jactant, ut Mæchi de casta Su-  
fanna. Dan. 13. v. 55. & 59. quos Angelus Domini secuit medios.  
Ibid. & Daniel detexit; uti & author hic calumniatores istos  
Rom. Ecclesiæ deprehendet in progressu.

(c) Nam inventò veritatis Magistrò, & Judice legitimo, con-  
troversiae facile sopiaunt illius judicij, & istuc Spir. S. nos re-  
misit cùm edixit. Deut. 17. v. 8. 9. 10. Si difficile, & ambiguum  
apud te iudicium esse perspiceris inter sanguinem, & sanguine-  
num, causam, & causam &c. & judicium intra portas tuas vi-  
derii verba variari, surge, & ascende ad locum quem elegeris  
Dominus DEUS tuus; veniesque ad Sacerdotes Levitici generis,  
& ad judicem, qui fuerit illo tempore, querēsque ab eis, qui  
indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies, quodcumque dixe-  
rint, &c.

## C A P U T I.

*De Scriptura Sacra.*

**I**N Scriptura tria spectari possunt. 1. Canon, seu Catalogus librorum Scripturæ. 2. Versio, seu translatio. 3. Sensus tam litteralis, quam mysticus. De quibus dicendum est hoc ordine. 1. Qui libri sunt Canonici, seu divini? vel quod idem est: qui libri pertineant ad sacram Scripturam? 2. Quæ sit legitima versio Scripturæ? 3. Quis sit sensus illius litteralis, & mysticus? 4. An sensus litteralis, qui præcipuus est, sic obscurus? 5. Unde oriatur hæc obscuritas? 6. Cur Deus voluerit Scripturam esse obscuram? 7. Cum obscura sit, quis eam beat interpretari? 8. An Lutherani, & Calvinistæ habeant veram Scripturam? 9. An ex ea disputare possint de Fide, & Religione? 10. Quomodo ex ea soleant disputare?

## Q U Ä S T I O I.

*Qui libri Scripturæ sint Canonici?*

**C**anon duo significat: 1. Normam, seu regulam quam sequimur. 2. Catalogum, seu numerum aliquarum rerum. Utroque sensu libri Scripturæ dicuntur Canonici. *Priori* quidem, quia continent normam, seu regulam, quam in fide, & moribus sequi debemus. *Posteriori*, quia in Catalogum librorum divinorum relati sunt. Est ergo *Quæstio*, quinam libri veteris, ac novi Testamenti sint Canonici hoc posteriori sensu? id est: quinam relati sint in Canonem, seu Catalogum librorum Scripturæ, tanquam divini, seu à Deo inspirati?

*2. Respondeo.* In Canonem, quò utpuntur Catholicæ, (a) relati sunt hi libri veteris Testamenti: *Genesim*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, quatuor libri Regum, duo *Paralipomenon*, duo *Esdrae*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Psalterium*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Cantica*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, quatuor majores Prophetæ, duodecim minores, duo libri *Machabæorum*. *Item*, bi libri nosi

*Testamenti : quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim Epistolæ Pauli, tres Joannis, duæ Petri, una Jacobi, una Judæ, Apocalypsis Joannis*

### ANIMA DVERSIO.

(a) **D**olent hæretici, quod Becanus significatione canonis posteriori pulchre insistat, uti principali. Sed male dolent; nam qui novit, quinam libri sint divini, & à DEO inspirati habendi, eadem operâ novit, qui libri debeant ab omnibus pro norma Fidei, & morum haberi. Ecce ita amant tenebriones tenebras, ut lucem inferni doleant.

3. Hic Canon, seu Catalogus habetur in Concilio Tridentino Seff. 4. Et Patres illius Concilii acceperunt illum per Traditionem ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, ut videre est apud Bartholomæum Carranzam in Summa Conciliorum. Rursum Eugenius illum accepit à Gelasio Papa in Concilio Romano, ut patet ex 2. Torno Conciliorum in Decretis Gelasii circa finem. Iterum Gelasius ab Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana c. §. Et Augustinus à Concilio Carthaginensi tertio, quod alii quintum, alii sextum vocant. Denique Patres hujus Concilii ab Innoc. I. Epist. 3. ad Exuperium cap. 7. Vixit autem Innocentius anno Christi 402. (b) Igitur ab illo tempore primicivæ Ecclesiæ ad nos usque per continuatam Traditionem perseverat idem ille Scripturæ Canon, quem nos Catholici tenemus, & amplectimur.

### ANIMA DVERSIO.

(b) **P**ulchra demonstratio de libris, quos Catholica Ecclesia habet pro Canonicis à temporibus Apostolicis, & sana doctrina ad nos usque deducens Lectorem claro intuitu veritatis. Quid contra hanc Anti-Becani? murmurant: Quid? Demonstrationem hanc nihil Catholicis prodefesse. Cur ita quæso? 1. Quia inter Innocentium I. & Apostolos neminem nominat Becanus, qui eum Canonem sit professus. At Becano satis est ostendisse, Romanam Ecclesiam suum Canonem divinorum librorum habere ex iis temporibus, quæ ipsi Acatholici, Calviniani, & Lutherani fatentur in doctrina fuisse sana Anti-Becane tu quoque fac simile pro tuarum Ecclesiarum Canone, si tamen Canonem habent; nam haecenus caruere. 2. Ajont: aliquos etiam post Innocentium aliter sensisse de numero librorum Canonicorum. Ita est: sed vel errantes, uti ignorantes Ecclesiæ declarationem, ut Antonius, Sixtus, Senen. &c. vel malevolè negantes, ut Calviniani.

4. Ex hoc Canone multos libros Adversarii nostri expunxerunt: Lutherus puidem ex Canone veteris Testamenti: Tobiam, Judith, Esther, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos. Ex Canone novi: Epistolam ad Hebræos, Epistolam Jacobi, Epistolam Judæ, & Apocalypsin Joannis. Alii plures, alii pauciores: quisque, quos voluit, pro suo arbitratu. In quos optimè quadrat, quod de Manichæis scripsit Augustinus in lib. de bono perseverantiæ cap. 11. Scripturas, inquit, sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, immo sacrilegio, quod volunt, sumant, quod nolunt, rejiciant.

5. Objiciunt 1. Tobias, Judith, Esther, Sapientia, Ecclesiasticus, & Machabæi, non sunt in Canone Judæorum, qui exstat apud Hieronymum: Ergo debent etiam exculti à nostro Canone. Respondeo. Nec antecedens universè verum est: nec valet consequentia. Nam Esther est in Canone, qui exstat apud Hieronymum; tametsi non sit in Canone, qui exstat apud Melitonem, & Nazianzenum, quos paulò post citabimus. Deinde necesse non est: ut illi soli libri habeantur Canonici apud nos, qui tales habitu sunt apud Judæos, ut recte notat Augustinus lib. 18. de Civitate DEI cap. 36. cùm ait: Machabæorum libros non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. Et Isidorus in libro proœmiorum de libris veteris, ac novi Testamenti. Hebrai, inquit, non recipiunt libros Tobia, Judith, & Machabæorum, Ecclesia tamen eosdem inter Canonicas Scripturas enumerauit. Et ibidem: Sapientia, & Ecclesiasticus parem cum reliquis Canonicis libris tenere noscuntur authoritatem.

6. Ei ratio duplex est: Una, quia major apud nos debet esse authoritas Ecclesiæ, quam Judæorum; cùm ergo sit quæstiæ, an supradicti libri sint Canonici, necne? debemus potius adhærere Ecclesiæ, quæ agnoscit illos pro Canonicis, teste Augustino, & Isidoro; quam opinioni Judæorum, qui illos pro talibus non agnoscunt. Si Lutherani, & Calvinistæ aliter sentiunt, & putant, potius credendum esse Judæis, quam Ecclesiæ; nescio, quo fundamento tueri se possint. Altera, quia ex Ca-

none Judæorum nihil certi probari potest. Non enim constat, ut dixi, an liber Esther in eo consignatus sit, nec ne. Alii ajunt, alii negant. Deinde incertum est: quis sit author illius Canonis, & quo tempore conscriptus sit. Multi putant ab Esdra conscriptum esse tempore captivitatis Babylonicæ; at tunc nondum exstabant libri Machabæorum. Quid ergo mirum, si in illum Canonem relati non fuerint?

7. *Objiciunt 2.* Non solum Judæi, sed etiam multi Christiani, præsertim antiqui Patres, qui scripserunt ante Innocentium, & Augustinum, excluserunt supradictos libros à Canone. *Respondeo* Patres, qui scripserunt de libris Canonicis ante Innocentium, & Augustinum, sunt hi decem. *Primus*, Melito Sardensis apud Eusebium lib. 4. *Hist. Ecclesiast.* cap. 16. *Secundus*, Origenes apud eundem lib. 6. cap. 18. *Tertius*, Eusebius ipse lib. 3. cap. 25. *Quartus*, Anastasius in *Synops.* *Quintus*, Hilarius præfatione in *Psalmos*. *Sextus*, Epiphanius hæresi 8. *Septimus*, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. *Octavus*, Nazianzenus in *Carmine*, de veris, & germanis Scripturæ libris. *Nonus*, Hieronymus in *Prologo Galeato*, & in *Epist. 103. ad Paulinum*. *Decimus*, Ruffius in *expositione Symboli*. Et quidem Melito, Hilarius, Epiphanius scripserunt Canone in librorum veteris Testamenti: Eusebius novi; reliqui sex utriusque.

8. Sed neque dissentiant à nobis, neque favent Lutheranis, & Calvinistis. Utrumque perspicue demonstrabo. Ac primò non dissentire à nobis ex duplice principio ostendi potest. *Unum est*: Quamdiu quæstio aliqua Ecclesiastica in utramque partem manet dubia, ita, ut nihil adhuc certi in alteram partem ab Ecclesia definitum sit, tamdiu liberum est hanc, vel illam partem probabiliter amplecti. Quando autem in alteram legitime definita est, tunc illi parti adhaerere omnes debent. *Alterum*. Qui ante definitionem Ecclesiæ, re adhuc dubia existente, unam partem probabiliter amplectuntur, non censentur propriè dissentire ab illis, qui post definitionem Ecclesiæ alteri adhærent. Nam

*sicut*

habet hi adhaerent definitioni Ecclesiæ; sic etiam alii fecissent, si res fuisset tunc definita. Et sicut alii ante definitionem Ecclesiæ probabilem partem amplexi sunt; sic etiam hi facerent, si Ecclesia nihil definivisset. Non ergo propriè hi illis contrarii sunt.

9. At sic fit in proposito. Nam ante Innocentium primum nondum erat certò definitum ab Ecclesia, qui libri essent Canonici, qui non essent: ac proinde Melito, Origenes, Eusebius, Athanasius, Hilarius, Epiphanius, Cyrillus, Nazianzenus, Ruffinus alterutram partem probabiliter amplecti poterant. At post definitionem Ecclesiæ (quæ primum ab Innocentio facta est, & potea in variis Conciliis confirmata) Augustinus, & reliqui Patres definitioni Ecclesiæ adhaerunt. Ergo propriè non censentur dissensisse ab iis, qui ante definitionem Ecclesiæ alterutram partem probabiliter fecuti sunt.

10. Hic discursus generatim loquendo per se clarus est: indiget tamen aliqua declaratione in particuliari. Igitur ante definitionem Ecclesiæ tametsi certò apud omnes constaret, quosdam libros tam veteris, quam novi Testamenti Canonicos esse; de nonnullis tamen erat dubium, praesertim de Tobia, Judith, Esther, Sapientia, Ecclesiastico, Machabæis, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, & Judæ posteriori Petri, secunda, & tertia Joannis, Apostolypsi, libello Pastoris, Revelatione Petri, Actibus Pauli, & similibus; hoc patet ex Authoribus citatis: nam Origenes, Hilarius, Epiphanius, Cyrillus, Hieronymus, Ruffinus posuerunt librum Esther in Canone; Melito, & Nazianzenus excluserunt; Athanasius nihil certi determinavit. Rursum de Tobia, & Judith dubiè loquitur Hilarius; de Sapientia, & Ecclesiastico Epiphanius. Similiter de Epistola ad Hebræos, & de posteriori Petri, de secunda, & tertia Joannis, dubitatum est apud Origenem. Apocalypsis posita fuit in Canone ab Athanasio, Ruffino, Hieronymo, Origene; omissa à Cyrillo, & Nazianzeno; in dubium vocata ab Eusebio. Vide plura apud eundem Eusebium. lib. 3. c. 5.

11. Hæc omnis dubitatio per Innocentium Papam sublata est, qui rogatus ab Exuperio Episcopo Tolosano, quid de his dubiis libris statuendum esset, Apostolica authoritate definitivit in Canone ponendos esse, quos supra posuimus, excludendos alios. Quam definitionem secutus est Augustinus cum aliis Episcopis Africæ in Concilio Carthaginensi; Exuperius cum Episcopis Galliæ; Galesius in Concilio Romano; totus denique orbis Christianus usque ad hæc nostra tempora; soli fere Lutherani, & Calvinistæ sine causa tergiversantur, & à consensu tot Patrum, & Conciliorum ad paucos illos Patres, qui ante definitionem Innocentii scripserunt, importunè provocant. Sed frustra: nam Patres illi nullo modo ipsis patrocinantur, quod ex dictis facile paobari potest: *Primo*, quia Patres illi inter se non convenient in Canone; nec mirum: nam cum res nondum esset definita ab Ecclesia, alii hanc, alii illam partem probabiliter sequebantur; ergo non omnes saltem possunt allegari pro Lutheranis & Calvinistis, nisi Lutherani, & Calvinistæ velint discrepantes eorum sententias sequi. *Secundū*, nec Lutherani, & Calvinistæ inter se convenient in Canone; nam Calvinistæ admissiunt Epistolam ad Hebreos, Epistolam Jacobi, & Judæ, & Apocalypsin Joannis, quas rejiciunt Lutherani; ergo si qui Patres favent Calvinistis, non favent Lutheranis; & viceversa, si qui his favent, illis non favent. *Tertio*, plerique ex illis Patribus ingenuè fatentur, sibi de quibusdam libris dubium esse, an sint Canonici, nec ne? At Lutherani, & Calvinistæ non volunt esse dubium, sed certum; ergo aliunde, quam ex illis Patribus debent ostendere certitudinem, quod tamen non faciunt.

12. Concludo: Adversarios nihil praesidii pro se habere ex tota antiquitate: nullum Concilium, nullos Patres adduci posse, qui per omnia probent ipsorum Canonem; nam Patres, qui scripserunt ante Innocentium in multis ab illis discrepant, ut jam ostensum est; qui autem secuti sunt Innocentium, nostrum Canonem approbarunt,

## QUÆSTIO II.

*Quæ sit legitima versio Scripturæ? (a)*

## ANIMADVERSIO.

(a) **D**olent hæretici quæstionem his terminis proponi? malent ad suum contentiosum genium aliter institui. Sed caute ex ratione Beccanus egit; elusus Ministrorum evagations, & citò ad rem pervenit: Hebreus textus corruptus est, Græcus corruptus est, ut ostendit Instructio Theologica Battermanni, & Lucas Burgensis, et si alii aliter: quid igitur in incerto tricaretur Beccanus? faciunt id litis amantes, non candidi seculatores veritatis.

I. **N**os Catholici utimur veteri, ac vulgata versione, (b) quæ jam multis sæculis in Ecclesia viguit, & communis Christianorum consensu recepta est. Hanc repudiant nostri Adversarii, & in ejus locum, non unam, aut duas, sed propè infinitas suis auditoribus obtrudunt. Nam alia est versio Lutheri; alia Oecolampadii; alia Theodori Bibliandri; alia Castalionis; alia Junii, & Tremelii; alia Münsteri; alia Bezæ; alias aliorum: (c) quæ omnes inter se dissident, & ab ipsis Adversariis merito reprehenduntur.

## ANIMADVERSIO.

(b) **E**a latina est, de hac certum est, esse authenticam, de aliis jure dubitatur; eadem latina post Beccanum egregie asserta est in Instructione Theologica Battermanni contra Scheiblerum Tremoniensem Prædicantem anno 1649. Colonæ cusa. Eadem dicitur passim vetus, & vulgata versio, ut norunt litteratores. Quid igitur crocitat Anti-Becanus, Beccanum non aptè respondisse? quasi etiam Acatholici vulgatâ utantur. O argutulum! habent eam, fateor, Acatholici, et si rari, uti eâ se ipsi negant, nisi capendo, vellendo &c.

2. Sic enim scribit Lutherus in Commentario de novissimis verbis Davidis in præfatione: *Omnino melius esset, retinere illam hactenus receptionem, & usitatam versionem Bibliorum, quam tot novas versiones cumulari, quibus nihil proficitur, nisi, quod dissimilitudo, & discepantia lectionum memoriam lectorum turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorum, quam fuerit, dimittit.* Et in libro Prophetiarum suarum, qui

a Gregorio Waltero Hallensi Prædicante collectus est:  
Tam multæ, inquit, nostro tempore sunt versiones Biblio-  
rum, ut paulatim tam multa futura sint Biblia, quam mul-  
ti sciolii in Hebraica lingua Magistros se profitebuntur.

## ANIMADVERSIO.

(c) **I**ta est Tom. 3. Lat. Wittenbergæ editio. Si in Germanica editione aliter habetur, viderint Wittenbergenses, & Je-  
nenses, qui edidere; & doceant, quis imposturæ usus sit  
in Quinti Evangelistæ verbis corruptis? quæ et si conditionata  
sint, tamen impleta conditione æquivalent absolute enuntiationi.

3. Et Rauchlinus (alias Capnion) in Hebræas con-  
cordantias Rabbi Nathan: Multæ traditiones Bibliorum  
in lucem prodeunt, quas melius suisset non natas esse, vel  
statim interiisse. Addit Kemnitius in prima parte Exa-  
minis Concil. Trident. Sess. 4. Utile est existare certam  
aliquam versionem, qua in citationibus allegetur. Et  
Wittakerus controversia 1. quæst. 2. cap. 7. Consultè  
factura esset Ecclesia, si non cuivis pro arbitratu suo permit-  
teret omnem versionem edere. Et Robertus Stephanus ini-  
tiō Bibliorum suorum, an. 1557. Nullum vertendorum  
Bibliorum finem fieri; jam multi pridem queruntur, qui  
ex re Ecclesiæ esse existimant, certam aliquam ex tanto nu-  
mero eligere. Hæc sunt testimonia Adversariorum con-  
tra se ipsos, ex quibus concludo: ipsos suò etiam judi-  
ciò infelices esse, quod non habeant unam certam, &  
constantem versionem Bibliorum, quam sequantur.

4. Quantò feliores Catholici, qui unam certam,  
& uniformem habent, quam à majoribus confirmatam,  
& approbatam acceperunt. Et tametsi toto terrarum  
orbe diffusi sint, unà tamen loquuntur lingua, & iisdem  
Spiritū S. verbis, ac formulis assueti sunt. Hi rectè  
accommodati potest illud Gen. 11. 1. Erat autem terra  
labii unius, & sermonum eorundem. Adversariis verò  
quod sequitur: Confundamus linguam eorum, ut non  
audiat unusquisque vocem proximi sui. Et certè ita fit:  
Aliter Lutherus, aliter Münsterus, aliter alii citant eun-  
dem Scripturæ locum; alias alium non intelligit. Ca-  
tholici inter se convenient. Soleo dicere: Catholicos,  
& Adversarios repræsentare duas familias; in quarum  
altera

altera pater, & mater, filii, & filiae, servi, ancillæ, eodem loquuntur idiomate, & singuli singulos probè intelligunt; in altera tot idiomata sunt, quot capita: ubi pater gallicè, mater hispanicè, filii latinè, filiae belgicè, servi italicè, ancillæ polonicè loquuntur. Ubi nulla concordia, sed perpetuum jurgium, sc contentio est.

## ANIMADVERSIO.

(a) **A** Majoribus, seu communi Christianorum consensu, à multis sœculis receptam vulgatam translationem, approbatamque ait Beccanus; Anti-Beccanus negat; utri credamus: videantur textus à SS. PP. & DD. à plurimis sœculis editi, & è Scriptura citati: an non vulgatae convenienter: si eam aspernati sunt hæretici quidam, more suo fecerunt. Si ignorantibus eâ usi non sunt, ignoscendum est impotentia, & neutrō vere licebit argumentari, non usurpatam esse; id enim esset fallacia dicti secundum quid, ad dictum simpliciter.

## QUÆSTIO III.

*Quis sit sensus Scripturæ litteralis, & quis mysticus?*

1. Sulet distingui duplex Scripturæ sensus; unus litteralis, seu historicus; (a) alter spiritualis, seu mysticus. Litteralis est, qui proximè, & immediate significatur per ipsa verba, sive sint verba propria, sive metaphorica. Mysticus est, qui non significatur proximè per ipsa verba, sed per rem significatam ipsis verbis. Ita D. Thom. in 1. part. quæst. 1. artic. 10. ubi notat: duplē significare significationem in Scriptura sacra: unam verborum, quæ pertinet ad sensum litteralem; alteram rerum, quæ pertinet ad sensum mysticum, seu spiritualem; nam & verba significant rem aliquam secundum litteram, & res significata per verba iterum significat rem aliam secundum mysterium.

2. Utrumque sensum insinuat Apost. 1. Cor. 10. 1. 2. & seq. cùm ait: Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Nam in his, & sequentibus verbis late duplex

duplex sensus. Unus literalis : qui proximè , & immediate significatur per verba citata : nempe filios Israël , quando ex Ægypto egressi sunt , transivisse mare rubrum , ambulasse sub nube , comedisse manna in deserto , bibisse aquam de petra. Alter mysticus : qui non significatur proximè per verba citata , sed per res significatas verbis citatis ; nam per exitum filiorum Israël ex Ægypto per Mosen , significatur exitus noster ex servitute peccati per Christum ; & per mare rubrum , significatur Baptismus ; per manna Corpus Christi in Eucharistia ; per aquam , Sanguis Christi ; per petram Christus .

### ANIMADVERSIO.

a) **D**isplicet Anti-Becanis duplex iste sensus ; quamobrem verò ? quia persona dicentis obstat. Cùm Calvinus mentitur , aut blasphemat , placet ; cùm verum dicte Beccanni , displicet. O tempora ! sed ajunt : probet Beccanus consequentiam istam. Beneficia Judæis exhibita , & pœnæ interrogatae sunt typi nostri ; ergo est duplex Scripturæ sensus. Moguntini probaverunt pro mortuo , qui eis probationem transcripterat ; probaverunt autem hoc modo : unum beneficiorum Judæis præstitorum est lex lata de Agno Paschali comedendo , (*non enim fecit taliter omni nationi , & iudicia sua non manifestavit eis.* Psal. 147. v. 20.) in qua etiam sunt verba ista : *Nec os illius confingetis.* Exod. 12. 46. Ecce sensus unus litteralis ex Calepino notus. Eadem tamen verba citat Evangelista Joan. c. 19. 36. uti significantia , quòd Christi Domini per Agnum Paschalem significati crura non sint comminuenda. Ecce alter sensus mysticus. Quid jam est , ô Anti-Becane ! quod garriebas , nōnne sapuisses , si tacuisses ; à Moguntinis certe plagas non accepisses. An vero mysticus sensus , qui ad quemlibet Scripturæ locum dari sere potest , sit à Spiritu Sancto intentus , & certus , iudicium penes Ecclesiam est , cuius est judicare de vero sensu. Nullum repertiri sensum mysticum , de quo constet , quòd à Spiritu Sancto sit intentus , est figmentum hæreticorum evidenter falsum , & ab ipsis solū fallis argumentatiunculis assertum. Vide Mogunt. pag. 44. 45. Animadv.

3. Mysticus à Theologis subdividitur in Allegoricum , Anagogicum , & Moralem , seu Tropo-logicum ; sicut enim tres sunt Virtutes Theologicæ , Fides , Spes , Charitas , ita tres sensus mystici. Allegoricus respondet Fidei , Anagogicus Speci , Moralis Charitati. Nam alle-

gori-

goricus est, quando verba Scripturæ præter sensum litteralem, quem habent, significant aliquid pertinens ad Fidem, vel Ecclesiam militarem; quō pactō Abraham, qui secundūm sensum litteralem haboit duos filios, unum ex ancilla, & alterum ex libera; allegoricè significat Deum, qui habet duos populos; unum Judæorum ex Synagoga, & alterum Christianorum ex Ecclesia; hunc sub libertate gratiæ Christi, illum sub servitute legis Mosaicæ. Galat. 4. 22.

4. Anagogicus est, quando verba Scripturæ præter sensum litteralem significant aliquid pertinens ad vitam æternam, seu Ecclesiam triumphantem, quam speramus: quō pactō illud Psal. 94. 11. *Quibus juravi in ira mea, si intnoibunt in requiem meam.* Secundūm litteram intelligitur de terra promissionis in Palæstina: Anagogicè de vita æterna, ubi est vera requies: Hebræor. 4. 3.

5. Moralis est, quando verbâ Scripturæ præter sensum litteralem significant aliquid pertinens ad Instructionem mœrum, vel officia charitatis: quō pactō illud Deut. 25. 4. *Non alligabis os bovi trituranti;* secundūm litteram intelligendum est de veris bobus: at moraliter de Concionatoribus, qui non debent impediri, quō minus petant sustentationem à populo. 1. Cor. 9. c. 9.

6. Est ergo quadruplex Scripturæ sensus. Primus litteralis. Secundus allegoricus. Tertius anagogicus. Quartus moralis; qui omnes ostendi solent in voce, Hierusalem; nam illa vox litteraliter significat Urbem Palæstinæ: allegoricè, Ecclesiam militarem; anagogicè, Ecclesiam triumphantem; moraliter, animam hominis in hac vita. Omnes item notari solent in Epist. ad Galat. cap. 4. Nam litteralis est in his verbis: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera.* Allegoricus in illis: *Hæc sunt dno Testamenta.* Anagogicus in istis: *Illæ autem, quæ sursum est Hierusalem.* Moralis in his: *Quomodo tunc is, qui secundūm carnem fuerat, persequebatur eum, qui secundūm spiritum, ita, & nunc.*

7. Notatum est à viris doctis, juxta hos quatuor sensus Scripturæ, quatuor esse Doctores Ecclesiæ; Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, & singulos in singulis sensibus excelluisse: Hieronymum in litterali, Ambrosium in allegorico, Augustinum in anagogico, Gregorium in morali.

## QUÆSTIO IV.

*An sensus litteralis sit obscurus?*

1. **A**dversarii docent Scripturam, quoad sensum litteralem, qui præcipuus est, esse claram, perspicuam, & intellectu facilem. (a) Et probant ex illo Psalm. 118. 105. *Lucerna pedibus meis derbum tuum, & lumen semitis meis.*

## ANIMADVERSIO.

**H**æretici hæc dicentes sunt duplii in classe: alii totam secundum omnes suas partes Scripturam claram esse dixerunt cum antesignano Lutherio Lib. 2. de lib. arbitrio. Alii postea Catholicorum argumentis convicti cœperunt distinguere, dicentes: ad salutem necessaria omnia in Scripturis esse clara, cætera non. Contra utrosque agetur à Beccano, contra priores explicitè, contra posteriores implicitè iisdem argumentis. Lector advertat, supponens, quod tota Scriptura Sacra sit tanquam verbum DEI credenda, nulla, nulla parte excepta; quod ipsi hæretici nostri ponunt nobiscum. Procedit Beccanus in aciem.

Nos contra contendimus, sæpe obscuram esse, quod variis modis ostendi potest. *Promò: exemplò discipulorum euntium in Emmaus, qui non intelligebant Mosen & Prophetas, nisi Christus interpretaretur. Luc. 24.27.* *Secundò: exemplò Eunuchi Reginæ Æthiopum, qui rogatus a Philippo, an intelligeret Isajam Prophetam, quem legebat, respondit: Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Act. 8.13.* *Tertio: exemplò Apostolorum, qui multa eorum, quæ a Christo dicebantur, & nunc scripta sunt in Evangelio, non intelligebant. Matt. 16.11. Luca 18.34.* *Quartò: authoritate Petri, qui fateatur in Epistolis Pauli Apostoli, quædam esse difficultas intellectu. 2. Pet. 3.16;* *Quinto: contensu omnium Interpretum; nam si Scriptura esset clara, & perspicua, non*

1. Non opus esset tot Interpretibus, tot Commentariis, tot in quaestionebus, & controversiis. Sexto: inductione constat obscurissimam esse Prophetiam Ezechielis de visione quatuor animalium. Constat Prophetiam Danielis de septuaginta hebdomadibus, & de abominatione desolationis, multorum ingenia exercuisse, & adhuc exercere, de qua Christus Matt. 24. v. 15. Qui legit, intelligat. Constat totam Joannis Apocalypsin plenam esse reconditis mysteriis, & (ut loquitur D. Hieronymus in Epistola ad Paulinum) tot habere Sacra menta, quot verba. Constat in reliquo Bibliorum codice multa esse obscura, ex quibus aliqua commemorabo.

2. Obscurum est illud 1. Corinth. 3. v. 12. Si quis superaedificat superfundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Vide Augustinum in lib. de fide, & operibus cap. 15. Ubi disertè scribit: hunc locum esse unum ex iis, de quibus loquitur Petrus loco citato, cum ait: In Epistolis Pauli quædam esse difficultas intellectu.

3. Aequè obscurum est illud 1. Corinth. 15. 29. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgent? ut quid & baptizantur pro illis? Non enim facile est explicare, quid hoc loco significet Baptizari. Item, quid pro mortuis baptizari. De quo existant sex diversæ opiniones apud Bellarminum l. 1. de Purg. c. 4.

4. Similiter illud Hebr. 6. 4. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, rursum renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes fibimeti ipsi Filium DEI. Quæ verba obscurissima sunt, & ex aliis male intellectis orta est hæresis Novatianorum tempore Cypriani, qui docebant: lapsis non esse dandam poenitentiam, aut veniam.

5. Denique, ut alia sexcenta omittam, obscurum est illud Ecclesiast. 42. v. 14. *Melior est iniq[ue]itas viri, quam mulier benefaciens.* Quod objici debet curiosis mulierculis, quae putant se Scripturam intelligere, & ad citanda Scripturæ testimonia ultrò se obtrudunt.

6. Nec obstat illud, quod ab Adversariis objicitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Nam ALIUD est verbum DEI ex se clarum, ac perspicuum esse, ut primitus à legente ipsum intellegatur, quod negamus cum Davide, qui ait ibidem: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Item: *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* Item: *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me justificationes tuas.* Ubi petit gratiam à DEO, ut possit Scripturam intelligere; insinuans adeò obscuram esse, ut sine peculiari DEI illustratione intelligi non possit. Quod etiam affirmat Apost. 2. Petr. 1. 21. cùm ait: Scripturam non ab homine, sed à DEO inspiratam esse, ac proinde non humanum, sed divinum præsidio intelligentiam ipsius haberi posse. Vide plura sequenti questione.

7. ALIUD verò est verbum DEI, quando jam alicui semel ex divina inspiratione cognitum, & intellectum est, dirigere illum in suis actionibus, ne erret: sicut lumen, vel lucernam videri, est aliud: aliud dirigere illum, ne in foveam cadat, aut in lapidem impingat. Et hoc posteriore sensu ait David: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Verbum tuum non absolute, sed quatenus divina illustratione à me cognitum est. Vel, ut ipfemet ait in eodem Psalmo: *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Non dicit: *sermones tui,* sed *declaratio sermonum tuorum præbet mihi lumen,* ut videam, & consequenter securè ambulem.

### ANIMADVERSIO.

**Q**uomodo eadem argumenta implicitè tendant contra hæreticos dicentes: partem Scripturæ proponentis necessaria ad salutem, esse claram intellectui cuiuscunque, etiam invocanti DEUM, & se disponenti ad intelligendum, ostenderunt Moguntini; & patet volenti non cœcutire. Nam Eunichus adoraverat in Jersalem, & solus legebat Isaiam, de Christo pro nobis

bis passo, quod scire necessarium est ad salutem, & tamen non intelligebat. Denique *Dicitur* Messie unum in natura, trinum in Personis, fidei articulus est magnus, & in professione Trinitatis expressa esse baptizandum, necesse est credere; at ubi haec clare exprimantur, dicat Acatholicus sine Traditione, & erit Magnus Apollo. Vana itaque loquuntur, & mendacium, qui claritatem verbis ex instituto, modò latè, modò strictè, modò diversas planè res significantibus affingunt.

## QUÆSTIO V.

*Unde oriatur obscuritas Scripturæ?*

**O**ritur ex duplice capite: 1. ex rebus ipsis, quæ tractantur in Scriptura. 2. ex modo, quō tractantur. Res, quæ tractantur, sunt ferè quadruplices. *Primo*, Historiæ, ut patet in Genesi, Exodo, Numeris, Deuteronomio, Josue, libris Judicum, Regum, Paralipomenon, Esdræ, Judith, Tobiae, Esther, Job, Machabæorum; itemque in Evangelio, & Actibus Apostolorum. *Secondo*, Vaticinia, seu Prophetiæ, quæ in Psalmis, in majoribus, & minoribus Prophetis, & in Apocalypsi Joannis majori ex parte, consignatae sunt. *Tertio*, Mysteria fidei. præsertim de Trinitate, Incarnatione, Prædestinatione. Fide justificante, de præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, & de similibus. *Quarto*, præcepta, & documenta moralia de virtutibus, & vitiis; tametsi ergo, neque in his, neque in historiis sit fortasse magna obscuritas ex parte rerum; summa tamen est in prophetiis, & mysteriis fidei. Hæc enim superant hominum captum, & intelligentiam: neque percipiuntur à nobis, nisi in ænigmate juxta illud Apostoli. 1. Corin. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.*

## ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becanus oggerit. 1. PP. dicunt Sacram Scripturam esse claram. R. Tota, nego, pars, conc. 2. Nullus Becanus audet producere ex PP. vetustis testem de obscuritate Sacrae Scripturæ. R. Producit Bellarm. lib. 3. c. 1. & noluit Becanus actum agere. 3. Veteres sine Commentariis intellexerunt Scripturam. Origenes enim primus commentatus est in Scripturam. R. Utrumque falsum est. Justinus, Irenæus, Clemens Alexand.

Heraclitus, & alii ante Origenem fuere, & hi vivos magistros in Script. Sacr. intelligendis habuerunt vel Apostolos, vel eorum discipulos. 4 Ex obscuritate rerum non recte concluditur obscuritas Scripturæ. R. Lepida Objectio, quæ quod negat, affixit. Radix obscuritatis verborum est obscuritas rerum, pro quibus verba supponuntur, & quidem ex solo instituto, non natura, ut vestigium aliquod pro pede animalis.

2. Jam verò modus tractandi sèpè obscurus est propter has causas. Primo, quia in Scriptura sunt frequentes tropi, schemata, hyperbolæ, metaphoræ, allegoriæ, quibus tanquam involueris multæ veritates occultantur, quæ lectori non statim innotescunt. Auget hanc obscuritatem, quod aliquando unum, idemque vocabulum, nunc propriè, nunc figuratè usurpetur in eadem sententia, v. gr. Joan. 4. 13. Qui bibet ex hac aqua fit iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non fit in aeternum. Ubi bibere, & sitire in priori parte sententiae sumitur de corporali, in posteriori spirituali. Item 2. Cor. 5. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Ubi peccatum priori loco sumitur propriè pro peccato, posteriori figuratè pro hostia, quæ offertur pro peccato. Nam sensus est: Deum voluisse, ut Christus, qui non peccaverat, esset hostia pro peccato totius humani generis. Omitto similia Scripturæ loca, quæ passim occurunt.

3. Secundo, non solum in verbis, & dictiōnibus, sed etiam in rebus ipsis reperiuntur figuræ; nam una res sèpè est figura, seu typus alterius rei per illam significatæ. Quō pastō Agnus Paschalis fuit figura Christi: Mare rubrum, Baptismi: Manna, Eucharistie: Mons Sion, Ecclesiæ: & sic de cæteris. Hinc triplex oritur obscuritas: Prima, quia non statim constat, quæ res, & cuius rei figura sit. v. g. Non constaret Agar, ancillam Abrahæ, fuisse figuram Synagogæ, & Saram, uxorem Abrahæ, fuisse figuram Ecclesiæ, nisi Apostolus ex peculiari instinctu Spiritus Sancti id est explicasset. ad Galat. 4. 24. Secunda, quia una res aliquando est figura rerum diversarum, etiam repugnantium. Sic Jonas fuit typus Christi, Matth. 12. 40. & simul typus populi Iudeorum, quæ Christo erant contrarii; nam sicut Jonas dolebat de pœnitenti-

intentia Ninivitarum, ita Judæi postea doluerunt de vocatione gentium. Vide Augustinum Epist. 49. quæst. 6. *Tertia*, quia aliquando fit, ut res aliqua, quæ est figura alterius, repræsentet illam in uno, & omnino dissimilis sit in alio. Quō pactō fœmina fornicaria, quam Oseas Propheta Iesus est accipere in uxorem, fuit typus Synagogæ; quam quidem in eo repræsentabat, quod sicut ipsa commiserat fornicationem carnalem, ita Synagoga spiritualem, quæ in cultu Idolorum consistit, at in eo discrepabat, quod ipsa, postquam Oseae nupserat, non rediit ad carnalem fornicationem: Synagoga verò, postquam Deo fuit reconciliata, iterum in idolatriam lapsa est.

### ANIMADVERSIO.

**T**AM clare probans Propositum nondum placet Anti-Becanis. Cur verò affectu agunt, non iudicib. Volunt esse claram Scripturam, at quomodo suadent hoc? totam, si non urges; si orgeas, partem, quæ agit de Fidei, & mortui dogmate. Sed qui quæsto, probant hoc? 1. Symbolum Fidei, & Decalogus clara sunt, etiam Bellarmino confitente. R. Distinguendo: Generali, & confusâ notitiâ sunt clara; ita, ut audiens Christum esse crucifixum, mortuum, & sepultum, bene capiat, non esse Christum raptum curro igneo, uti Elias, & translatum adhuc vivere, expertem mortis. Ita concedunt Catholici: se distincta, & particulari notitia clara sunt, negant, patet: Calvinus tò descendit ad inferos, exponit: Christum in cruce inferni damnationem tolerasse cum desperatione, & ante mortem: Catholici post mortem secundum animam ad infernas terrene partes Judicem, & Vindicem descendisse. Cui jam fulget claritas: 2. ajunt, de obscuris rebus posse clare dici. R. Disting. quoad scientem res obscuras, conc. Quoad ignorantem, neg. Vel, ut ante distinctum est: clare generaliter esto, clare specialiter, falsum est. 3. dicunt: generalis illa notitiæ claritas, sive tò ὅτι sufficit, etsi specialis, sive διότι desit. R. neg. Trinitatem noverant generali notitia clare Samosateni, Ariani, Sabelliani, Macedoniani, Tritheitæ &c. quam tamen turpiter errârunt defectu notitiæ specialis, & διότι, & hodie tò ὅτι Hoc est Corpus meum, scimus clare generali notitiâ; specialis in quot Sectas non abiérunt Sacramentarii? IIII. explicationes pugnantes collegit Catholicus ex ipsorum Scriptis, & tamen omnibus illis clatum est verbum Dei.

4. Tertiò, sæpè etiam in Scriptura occurruunt apparetentes contradictiones, quæ Lectori magnam pariunt difficultatem. Ex multis unam, aut alteram recensebo: Scriptum est 1. Reg. 15. 11. *Pœnitet me, quod consti-  
tuerim Saul Regem.* Ad contra Rom. 11. 29. *Sinè pœ-  
nitentia enim sunt dona, & vocatio DEI.* Item scriptum  
est 3. Reg. 8. v. 9. *In Arca autem non erat aliud, nisi  
duæ tabulae lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb.*  
At contra Hebr. 9. v. 4. *In Arca erat urna, habens man-  
na, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabula Testamenti.*  
Et plures aliae, quas alibi recensui ex Augustino.

5. Quartò, verba Scripturæ sæpè efficiunt ambiguum sensum ex defectu distinctionis, præsertim, quando agitur de Deo, de Christo, de adventu Christi, de Ecclesia. Nam in Deo spectari potest, vel unitas essentiæ, vel Trinitas Personarum. In Christo, vel humana natura, vel divina. Adventus Christi duplex est: prior in nativitate, posterior in die judicii. Ecclesia similiter vel est militans in terra, vel triumphans in cœlo &c. Cùm ergo Scriptura de his loquitur, sæpè dubium, & obscurum est, quo sensu de illis loquatur: an scilicet de Deo, quatenus est unus in essentia, an quatenus est trinus in Personis? an de Christo, quæ Deus, an quæ homo est? an de primo ipsius adventu, an de secundo? an de Ecclesia militante? an de triumphante? De singulis dabo exemplum. De Deo Matth. 6. 9. *Pater noster, qui es in cælis.* Dubium est: an sermo sit de Deo quoad unitatem essentiæ? an quoad distinctionem Personarum? vel ut proponunt Scholastici: an nomen Patris sumatur ibi essentialiter, quatenus est commune tribus Personis? an personaliter, quatenus convenit soli Personæ primæ? De Christo Col. 2. 15. 16. 18. *Qui est imago DEI invisibilis, Primogenitus omnis creature; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ; *Primogenitus ex mortuis.* Hic etiam dubium est: an hæc intelligi debeant de Christo secundum divinitatem, an secundum humanitatem? an utroque modo? De adventu Christi. Hebr. 1. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum*

*omnes Angeli DEI.* Quod aliqui intelligunt de primo Christi adventu, qui factus est in Nativitate, alii de secundo, qui fiet in die Judicij. Si spectamus particulam iterum, videtur intelligendum de secundo. Si alias circumstantias, de primo. Videantur Interpretes de Ecclesia. Galat. 4. 26. Et Ephes. 5. 25. Et Hebr. 12. 22. similis est difficultas.

6. Quinto, ad hoc genus obscuritatis potest etiam revocari: quod, quae in Scriptura dicuntur de Christo, aliquando intelligantur de Capite Ecclesiae, quod est Christus; ut Mat. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Aliquando de Corpore, seu membris Ecclesiae, qui sunt Fideles; ut Act. 9. v. 4. *Saule! Saule! quid me persequeris?* Aliquando de utroque per Psalm. 2. v. 2. *Astiterunt Reges terrae, & Principes condederunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Quod in Capite olim impletum est, & nunc quotidie impletur in Membris.

7. Sexto, sœpè sit, ut verba Scripturæ non significent id, ad quod significandum ex communi hominum sensu, ac judicio destinata sunt, sed aliquid aliud, ad quod significandum ex speciali Dei voluntate assumuntur. Et ex hoc capite sensus illorum nobis obscurus est, quia putamus illa summi priori modo, cum tamen sumantur posteriori: v. g. Christus ait: Joan. 10. v. 30. *Ego, & Pater unum sumus.* Quæ verba, quatenus à Deo assumuntur, significant Patrem, & Filium esse unius Naturæ, & Essentiæ, salva Personarum distinctione. At ex communi hominum judicio hoc non significarent; nam ex communi hominum judicio (seclusa DEI revelatione) ubi est una tantum natura, & essentia, ibi est una tantum persona. Ac proinde, qui juxta commune hominum judicium diceret: Marcum, & Tullium esse unius Naturæ, & Essentiæ, diceret, etiam esse unam, eandemque personam. Et contra, qui diceret: esse duas personas, negaret, esse unius Naturæ, & Essentiæ.

8. Sunt & aliæ causæ obscuritatis, quas tantum insinuabo. 1. Sœpè in Scripturis, ubi minimè putamus,

Subitò fit transitus de carnalibus ad spiritualia, de temporalibus ad æterna, de persona ad personam, & è contrario. Quô pactò *Isaiæ* 7. fit transitus à duobus Regibus ad Beatam Virginem. Et *cap. 14*, à Rege Babylonis ad Luciferum. Et *Psal. 71*, à Salomone ad Christum. Et *Joan. 6*. à panibus hordeaceis ad Eucharistiam. Vide *D. Hieron. lib. 5. in Isaiam cap. 16*. Et *Riberam in cap. I. Oseæ v. 3. 4*. Secundò, sæpè in Prophetis non servatur ordo rerum gestarum. Tertiò, sæpè supputatio annorum non apparet liquida. Quartò, sæpè occurunt Hebraismi, qui à paucis intelligi possint. Plura de his alibi à me dicta sunt.

### ANIMADVERSO.

**A**nti-Breani his nihil moti ejunt: verba clara sunt; si non intelligentur, ideo sit, quia præjudicio occupati homines, vel superbia, vel aliò vitiò veritatem clarè lucentem impediunt. Audimus, sed non credimus: solos, qui hoc dicunt, his vitiis carere, ceteros abundare. Lutherani hoc de Calvinistis queruntur; Calvinistæ de Lutheranis, utriusque de Catholicis, & h̄i de utrisque; &c. omnibus damnatis per Concilia, & Patres; cui credendum sit, disputatur. Calvinistæ, & Lutherani nondum probârunt se clarè intellexisse, & his vitiis liberos esse; Catholici ex SS. PP. qui ab initio Ecclesiæ floruerunt, probant, se docere ea, quæ ab Apostolorum temporibus credita sunt. Videantur demonstrationes *Jul. Cæsaris Cotorii. Tabula Gualterii &c.* Et acutè observavit *P. Hieronymus Mülman* in mysterio fraudis, quod raro, vel nunquam orent Prædicantes pro intelligendo verbo DEI.

Sed hinc nascitur alia quæstio, quæ etiam paucis explicatur. Nimicum:

### QUÆSTIO VI.

*Cur DEUS voluerit Scripturam esse obscuram?*

1. **V**ariæ possunt assignari rationes; hæ tres præcipuae sunt: *Prima*, ut in Ecclesia servetur ordo inter Doctores, & discipulos, inter Pastores, & oves; qui non servaretur, si Scriptura esset tam clara, ut promiscuè ab omnibus intelligi possit. *Ephes. 4. 11. & 1. Cor. 12. 29.* *Altera*, ut major sit authoritas, & majestas Scripturæ, quæ vilesceret, si omnibus etiam infidelibus esset clara, & obvia. *Matth. 7. v. 6.* *Nolite dare sanctum eunibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte*

forte conculcent eas pedibus suis. Tertia, ut non detur nobis occasio superbiæ, quæ sine dubio daretur, si putaremus profundissima Fidei mysteria facile à nobis comprehendendi posse. Hæc occasio sublata est; videmus enim tantam esse Scripturæ obscuritatem, ut nostris viribus eam superare nequeamus; ideoque & aliorum ope indigere, & ad Dñm confugere necesse esse, ut mentes nostras illuminet, & mysteriorum arcana patefaciat. Sicut fecit David: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua.*

2. Hinc fit, ut homines elati, ac superbi, qui suò judiciō prudentes sunt, & proprio ingenio multum tribuunt, non assequantur legitimū Scripturæ sensum, quia DEUS supervis resistit, & humilibus dat gratiam. Et hoc est, quod Christus ait: Matth. 11, v. 25. *Confiteor tibi Pater, &c. quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et Apost. Rom. 1. 22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Tales sunt haeretici.

3. Sed objiciunt: nos Scripturam arguere, quando dicimus obscuram esse. Non ita est: non arguimus, sed laudamus; sicut enim laudari potest ab origine, quia divina est; & à certitudine, quia infallibilis est: sic etiam ab obscuritate, quia reconditis mysteriis, & Prophetiis plena est. Quod pulchrè explicat Theodoretus Præfatione in Ezechielem, ubi variis exemplis ostendit ea omnia, quæ pretiosa sunt, ab hominum sensibus remotiora esse. 1. Quia margaritæ in profundo maris occultantur. 2. Auri, argentique venæ in terræ superficie non apparent, sed in intimis ejusdem partibus conteguntur. 3. Quæ item in domibus pretiosissima sunt, non solemus palam exponere, sed in penuariis, impositis etiam vinculis, ac sigillis custodire. 4. Consilia quoque eorum rerum, quæ sunt majoris momenti, non omnibus temerè, sed fidelioribus tantum amicis aperta esse volumus. Hinc insert: cùm his omnibus, quæ jam dixi, præstantiora sint divina, quæ in Scriptura continentur; meritò factum esse, ut ab hominum sensu, & intelligentia sint remotiora.

## QUÆSTIO VII.

*Quis debeat Scripturam, cùm obscura sit,  
interpretari?*

1. **D**EUS, ut paulò antè insinuavi, voluit hunc ordinem servari in Ecclesia: ut alii doceant, alii discant, alii Scripturam interpretentur, alii alia officia exerceant. Unde sequitur, non omnes, sed pauci ex DEI ordinatione debere Scripturam interpretari: & præsertim eos, quibus id ex officio incumbit, & qui ad hoc à Dño electi sunt, juxta illud Ephes. 4. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Docto es.* Et 1. Corinth. 12. 29. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Docto es? numquid omnes interpretantur?* Quasi dicat: minimè. Aliorum est docere, & interpretari; aliorum audire, & discere.

2. Quod ibidem pulchra declaratur similitudinē, quæ ab humano corpore sumpta est. Nam sicut in humano corpore sunt multa membra, & non omnia exerceant idem officium; ita in Ecclesia, quæ est Corpus Christi, multi sunt fideles, & non omnes eandem à Dño gratiam, & operationem habent; nam *uni datur sermo sapientiae, alteri operatio virtutum, alii discretio spirituum, alii interpretatio sermonum.* Et ut loquitur idem Apostolus Roman. 12. 3. *Unicuique sicut DEUS voluit, divisit mensuram Fidei.* Quod sic explico: sicut oculi non usurpant sibi officium audiendi, nec aures bibendi, nec pedes comedendi, quia hoc illis à Dño concessum non est; ita in Ecclesia non omnes debent sibi usurpare officium docendi, & Scripturam interpretandi, nec omnes miracula operandi, quia Deus unicuique divisit, sicut voluit. Et ali debent esse Doctores, alii auditores, & sic deinceps.

3. Contra hunc ordinem peccant Adversarii, qui omnibus etiam laicis, & mulierculis permittunt libertatem legandi, & interpretandi Scripturam; cùm ad hoc

hoc officium à Deo minimè vocati, ac proinde née idonei sint. Et eò res jam rediit, ut nullus ferè sit caupo, aut sartor, aut chyrurgus apud Lutheranos, & Calvinistas, qui non putet, se suo marte Scripturam intelligere, & interpretari posse: ideoque alterius instru-  
ctione non indigere. Audiant illud Apostoli 1. Corint.  
12. 21. *Non potest oculus dicere manui: operā tuā non  
indigeo; aut iterum caput pedibus: non estis mibi ne-  
cessarii.* Audiant & illud 1. Timoth. 2. 12. *Docere  
mulieri non permitto.*

4. Nihilominus Gardius Lutheranus, quod mirum est, objicit Timotheum didicisse Scripturam à matre, & ab avia, ac proinde mulieres docere posse Scripturam. 2. Tim. 1. 5. Et *ibidem cap. 3. 15.* Sed nihil tale ha-  
betur locis citatis. Priori solum dicitur: matrem, & aviam fuisse fidèles, tamen si pater fuerit gentilis. Po-  
steriori, Timotheum ab infantia Scripturam didicisse,  
à quo autem didicerit, non additur. Gardius fingit, à  
matre, & avia didicisse, sed non probat. Cur non po-  
tiùs didicit ab aliquo Legis Doctore? sicut Paulus, cùm  
puer esset, didicit à Gamalièle. Act. 22. v. 3. Cur  
non in Synagoga, vel templo? ubi pueri solent con-  
venire. Luc. 2. v. 46. Certum mihi est, ab Apostolo  
Paulo multa illum didicisse. 2. Tim. 1. v. 13. *Formans  
babe sanorum verborum, quæ à me audisti in Fide.* Et  
*cap. 3. v. 10. Tu autem affectus es meam doctrinam.*  
Et infra: *Tu vero permane in iis, quæ didicisti, sciens,  
à quo didiceris.* Id est: à me, non à matre, vel avia.

## QUÆSTIO VIII.

*An Lutherani, & Calvinistæ habeant veram  
Scripturam?*

1. **N**on habent, quod ex dictis sic probo: Tria po-  
tissimum spectari debent in Scriptura. 1. Ca-  
non, seu Catalogus librorum Scripturæ. 2.  
Versio, seu editio. 3. Sensus, & interpretatio. Atqui  
Lutherani, & Calvinistæ nec habent authenticum Ca-  
nonem, nec authenticam versionem, nec authenticam

interpretationem, ergo non habent authenticam Scripturam. Minor Propositio quoad singulas partes, facile demonstrari potest. (a)

### ANIMADVERSIO.

(a) **M**ajor Syllogismi latens est hæc: illi non habent veram Scripturam Sacram, qui non habent certum, seu authenticum ejus Canonem, & versionem, seu editionem, & interpretationem. Quid ad hanc Anti-Becani? negant, Quare? Ex ea sequitur Apostolos, & primos Patres non habuisse veram Scripturam, quia nec illi haberunt Canonem verum Scripturæ à Catholicis assertum. Innocentius I. eum facit. Atrox sequela! an idèo Major sua dimittenda est Becano! Minime. Errant illi, non Becanus. Innocentius I. non fecit Canonem Scripturæ, sed definivit eum esse legitimum, non alium. Quisquis igitur ante Innocentium I. istum habuit, verum Canonem habuit. Apostoli Canone non eguerunt, sed ipsi eum condidere, à quibus Traditione acceptus definitione Pontificis, quoties opus fuit, est stabilitus. Stat ergo immota Major Becani etiam arietata.

2. *Primo*, Non habent authenticum Canonem; quia nec Canon Lutheranorum, nec Canon Calvinistarum (qui inter se dissident) fuit unquam ab Ecclesia approbatus. Nam à tempore Innocentii I. semper in Ecclesia viguit Canon Catholicorum, qui in Concilio Trident, consignatus est: ante tempora Innocentii non reperies, vel duos authores, qui in omnibus, vel Lutheranorum, vel Calvinistarum Canonem amplexi sint. (b)

### ANIMADVERSIO.

(b) **A**nti-Becanus conatur aliter persuadere; quomodo? ait: Synagogam Judæorum approbasse Calvinianum Canonem pro 1. parte, id est: veteri Testamento; pro 2. parte non. Sed decipit iste Anti-Becanus bis, 1. Synagogæ Apostolicis hodiernæ Canonem pro Synagogæ fidelis Canone obtrudit. 2. Mentitur Canonem Calvinianorum cum Synagogæ hodiernæ Canone consentire. Mendacium in eo est: quod Calvinistæ librum Tobiae, Judith, Sapientie, Ecclesiastici, & Machabæorum politicè excludunt à divinis libris: Judæi autem solum illis libris in Hebreo textu carent; quæ sunt longè diversa: uti negare, & non habere, vel tacere. At Concilium Laodicenum, & Origenes consentit cum Calvinistis in Canone; iterum mendacium: hi excludunt, quæ isti vel tacent, vel positivè admittunt. Vide Euseb. Hisp. Eccl. lib. 6. 2. <sup>4</sup> de Origenis sententia contra Calvinistas.

3. *Secundū*, Non habent authenticam versionem, vel editionem. (c) Multas quidem habent, ut supra dixi; sed novas, suspectas, & ab ipsis etiam damnatas. Lutheri versionem carpunt Tigurini, Osiandriini, Bucerius, Münsterus, Lutherus ipse; nam Tigurini multis fannis illam excipiunt, ut conqueritur Stoltzus in defensione Lutheri. Osiandriini objiciunt illi dolum, & falsitatem: Bucerius manifestos, & non paucos lapsus: Münsterus multorum versuum omissionem. Denique Lutherus ipse post viginti annos falsus est: se crebrius errasse, eò, quod Rabbinorum glossis nimium credidisset, ut testatur Cochlaeus in Actis Lutheri, Lindanus in Dubitantio, & alii. Versionem Bezae damnant Castilio in Præfatione ad Anglam; Samuel Huberus in Libro de ultimæ tubæ clangoribus; Hugo Bruchtonus, & quis non? vicissim versionem Castelionis reprehendit Beza in suis Annotationibus tanquam *falsam, impudicam, imperitam, audacem, blasphemam, vitiosam, ridiculam, execrandam, erroneam, impiam, perversam*.

### ANIMADVERSIO.

(c) **S**ufficit versio, vel editio authenticæ ad hoc, ut Scriptura vera dicatur haberi; neutrum habent heretici; vulgarizant enim, & Latinam authenticam contemnunt. Græcas, & Hebreæ plurimas dubias, & verè corruptas habet lectiones. Videatur Instructio Theologica Battermanni, &c. erga veram non habent. Sed: an Latina versio authenticæ est? est. Unde talis est: à Spiritu S. qui in gratiam Sponsæ suæ Ecclesie dictavit, seu direxit; ne Scriptor in ullo à genuino DEI Scripturæ sensu aberraret. Quis ille Scriptor? antiquior Hieronymus, vel ipse certè hic recensuit. Sed Hieronymus non vult suam versionem pro authenticæ haberi; cedo. Concilium certè cum Romano Pontifice congregatum vult, & definitivit; qua potestate id fecerit? Controv. 4. & 5. videbis.

Ausus est hanc confessionem Lutheri impudenter negare Prædicans Castellen. Sed expavit verbis Lutheri sibi è Tom. 3. Wittenb. Latino Prefat. in Explic. super novissima verba Danielis, adnumeratis. Vide Moguntinos. Quod autem Adversarii latine versionis garrunt de erratis vulgatae; nugae, & imperitiæ calumniatorum sunt. Vide Bellarm. lib. 2. de verbo DEI cap. 11. &c. Et Gretserum pro Bellarm. in ea capita brevissime Instructio Theolog. Battermanni.

4. *Tertio*, Non habent authenticam Scripturæ interpretationem, sed novam, inauditam, & omnibus bonis Authoribus repugnantem. Quod paucis exemplis declarabo: legimus Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hoc Calvinus non serio, sed ironice a Christo dictum esse interpretatur, ut sensus sit: ne serves mandata, quia illorum observatio nec prodest, nec possibilis est. Item legimus Matth. 26. 28. *Hic est Sanguis meus novi Testamenti.* Et Luc. 22. 20. *Hic est Calix novum Testamentum in Sanguine meo.* Quod Lutherani sic interpretantur: hoc vinum significat meum sanguinem. Plessæus lib. 4. de Eucharist. c. 2. sic: *Hæc est acerba mors, quam paulò post sustinebo.* Item legimus Actor. 2. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Quod Beza in Commentario illius loci sic explicat: non derelinques cadaver meum in sepulchro. Plura hujus generis exempla occurrent in sequentibus.

### ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becanus queritur 1. Injuriam fieri Calvinio, cum dicatur: quod is doceat Christiana ironice dixisse: *Serva mandata: & DEUM in omnibus ferè rebus salutis nostræ ironice nobiscum agere; sed male queritur: Moguntini demonstrârunt, ita docere Calvinum; sic qui dicit: Mandata DEI impossibile esse servare hominem, & nihilominus fatetur, DEUM dicere: Serva mandata: is docet: DEUM ironice loqui. Prius est dogma Calvini, & Calvinistarum in Catech. Heidelb.* Et alterum de DEO cum multis similibus fatetur Calvinus, & Calvinistæ, alijs negarent Scripturam; ergo Calvinus, & socii ejus dicunt, DEUM ironice nobiscum loqui in negotio salutis. Ecce prolatam blasphemiam de Calvino, & sociis. Vid. Mogunt. Quod autem Anti-Becanus oggerit; Catholicos etiam subinde errare interpretando Scripturas, frustra oggerit; nam omnes simul errant, aut errârunt, falsum est; hic vel ille particularis, confessum est, antequam Anti-Becanus fallaret.

2. Dicit Calvinum verba Cœnæ exposuisse cum S. Augustino: *vinum esse sanguinem Domini, non rei veritate, sed significante mysterio.* Sed falsum assertio Anti-Becanus: S. Augustinus docet: realiter in Eucharistia adesse Christi Corpus: verba ex Augustino allata non intellexit Anti-Becanus: *TO Res variæ sumitur, I. C. pro eo, quod non est persona, jus vel actio*

personæ. Si **Tō** Res sic sumis: verum dicit Augustinus; neque enim Christus est in Sacramento, ut portio carnis boubulae, ovile &c. Sed personaliter adest cum corpore, anima &c.

Calvinus autem **Tō** Res accipit Philosophorum more proente, dicens: nec persona Christi, nec aliquid Christi adest in Eucharistia; ipse enim sedet ad dexteram Patris; longè hoc ab Augustino abiit.

3. Ait Bezan recte exposuisse: animam pro cadavere, & infernum pro sepulchro accipiendo; sed peccatum utrumque, quia contra SS. PP. & universalem expositionem tendit.

4. Objicit ex Bellatm. In falsa Ecclesia posse esse veram, inque vera falsam doctrinam. **N.** Distinguendo: in falsa Ecclesia, quoad charitatis falsitatem, conced. In falsa quoad falsitatem fidei, nego.

## QUÆSTIO IX.

*An Lutherani, & Calvinistæ possint ex Scriptura disputare?*

1. **E**X dictis probbo, non posse. Qui enim veram Scripturam non habent, non possunt ex ea disputare, aut ad eam provocare; Adversarii veram Scripturam non habent; ergo ex ea disputare, vel ad eam provocare non possunt. Sed quid, si importunè velint? Tunc hoc, vel simili modo compellandi possunt: unde vos, ô boni Viri! codicem Bibliorum accepistis? non aliunde, quam à Catholicis: at quare eundem, quem accepistis, non retinetis? Cur Canonem Catholicorum, qui ab Innocentio, Augustino, Gelasio, & tota Ecclesia receptus est, repudiatis? Cur novum consingitis, quem Ecclesia nunquam pro legitimo agnoscit? Cur antiquam, & usitatam editionem rejicitis? Cur tot novas, & inter se pugnantes versiones substituitis? Cur sensum Scripturæ falsa interpretatione depravatis? Certè, si ex Scriptura disputare vultis, ex nostra disputate; quia vestram non admittimus. Nostra legitima est: vestra spuria, & novitia. Nostra unica, & sibi constans: vestra varia, multiplex, instabilis. (a)

## ANIMADVERSIO.

(a) **A**tri-Becanus queritor novæ methodi Magistros improbare disputationem cum Calvinistis è Scriptora. Sit ita: jure Ecclesie agunt, qui ita sentiunt Præscriptione scilicet,

eet, de qua extant, & edentur Tractatus. Res vetus est: Ecclesiastiam hæreses damnare, & non disputare, unde cunque hæreticis placet; & quis erit iudex Catholicæ, & hæreticæ partis dii putandum? Scriptura, pridem explosus iudex: deinde, si Scriptura, vel sine interpretatione, vel cum ea; sine ea non possunt disputare, cum de ipsa interpretatione semper disputetur; si cum ea, cujusnam interpretatione? Catholici dicimus cum ea: quæ est unanimis SS. PP. & DD. hæretici cum sua inconstante, & proprii iudicii, & voluntatis scabie obsita; de cuius veritate, si dubites, si probari petas, pro primo principio audies: certum est, clarum est, certus sum; & tamen post paucos menses, vel annos, hoc, quod clarum erat certum, ab ipso Prædicante mutatur. *Vide Mysterium Fraudis Coloniæ 1649. cusum.* Denique miraculis, si dijudicari debeant partes litigantes. Anti-Becanus conscius artis Calvini in excitando mortuo exercitæ ait: non esse opus; hoc verè dixit, Calvinianis scilicet miraculis, quibus vivi moriuntur ante tempus. *Vid. Bolsecum in vita Calvini.* At Joan. Bapt. nullum fecit miraculum. R. Mogunt. extra operando, sit ita; nascendo, vivendoque, falsum est; sed & erat is de ordinario genere Sacerdotum de Vice Abia. *Luc. I.* Iste non egebat probatione; Laici ingententes se in Sacerdotia certe his egent, ut credantur à DSO missi ad docendum. Quod verò ait: usum miraculorum non esse apud Catholicos, refutat Lauret. in Italia. Mons Serratus in Hispan. Aspet Collis in Brabantia &c.

## QUÆSTIO X.

### Quomodo Adversarii soleant ex Scriptura disputare?

**I**Neptissimè; quod variis exemplis in progressu demonstrabitur, nunc unum, aut alterum insinuabo. Igitur Lutherus contra liberum arbitrium sic disputat: Scriptura dicit nos non posse bene, aut male agere: Isaiae 41. v. 23. *Bene, aut male, si potestis, facite.* Ergo non habemus libertatem arbitrii. Quid ineptius? Isaías non loquitur de hominibus, sed de ideo gentium. *Vide infra cap. 15.*

2. Lutherani docent: infantes habere actum fidei, eum baptizantur, quia scriptum est, inquiunt: *Luc. I. Exultavit in gaudio infans in utero meo.* Non minùs inepte; non enim sequitur: Joannes exultavit in utero matris; ergo infantes habent actum fidei in Baptismo. *Vide infra lib. 2. cap. 2.*

## C A P U T II.

*De Traditionibus.*

1. C elebris quæstio est, an præter Scripturam admittenda sit aliqua Traditio, quæ parem cum Scriptura autoritatem habeat? vel, ut aliqui proponunt: an præter verbum Dñi scriptum, sit aliquod verbum non scriptum, sed traditum? Dicam 1. quid sentiant Catholici. 2. Quid Adversarii. Cum igitur Catholici admittant duplices Traditiones, alias veteris, alias novi Testamenti, de utrisque agendum.

2. Traditiones veteris Testamenti vel erant Pharisææ, quas Christus in Evangelio reprehendit; vel Mo-saïcæ, quæ erant laudabiles, & ad salutem necessariae. Prioris generis erant hæ: *Prima*, quod ante cibi sumptionem lavandæ essent manus. *Matth. 15. v. 1.* *Secunda*, quod etiam inter comedendum illa lotio sæpius repetenda esset. *Marci 7. v. 3.* *Tertia*, quod cum peccatoribus non esset sumendus cibus. *Matth. 9. v. 11.* & *Luc. 5. v. 30.* *Quarta*, quod in Sabbatho non liceret agros sanare. *Luc. 6. v. 7.* *Quinta*, quod frequenter esset orandum, & jejunandum. *Matth. 9. v. 14.* *Luc. 5. v. 33.* Et aliæ similes.

3. Et quamvis aliquæ earum essent bona ex suo genere; Pharisæi tamen propter omnes reprehendebantur a Christo ob tres causas. *Primò*, quia ipsi ex earum observatione quererent inanem gloriam, & opinionem sanctitatis apud homines, negligentes interim veram sanguimoniam cordis. *Matth. 23. v. 25.* *Secundò*, ex qua runderam etiam observatione se labant opes, & divitiæ, præsertim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant. *Matth. 23. v. 14.* & *Marci 12. v. 40.* *Tertiò*, supersticiose servabant suas Traditiones, & interim mandata Dñi negligebant. *Matth. 15. v. 3.* & *c. 23. v. 24.*

## A N I M A D V E R S I O.

(a) **A** Nti-Becanus, vide stoliditatem! ait: Becanum pro defendendis Pontificiis traditionibus afferre Pharisæicas: Ecce Becanus damnat eas ore Christi. 2. Traditiones

Catholicorum esse similes Pharisæis. Sed quomodo? uti **Austria**  
*Becanus* Pharisæis nasum, uti ipse &c. membra habentibus. 3.  
 ait: Jesuitas ob artem opum comparandarum à Venetis esse pul-  
 sos; mendacium id ab Henrico IV. Rege Galliæ refutatum est;  
 cùm Patishorum Academia ignorans veritatem facti id objecit.  
 4. Sixtus IV. nobile lupanar Rómanæ instruxit. Ita Calvinistæ  
 vocant monasteria, templo, nosocomia, uti sordidi omnes  
 forminas meretrices. 5. ait: Scripturam omnium Ordinum ho-  
 minibus conjugium permettere, quibus Ordinibus Religiosis, qui  
 voverunt, virginem suam exhibere Christo: mentiris; etiam  
 eunuchis, qui se castraverunt propter regnum Cœlorum: men-  
 tiris; etiam his, qui à mortuis resurrexerint in die Judicij.  
 Scis, quām verē hoc? dic ergo cum Apostolo: Permitti bis,  
 qui non habent necessitatem, potestatem autem voluntatis suæ  
 servandi virginem suam (carnem) bene facere. 1. Corinth.  
 7. v. 37. Limitando sic non errabis, multò minus mentieris.

4. Traditiones posteriores generis erant tres præci-  
 puæ. *Prima*, quod omnes, & singuli libri, qui in  
 Canone Judæorum consignabantur, essent verē divini,  
 & a Deo inspirati. Hoc vide credebant Judæi; & ta-  
 men nusquam in veteri Testamento scriptum est. *Se-  
 cunda*, quod fœmellæ haberent aliquod remedium con-  
 tra peccatum originale non minus, quam masculi;  
 qualemque tandem fuerit hoc remedium. Neque hoc  
 ullibi in veteri Testamento scriptum est. *Tertia*, quod  
 cruenta ipsorum sacrificia significaverint mortem Chri-  
 sti; hoc etiam erat dogma fidei, nec tamen in Moyse,  
 aut Prophetis scriptum. *Prima Traditio* facilis est, re-  
 liquas duas sic explico:

5. Judæi fide credebant fœmellas concipi in peccato  
 originali non minus, quam masculos; ergo fide cre-  
 debant, illas salvari non posse, nisi per aliquod reme-  
 dium à Deo institutum. Debebant autem scire in par-  
 ticulari, quod & quale esset hoc remedium; alioqui  
 omnes fœmellæ perirent sine remedio. At nusquam  
 scriptum est in veteri Testamento, quod & quale fuerit  
 hoc remedium in particulari; ergo per Traditionem id  
 sciebant. Hæc autem Traditio erat ad salutem necessa-  
 ria; quia sine remedio non poterant salvati fœmellæ.

6. Similiter fide credebant, quædam cruenta sacri-  
 ficia à Dæo instituta esse pro expiatione peccatorum;  
 vel

vel ergo putabant ejusmodi sacrificia per se, & propria virtute expiare peccata; vel virtute Passionis, & mortis Christi, quæ per illa sacrificia significabantur. Si prius erant hæretici: si posterius, erant fideles, quia credebant, quod erat credendum. Sed unde habebant hanc fidem, & persuasionem; non ex Scriptura, quia nusquam in veteri Testamento id scriptum est; ergo ex Traditione. Hæc autem Traditione erat necessaria ad salutem; non quod necesse fuerit singulos de populo credere, futuram Christi mortem per cruenta sacrificia præfigurari; sed quod necesse fuerit, aliquos id credere, præsertim Sacerdotes, & Doctores, quibus incumbebat cura docendi, & instruendi alios; alioqui tota Synagoga, in hoc quidem punto, quod sanè erat gravissimum, fuisse sine fide, quod absurdum est. Vide D. Thom. in 2. 2. quest. 2. art. 7. (b)

## ANIMADVERSIO.

(b) **A** Nti. Recano valde noxia erat doctrina de Traditionibus Mosaicis, itaque instar sepiz ostundit iis discernendis atramentum, facitque è Mosaicis, & Pharisaicis unam pultem, vel unam placentam. O vir B. vel M. nimium facis. Sed pergit contra: 1. quomodo potuit Moyses tradere Canonem de libris divinis, qui nondum erant scripti? R. Inchoando, ut Romulus Romanum, postea auctum. Item statuendo, ut libri per Pontifices recipiendi ut divini habeantur. Contra 2. ait: formellas veteris Legis circumcisione salvatas. Mirum! ita tamen ait Doctor Calvinista. Sed quomodo? acumen disce! circumcisione masculorum. Cujus, vel quorum? Tacer: & sat habet delirium inchoasse, quod alii pertexant; ut Calvinista probat: qui? foedus erat circumcision inter DEUM, & Judæos; ergo formidas comprehendebat. Sed ita ut viris circumcisione incumberet. O benignum in formidas Doctorem! sed uade hoc didicisti? ex Scriptura? ostende: ex Traditione? jam das, quod negas.

Contra 3. Traditionem Mosaicam, ait Calvinista, significacionem sacrificiorum constitisse populo Judaico ex Scriptura. Bene: vel ex nudis ejus verbis, vel ex explicacione? non prius: da textum; non posterius: quia explicatio ista vel erit omnium, sic erit Traditione, vel unius, & non erit certa, & de fide. Denique Recanum arguit, concedente Sacerdotibns scientiam explicitam, quæ in populi fide tantum sit impedita. Male arguit Calvinista: si enim ipsius plebs novit explicitè, quod ipse, cur docet? cui scribit?

*De Traditionibus novi Testamenti.*

**D**E his tria dicturus sum: *Primo*, generatim existare aliquas Traditiones divinas, & Apostolicas, quae parem cum Scriptura authoritatem habeant. *Secundo*, speciatim, aliquas earum ad fidem, alias ad mores, & externos ritus pertinere. *Tertio*, praeter has esse alias, non quidem Apostolicas, sed Ecclesiasticas, quae tametsi parem authoritatem non habeant, merito tamen à Christianis servandæ sint. Hæc singulascorsim per totidem Conclusiones explicabo.

S. I. *Conclusio.* Generatim loquendo, exstant quædam Traditiones Apostolicæ, (a) quæ expresse in Scriptura non habentur, sed tamen parem cum Scriptura authoritatem habent. Ita Concilium Trident. Sess. 4. Et colligitur ex illo 2. Thess. 2. 15. (b) *Itaque fratres statet, & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* (c) In quem locum Chrysostomus ita scribit: *Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis.* Eadem verò fide digna sunt, tam illa, quam ista. (d) Et Epiphanius hæresi 61. *Oportet autem & Traditione uti.* Non enim omnia à divina Scriptura possunt accipi. Quapropter aliqua in scriptis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Sanctus Apostolus: *Sicut tradidi vobis.* (e) Et Basilius in lib. de Spiritu Sancto. cap. 27. *Dogmata, quæ in Ecclesia servantur, & prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum Traditione in mysterio ad nos delata recipimus.* Quæ utraque eandem ad pie-tatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum Jurium experientiam habet. (f) Et Damascenus lib. 4. cap. 17. *Plurima Apostoli sine scripto tradiderunt.* Alios etiam Patres paulò post citabo. (a)

*ANIMADVERSIO.*

(a) **A**nti-Becanus ridet Becanum, quod nullas divinas Traditiones potuerit recentere. R. Fatue plura poscit, qui ne ea quidem digerere potest, quæ ministrantur.

(b) Anti-

(b) Anti-Becanus ait: Concil. Trident. non fuit legitimum, ita illic more hereticorum, qui Concilia, quibus damnati sunt, illegitima dicitant. At Princes Germanie id non receperunt, qui? aliqui; ergo ex particularibus Doctor argumentatur? pulchre pol.

(c) Paulus Actor. 26. v. 22. extra libros Propheticos ait: se nihil locutum. Mentitur Calvinista. Non ait, de libris, sed ait extra ea, quae locuti sunt, non docuisse, ita sit animi preoccupati; pro locuti legunt libri. Occitatem non oculorum, sed cordis!

(d) Anti-Becanus negat Chrysostomum id docere. Imò vero Orat. 4. in 2. ad Thess. 2. v. 14. legitur Tradition. Nihil quæras amplius, &c. Sed Chrysostomus non probat, quæ dicit. Audio, nec Calvinista probat, quæ dicit contra Chrysostomum. Utri jam credendum? Chrysostomo, an Crocio?

(e) Epiphanius (ait idem) non provocat ad Traditiones in dogmatibus fidei, sed Historicos, & Ritoaliam; mentitur iterum Calvinista, ut fallat; non fallietur, qui leget Epiphanius hæc 69. ὅμοργιον ex sola Traditione probatam.

(f) Anti-Becanus ait: Basilius de solis ceremonialibus Traditionibus loqui; mentitur; & pete verba ejus: *Domata, quæ prædicantur.* An soli titus prædicantur? unde ego hoc exsuxisti? non ex Basilio, sed ex tuo falsificandi animo.

Denique addit, Irenæum lib. 3. cap. 1. dicere, quod nullum de fide, & mortuis dogma tradidrunt, quod non cripserint. Sed hoc est mendacium additum prioribus. Dicit Irenæus Apostolus prius docuisse, postea scripsisse. Omnia? Tacet Anti-Becanus, frivole affirmat.

9. Quæres quomodo Traditione possit habere parem vim, & autoritatem cum Scriptura? q. Sicut mandatum Principis eandem vim, & autoritatem habet apud subditos, sive scripto, sive viva voce proferatur; sic etiam verbum Dei, sive scriptum, sive traditum sit. At inquires, Traditione Apostolica, de qua agimus, non est verbum Dei. Omnipotens est; nam sicut doctrina Apostolorum, quæ in illorum scriptis continetur, propterea vocatur verbum Dei, quia à Deo inspirata est; sic etiam de doctrina Apostolorum, quæ viva tantum voce tradita est sine scripto, statuendum est. Quod sic clarius ostendo: sicut doctrina Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Pauli, Petri, Jacobi, & Judæ, quæ in Evangelii, & Epistolis conscripta est, vocatur verbum Dei, quia Deus eam inspiravit; sic etiam doctrina Andreæ, Phi-

Iippi, Bartholomæi, Mathiæ, & Barnabæ, quam ipsi viva voce prædicarunt, debet vocari verbum Dei, quia Deus similiter eam inspiravit. Nec minor fides his Apostolis, qui non scripserunt, quam illis, qui scripserunt, adhibenda est.

### ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becanus ait: Alphonsum à Castro Catholicum negare, quod traditio Apostolica patem habeat autoritatem cum Scripturis divinis. Falsum id est: solum dicie: quod Canones Apostolorum, & Decreta Conciliorum non sint habenda pro Sacra Scriptura. Deinde disertè contra te Ansibi-Becane ait lib. 5. cap. 5. Universali Ecclesiæ Traditiones, aut definitiones in his, quæ ad fidem spectant, etiam si aperta Scriptura in eorum comprobationem desit, non minoris sunt autoritatis, quam ipsa Sacra Scriptura &c. Ecce pseudologi sunt Doctores hereticorum, non tam intellectu, quam affectu errantium.

10. II. Conclusio, Speciatim loquendo, sunt certæ quædam Traditiones Apostolicæ de dogmatibus fidei quædam de moribus, seu ritibus externis. Prior pars probatur, quia sunt tria principia fidei maxime necessaria, quæ, non habentur ex Scriptura, sed ex Traditione. (h)

### ANIMADVERSIO.

(h) **I**n Scriptura habet contingent, vel formaliter in terminis, ut circumcisus est puer, & vocatum est nomen ejus JESUS, vel virtualiter in terminis, ut aliquem circumcidisse, quod cum re per antedicta verba significata invicte conexum est. Item cultellum ex marmore per verba antegressa significato non invicte, sed confusè, & remote colligi posset. Itaque tripliciter aliquid haberi potest in Scriptura, expresse, & implicitè dupli modo: remote, & proxime, sive distinctorie, & confusè. Hoc dogmate positio. Dicunt 1. Moguntini. In Scriptura omne dogma fidei, & morum contineri saltēm confusè, & remote, sicut in illo: Declina à malo, & fac bonum, omnia continentur. Et tota lex in illo: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto &c. & proximum sicut te. Dicunt 2. Moguntini: aliqua dogmata fidei esse, quæ non continentur in Scriptura, neque expresse, neque virtualiter per invictem consequentiam, & talia sunt tria, quæ sequuntur.

Primum est, quod tota Scriptura veteris, ac novi Testamenti simul sumpta sit verbum Dei. (i) Alterum, quod tota illa Scriptura, præsertim in iis, quæ ad fidem, & salutem necessaria sunt, manet nobis talva, &

incorrupta. (k) *Tertium*, quod habemus verum, ac legitimum illius sensum. (l) Si admittamus haec principia fidei, necessariò admittimus Traditionem, per quam illa accipimus; si non admittimus, vanæ est nostra fides. (m)

## ANIMADVERSIO.

(m) **H**oc dogma ut in Scriptura reperiant Acatolici, toto eculo se tollere, & non invenire; palchre Moguntini id ostendunt pag 64. & seqq. Demum delaperantes multi eam Traditionem admittunt, non tamen plures, ne plane Romano-Catholici vnde nt.

(k) Similis ratio est cum hoc secundo dogmate, & cum tertio, ut iidem Moguntini clarissime ostendunt: quod si PP. vel Doctores aliquando haec, vel similia dogmata per Traditionem notificata probant, id non sit alia ratione, quam probabiliter, non vero per invictam consequentiam; ut nimirum apparet credentibus per Traditionem, id, quod credunt, etiam per Scripturam esse probabile; quæ probabilitas tamen non sufficit ad frangendum Adversa iuxta non credentem Scripturas; vel sensum ejus genuinum aspernantem. Frustra igitur Anti-Becanus arguit Catholicos, quod probent per Sacram Scripturam, quæ prædicta Traditione solum credi debent:

11. Præter haec tria, sunt alia, quæ etiam per Traditionem habentur. I. Quod symbolum fidei sit veræ Canonicum, & Apostolicum. De quo Basilius loco citatō: *Omitto cetera, ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, è quibus scripturis habemus?* quasi diceret: non habemus ex Scriptura, sed ex Traditione; hoc enim conatur probare, multa esse dogmata, quæ credimus, non quia scripta sunt, sed quia ab Apostolis tradita. II. Quod insantes sint baptizandi. *Origenes in cap. 6. Epistolæ ad Romanos: Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam Parvulis Baptismum dare.* Et Augustinus lib. 10. de Genesi ad literam c. 23. *Consuetudo Matris Ecclesie in baptizandis Parvulis nequaquam spernenda est, neque ulla modo superflua reputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditione.* Quod baptizati ab hereticis non sint rebaptizandi, contra errorem Cypriani. *August. l. 2. de Baptism. contra Donatist. c. 7.* Quam consuetudinem (scilicet, non repetendi Baptismum) credo ex Apostolica

*Traditione venientem. Et lib. 5. cap. 23. Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium summissæ credenda est. IV. Quod B. MARIA Mater Christi semper manserit Virgo, etiam post partum, contra damnatam Helvidii hæresin. Vide Hieronymum contra Helvidium, & August. lib. de hæresibus cap. 84. ubi sic ait: Helvidiani exorti ab Helvidio, ita Virginitati MARIE contradicunt, ut eam post Christum, alios etiam filios de viro suo Joseph p̄pperisse contendant. Sed mihi nō istos, prætermisso Helvidii nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellavit.*

### ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becanus ait: non esse articulum fidei, quod B. Virgo post partum permanferit Virgo. Atqui Epiphanius ex Castro, & August. negantes Virginitatem B. MARIE post partum, posuerunt inter hæretes Cerinthi, Helvidii, Joviniani; ergo Virginitatem eam affirmare, est fidei. At Basilius non censet esse dogma fidei. Falsum id est; Incarnationis mysterio insaturat Virginitatem post partum esse extraneam; sed tamen prohibet alio ex capite Virginitatem MARIE post partum negare.

V. Quod in Baptismo pronuntiari debeat haec forma verborum: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & nisi pronuntietur, Baptismus, non sit validus.* Hoc etiam admittunt Adversarii, nec tamen aliunde, quam ex traditione, & perpetua Ecclesiæ praxi probari potest. VI. Quod certus, ac determinatus sit Sacramentorum numerus in novo Testamento. Hoc tam Catholici, quam Adversarii credunt. Hoc interest, quod Catholici credant illum numerum esse septenarium, plerique Lutherani ternarium, multi Calvinistæ binarium. At hic numerus, quisquis tandem sit, in Scriptura definitus, aut expressus non est. Catholici fatentur se ex Traditione, & declaratione Ecclesiæ habere suum septenarium. Adversarii videant, unde habeant suum binarium, aut ternarium. Certè ex Scriptura non habent. Vide infra cap. 7.

12. Dices: aliqua ex his punctis probari possunt ex Scriptura: ut v. g. quod infantes sint baptizandi; hoc enim probari potest ex illo Joan. 3. v. 5. Nisi quis renata-

renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum DEI. Similiter, quod in Baptismo pronuntiari debeant haec verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* manifestè colligitur ex illo Matt. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Resp. Aliqua possunt probari ex Scriptura, quando constat de vero, & legitimo Scripturæ sensu. At sèpè non constat, quis sit verus, & legitimus sensus, nisi ex Traditione, & praxi Ecclesiæ, v. g. si constaret haec verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non habet alium sensum, quam hunc; nisi quis baptizatus fuerit baptismò aquæ, jam optimè sequeretur, etiam infantes indigere Baptismò.* At hoc non constat, nisi ex Traditione. Nec Calvinus, qui negat illum sensum esse istius loci, potest à Catholicis, aut Lutheranis confutari ex sola Scriptura, sed ex eo solùm, quod sensus ille a majoribus nostris per continuam Traditionem ad nos pervenerit. Eodem modo, si constaret, Christum, cùm dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* præcepisse Apostolis, ut pronuntiarent haec verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* jam esset res salva. At hoc non constat ex nudis Scripturæ verbis; nam sicut Christus dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, ita alibi dixit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et similiter Apostolus 1. Corinth. 10. v. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam DEI facite.* Et tamen necesse non est, ut is, qui petit aliquid à Patre in nomine Christi, pronuntiet haec verba: *Ego hoc, vel illud peto in nomine Christi.* Neque ut is, qui comedit, aut bibit, pronunciet haec verba: *Ego comedo, & bibo in gloriam DEI.* Sed satis est, interna mente id cogitare; quod ergo in primo casu de Baptismo necessaria sit prolaio verborum, non item in his duobus, hoc solùm habemus ex usu Ecclesiæ, qui per Traditionem Apostolicam ad nos pervenit.

13. Et haec sufficient pro priori parte conclusionis. Posterior potest etiam variis exemplis confirmari;

nam multi sunt ritus Ecclesiastici, qui ab Apostolis per solam Traditionem accepti sunt. Ac potissimum hi

1. Ut Exorcismus, & aliae cæremoniae adhibeantur in Baptismo. (Tertullianus in lib. de Corona Militis cap. 3. & Basilius in lib. de Spiritu Sancto. cap. 27.)
2. Ut trina mersio fiat in Baptismo. (Basilius ibid.)
3. Ut Chriſma ſingulis annis renovetur. (Fabianus Papa & Mart. Epistol. 1. ad Episcopos Orientis.)
4. Ut aqua vino miſceatur in calice Eucharistico. (Cyprianus lib. 2. Epift. 3.)
5. Ut Eucharistia sumatur à jejunis. (Augustinus Epift. 118.)
6. Ut in ſacrificio Miffæ oretur pro d. funētis. (Tertullianus *supra*.)
7. Ut ſignum crucis formetur in fronte. (Basilius loc. citat.)
8. Ut ad Orientem veri precemur. (Idem.)
9. Ut aqua benedicatur. (Idem.) De his, & ſimilibus recte uſurpari potest illud Tertulliani lib. eit. cap. 4. *Harum, & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem ex postules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur audax, consuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* (n)

### ANIMA DVERSIO.

(n) **A**DVERSUS has Traditiones immaniter pugnat Anti-Becanus. Quare? ut ſolam Scripturam Sacram pro regula credendi, & agendi cum affeclis retineat? Et eft id tantuſ ipſis emolumenti? Eft vero; nam generaliter loquentem Scripturam ciunt ſe, ut ſemper hæretici fecere, poſſe indeſ, quodlibet ubi libet, explicando torquere, quod ne faciant, Traditionum vi manifesta vetantur. Id cauſa eft, cur has adeò detefiuntur, uti male agentes lucem; quomodo autem pugnat Anti-Becanus? quibus armis? id ſequentibus paginis appariſit.

14. *III. Concluſio*, præter ſupradictas Traditiones, quæ ab Apostolis ad nos pervenerunt, ſunt aliae quædam Ecclesiasticæ, quæ poſt tempora Apostolorum à Prælatis Ecclesiæ introductæ ſunt; & tametsi parem cum Apostolicis authoritatem non habeant, meritò tamen à Christianis ſervari debent. De utrisque loquitur Augustinus Epift. 18. cùm ait: *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita eufodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab iñſis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum eft in Ecclesia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri:*  
ſicut

sicut quodd Domini Passio, & Resurrecio, & Ascensio in cœlum, anniversaria solennitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quæcumque se diffundit Ecclesia. Nam per illam particulam, vel ab ipsis Apostolis, intelligit Traditiones apostolicas; & per illam, vel plenariis Concilii, intelligit Ecclesiasticas. De quibus subdit: *Insolentissime insanie est disputare, an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Atque hæc est Catholicorum sententia de Traditionibus tam Apostolicis, quam Ecclesiasticis quæ ex Apostolis, & SS. Patrum authoritate confirmata est. Videamus nunc, quid sentiant Adversarii, ut postea constet ex collatione utriusque partis, utri potius adhærendum sit.

### *Adversariorum sententia.*

15. **A**dversarii paucim rejiciunt Traditiones, & nihil, nisi quod in Scriptura veteris, ac novi Testamenti continetur, volunt admittere. Peccant tamen quadrupliciter: 1. Quia in hac re imitantur antiquos hæreticos. 2. Ipsi inter se dissentunt. 3. Multa falsè, ac mendaciter attingunt Catholicis. 4. Ineptissime ex quibusdam Scripturæ locis argumentantur contra Traditiones. Hæc etiam singillatim demonstranda sunt.

### *Imitatio veterum Hæreticorum.*

16. **P**rimò igitur, sicut Catholici in afferendis Traditionibus sequuntur communem consentum antiquorum Patrum; sic Adversarii in iisdem rejiciendis sequuntur communem consentum antiquorum hæreticorum; nam etiam antiqui hæretici provocabant ad Scripturam, & Traditiones respuebant. Ac potissimum hi: Primò, Ariani, qui disputantes de Divinitate Christi nihil volebant admittere, nisi Scripturam. Unde Maximinus Arianorum Episcopus disputatus cum Augustino dicebat: *Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necessum est, ut audiamus.* Ha vero doces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nos juscipiuntur. Refert

August. lib. 1. contra Maximinum in principio. Se-  
undū, Macedoniani, & Eunominiani, qui notebant  
admittere hanc locutionem: *Gloria Patri, & Filio,*  
*& Spiritui Sancto*; eō, quod non haberetur in Scri-  
ptura. De quibus Basilius in libro de Spir. San. cap. 25.  
circa finem: *At non definunt isti sursum, deorsum ja-*  
*clare, DEI cum Sancto Spiritu glorificationem carere te-*  
*stimonio, carere Scripturā.* Et initio cap. 24. Sanè con-  
tra id, quod dicunt præpositionem (*cum*) carere testi-  
monio, nec in Scripturis exsistere, illud dicimus: si nihil  
aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem reci-  
piatur. Sin plurima arcana citra Scripturam recepta sunt  
nobis, cum aliis plurimis & hoc recipiamus. Arbitror  
autem Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus  
adhærere. Tertio, Eutyches, qui negans in Christo duas  
naturas, dicebat: *Ego à Sanctis Scripturis non didici de*  
*duabus naturis.* Cui respondit Mamas Presbyter: Ne-  
que de Homoufion à Sanctis Scripturis edocti sumus. Ita  
habetur in generali Concilio Chalcedonensi. Act. 1. ubi  
Actio quinta Constantinopolitani Concilii relecta est.  
Quartū, Pelagiani, qui dicebant: *Credamus igitur, quod*  
*legimus: & quod non legimus, nefas credamus adstruere:*  
*quod de cunctis etiam dixisse sufficiat: ut refert Augu-*  
*stinus in lib. de natura, & gratia, cap. 39.* His, & si-  
milibus hæreticis, olim ab Ecclesia damnatis, similes  
sunt nostri Lutherani, & Calvinistæ; qui eodem, quo  
illi, spiritu afflati, repudiant Apostolicas, & Ecclesia-  
sticas Traditiones, & ad solam Scripturam contentiosè  
provocant, quam tamen, ut supra dixi, relectis aliquot  
partibus mutilarunt, & novis versionibus, ac inter-  
pretationibus corruperunt.

### ANIMADVERSIO.

UT Anti-Becanus à se, & prædicantibus auferret libem imi-  
tationis huius, apparenſ discrimin finxit, & plebi obtrusit:  
quod illud: Arianos, & similes hæreticos damnatos, Tra-  
ditiones, quæ in Scriptura effent rejicisse, & male: Se vero re-  
jicere soiūm eas, quæ extra Scripturam sunt. Ecce illorum  
incauti lectoris! audistīne illud Ariani? Voces, quæ extra Scri-  
pturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur. Vide, an non  
huc

huc est toga Proavi sui Lutheri, & quæ ac Ariani Episcopi: pudeat recordia, & audatæ tantæ. Vide Theodoreti textum græcum lib. 1. cap. 8. à Moguntinis contra te citatum. Sed pergit Anti-Becanus, & Catholicos suò luto aspergit. Quomodo? Ait, Catholicos à Traditione ad Scripturam provocâsse. Credo à falsa, & erronea Traditione convincendo eam per Scripturam: hoc credo, sicut non, nisi demonstres. Amplius audet Anti-Becanus dicere: ut Traditiones Catholicorum uno impetu diffundat, ait: nullam Ecclesiam esse Apostolicam, sive talem, quæ successionem personarum, & doctrinæ sanctæ illibatam inde ab Apostolis tenuerit, & ideo Traditiones esse cassas. Ecce fidem negat Anti-Becanus, nempe, unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quænam autem ista? Romana à Petro ad Innocentium X. ut postea videbis.

### Dissensio.

17. **S**ED neque inter se consentiunt; nam aliqui, sine ulla exceptione rejiciunt omnes omnino Traditiones, sive ad fidem, sive ad externum Dei cultum pertinentes, & nihil aliud volunt esse credendum, aut faciendum, quam quod in Scriptura credendum, aut faciendum præcipitur. Ita Calvinus lib. 4. Inst. cap. 8. num. 5. Esto, inquit, hoc firmum axioma, non aliud habendum esse DEI verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod lege primum, ac Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur: nec alium esse ritè docendi in Ecclesia modum, nisi ex ejus verbi præscripto. & norma. Et in libro de necessitate reformatæ Ecclesiæ: DEUS non modo irritum habet, quidquid colendi sui studiò, prater mandatum suum suscipimus, sed palam quoque abominatur. Et in Epist. 87. ad Protectorum Angliæ: Cum de legitima reformatiōne agitur, ad ipsum purum DEI verbum redundum nobis est. Et similiter Calvinistæ in Synodo Ultrajectina, in Prologo suarum ordinationum num. 2. Obstringimus nos inquit, in forma iuramenti, & obligationis, quod in hac Provincia non aliam velim amplexi, & sequi doctrinam, regulam, mensuram. & amissum fidei, & vita Christianæ, quam solum verbum DEI, quod in horis veteris, ac novi Testamenti expressum est.

18. Alii quasdam saltē admittunt Traditiones ut Kemnitius in *Examine Concil. Trident. Sess. 4.* in se cundo genere Traditionum, ubi ait: *Hanc Traditionem, qua nobis in manum dantur Sacra Scriptura libri, reverenter accipimus.* Et in 5. genere: *Affirmant Origenes, & Augustinus: Baptismum parvolorum esse Traditionem Apostolicam; hoc recipimus.* Et in 7. genere. *Apostolos igitur ritus quosdam ordinasse, & tradidisse Ecclesia, ex Scriptis eorum certò constat.* Et verisimile est: *quosdam etiam alios externos ritus, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse.* Et infra: *Tales ritus merito amamus, & retinemus, quales sunt confessio fidei, ab renuntiatio Iathana, & alii ritus in actione Baptisi.*

19. Alii denique utuntur distinctione; ajunt: admitti posse Traditiones de rebus adiaphoris, seu indiferentibus, non autem de rebus ad salutem necessariis; nam in his sufficienter nobis prospectum esse per Scripturam; quippe quae per se & tractat ea omnia, quae ad salutem necessaria sunt, ita ut Traditione minime sit opus. Sed qui hoc dicunt, augent dissensionem, & manifestè repugnant Lutherio, & Kemnitio; nam Kemnitius fatetur, Lutheranos reverenter accipere Traditionem illam, quâ nobis in manus datur Sacra Scriptura. At Scriptura Sacra secundum ipsos ad salutem necessaria est; ergo admittunt aliquam Traditionem de re ad salutem necessaria.

20. Similiter Lutherus docet: *infantes non justificari per Baptismum, sed per actualem fidem, quae ipsis infunditur vi Exorcismi ante Baptismum: & sine hac fide non posse eos salvati, aut Baptismum suscipere.* Unde sequitur: *salutem infantium (ex sententia Lutheri) pendere ab actuali ipsis fide, & fidem ab Exorcismo, & consequenter Exorcismum esse necessarium ad salutem infantium.* Exorcismus autem habetur ex Traditione, non ex Scriptura, ut constat; ergo secundum Lutherum, admittenda est aliqua Traditione de re ad salutem necessaria. Verba Lutheri citabo suô locô. (a)

## ANIMADVERSIO.

(a) **M**irum! quod Anti-Becanus non probet suos socios consentire, v. g. per Synodum Dordracenam, vel librum Concordie. Sed conscient fumi domestici hanc culinam vitavit.

*Mendacia Adversariorum.*

21. **V**ideamus nunc, quid falsè nobis attingant Adversarii. Ac primò ut invidiam nobis concilient, ajunt: nos docere, Scripturam sine Traditionibus humanis insufficientem esse, ac imperficiam. Falsum est: docemus hoc de Traditionibus humanis. Distinguimus enim duplices Traditiones cum Augustino, ut dixi Alteras Apostolicas, quae parem cum Scriptura autoritatem habent. Alteras Ecclesiasticas, quae tantam autoritatem non habent. Dicimus ergo: Scripturam per se non sufficere, nisi accedant Traditiones Apostolicæ, quae non censentur humanæ, sed divinæ. Ratio duplex est: Primi, quia Scriptura non sufficit, nisi constet de legitimo illius sensu; et secundi non constat, nisi ex Apostolica Traditione, ut supra dictum est. Tertius, quia multa creduntur a Christianis, quae non habentur ex Scriptura, sed ex Apostolica Traditione. Exempla jam ante allata sunt. (a)

## ANIMADVERSIO.

(a) **A**nti-Becano lubitum fuit etiam mendacia defendere, uti veritatem. Et quantumvis videat Becanum, & Catholicos distinguere inter sufficiens generaliter, & specialiter, ac distinctorie dicere, Scripturam generaliter esse sufficientem ab ea que Traditione; tamen audet dicere, quod Catholicos Scripturam simpliciter insufficientem esse doceant. Item illos non mentiri, qui hoc de Catholicis dicunt: utique mendiantur, cum alter dicant, Catholicos loqui, quam loquantur, & scribunt. Et Anti-Becanus plus illis omnibus utique mentitur, cum sic mentientes ait non mentiri.

22. Secundò ajunt: nos docere, quod per Traditiones humanas mereamur gratiam justificationis, & remissionem peccatorum; & quod hujusmodi Traditiones agnoscamus pro nostro Mediatore, & Justificatore.

Ità Philippus Melanchton in Apologia Confessionis Augustanæ art. 15. de Traditionibus humanis. Hoc etiam falsum est; quia apartè docemus, nullo modo nos mereri justificationem, aut remissionem peccatorum, sed eam gratis nobis conferri per merita Christi, ut pates ex Concil. Trident. Sess. 6. cap. 8. ubi sic habet: *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae justificationem præcedunt, sine fide, sine opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* (a)

### ANIMADVERSIO.

(a) **A**nti-Becanus ait: Philippum Melanchton non mentiri, mulus mulum scabit. Sed quomodo probatur non mentiri: Joannes à Danent facetur: Catholicos mereri per observantiam Traditionum. At quomodo? ait: *De congruo.* Ità est. Sed èstne id mereri simpliciter Philippe? puto, inquit, Erres inquam: simpliciter mereri est de condigno mereri. Vade Grammatice ad Theologos, & Theologicum Lexicon, roga ut Prædicans in Dordracena Synodo Calepinum ad intelligendum latina vocabula. At Tetzelinus An. 1517. dixit: nullum peccatum non remitti, si contributio in cistam sit conjecta, quo teste? Lutherò, & Schleidano. Hostes hostes exhibebet, & qui mendaces per excellētiam vocantur. Vis id tibi probari? Interroga Joan. auaræ de Cornu in Luthero verace, suis met verbis convictum. Interroga & de Schleidano Carolum V. Rom. Imp. maximèque Epitomen wahrhaftiger Beschreibung der vornehmsten Händel / re. Casparis Jennepii in fol. cusam Coloniae 1559.

23. Tertio, ajunt: nos docere, quod omnes nostræ Traditiones sint Apostolicæ. Ita Calvinus lib. 4. Inst. cap. 18. §. 19. Romanens. s. inquit, *Magistri extorquere volunt, ut nulla sit apud eos cæremoniola, quæ non pro Apostolica censemur.* Et hoc falsum est; agnoscimus enim, ut sèpè dixi, duplices Traditiones: alteras ab Apostolis acceptas: alteras post tempora Apostolorum a Prælatis Ecclesiæ introductas. Deinde pugnat hæc Calvini calumnia cum Melanchthon; nam Melanchthon omnes nostras Traditiones vocat humanas. Calvinus omnes Apostolicas. Neutrum concedimus: Vide alia Kemnitii mendacia apud Cardinalem Bellarminum lib. 4. de Verbo DEI. cap. 3. (a) Reliquum est, ut diuantur objections Adversariorum, quibus conantur Traditiones subvertere.

## ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becanus nihilominus ait: Calvinum non mentiri tam  
mirum: & tamen tam crassè potens patronus est hic Orator, si tam perspicuo scelere reum efficaciter purgat. Sed  
egos seminat, non efficacia argumenta ex Catholico uno producit, quæ id probent. Lindanum, & Soto pessimè citat ignorans,  
judicant, quod Moguntini ostendunt, ipsorum verbis exscriptis.  
Non erat autem contentus statrum suorum mendaciis,  
monti quoque suum lutum adjicit: nempe Festa Passionis, Res-  
urrectionis, & Ascensionis Domini: quæ S. Augustinus memo-  
rat, ait hic homo, non esse probabiliiter ab Apostolis instituta.  
Ut si credemus? Augustino vetusto, an Anti-Becano novo ho-  
mini; & Doctri? sed Apostolus damnat eos, qui observant dies,  
& tempora. O vecordiam! damnat indefinite, nempe supersti-  
tioiam observantiam, ergo omnem; qua Dialetica id exculpis?  
si tu? tuamet te observantem dici Dominicæ damnabis.  
Recidit in scitis vestigiis Dordracenæ Synodi, quæ eodem collima-  
vit, ut omorem memoriam Christi abrogaret. Vide P. Jod.  
Ked Jesuiticam Scholam. pag. 212.

## I. Objectio eorundem.

**24.** Prima sumitur ex illo Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Hinc colligunt Adversarii, omnes Traditiones repudiandas esse; Catholicos peccare, qui illas admittunt. Quare? Quia nihil ad verbum Dei scriptum, scilicet, ut ipsi volunt, addendum est. Ineptissime. Primo, quia dum illo etiam posito volunt oppugnare Catholicos, oppugnant ipsos Apostolos, à quibus Traditiones accepimus. Et nominatim Paulum, qui dixit: *Tenete Traditiones, quas accepistis.* Oppugnant Augustinum, & alios Patres, qui Traditiones amplexi sunt. Oppugnant seipso, quia & ipsi, ut loquitur Kemnitius, Traditionem de Scriptura, de Exorcismo, & plures alias reverenter accipiunt. Si ergo Catholicci peccant, admitendo Traditiones, peccant etiam Apostoli, Patres, Lutherani ipsi; aut si hi innocentes sunt, cur illi dam-  
nantur?

**25.** Deinde: non intelligunt sensum allati testi-  
monii ex Deut. Sensus colligitur ex illo contextu, qui  
sic habet: *Et nunc Israël audi præcepta, & iudicia, quæ*

ego doceo te, ut faciens ea, vivas: & ingrediens possidens terram, quam Dominus DEUS Patrum vestrorum daturum est vobis. Non addetis ad verbum, quod loquerer, nec auferetis ex eo. Custodite Mandata Domini DEI vestri quæ ego præcipio vobis. Quasi dicat: Ego do vobis pracepta ceremonialia, & judicialia, quæ debetis integræ & perfectè servare. Hoc enim significat illa phrasis non addetis, nec auferetis. Quod quidem aliis verbis, sed tamen eodem sensu explicatur alibi, cum dicitur: Non declinabitis ab eis vel ad dextram, vel ad sinistram, ut Deut. 17 v. 19. & 20. Discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias ejus; neque declinet in partem dextram, vel sinistram. Et cap. 28, v. 13. 14. Si audieris mandata Domini DEI tui, quæ ego præcipio tibi hodie, ac non declinaveris ab eis, neque ad dexteram, neque ad sinistram &c. Et cap. 31. v. 29. Nodi, quod post mortem meam inique ageris, & declinabis citè de via, quam præcepi vobis. Et Josue 1. v. 7. Confortare, & esto robustus valde, ut custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus, ne declines ab ea ad dextram, vel ad sinistram.

26. Igitur hæc tria idem valent. 1. Integrè, & perfectè servare præcepta Mosaica. 2. Non declinare ab eis, vel ad dextram, vel ad sinistram. 3. Nihil in eorum observatione vel addere, vel detrahere. Quod non sic intelligendum (aliо qui non licuisset addere præcepta Evangelica, de fide Trinitatis, de Baptismo, de Eucharistia) sed quod præcepta Mosaica, in sua observatione non sint corrumpenda, vel additione, vel detractione; sed integrè custodienda. v. g.. Erat præceptum Mosaicum: Mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, & die octavo circumcidetur infantulus. Levit. 12. 2. 3. Ad hoc præceptum non licebat nec ante, nec post diem octavum circumcidere infantulum: nec immunditia matris poterat paucioribus, vel pluribus diebus durare, quam septem. Eadem est ratio de aliis præceptis, ut videbimus in sequenti objectione.

27. Hinc patet testimonium Deuteronomii, quod cunctopere urgent Adversarii, nihil ad rem facere: nisi velint sic argumentari: *Judei debebant perfectè, & integrè se dare præcepta Mosaicæ; ergo Christiani non debent admittere Traditiones Apostolicas, sed solum Scriptura esse contenti.* Quæ sane consequentia absurdæ, & ridicula est, ut omnes vident. Ut tamen res fiat clarior, quæro ab Adversariis, an ipsi putent, hoc testimonium pertinere ad solum Judæos, an etiam ad Christianos? si pertinet ad solum Judæos, cur adducitur contra Christianos? aut cur volunt Lutherani, & Calvinistæ, ut nos ad illud servandum obligemur? si etiam pertinet ad Christianos, cur Adversarii non servant præcepta Mosaicæ? cur non circumcidunt se? cur alias cæremonias legales intermittunt? cur denique sicut contra nos urgent illam particulam: *Non addetis; non similiter contra se urgenter alteram: Non auferetis;* hic hærent.

## ANIMADVERSIO.

(a) **A**nti-Becanus hunc fractum malleum reparavit hoc modo: cui nihil debet addi, vel demi, id continet omnia ad salutem necessaria; at Scripturæ Sacré nihil debet addi, vel demi. *Deut. 4. 2 & 12. 32.* ergo continet omnia, &c. R. 1. Mogunt, nimium probas: quia hinc sequitur, Deuteronomio omnia ad salutem necessaria contineri. Imò quovis versu Scripturæ Sacré; quoniam nulli eorum fas est aliquid demere, vel addere. R. 2. Majoris prædicatum ly continet omnia distinguendo sic: continet omnia vel generaliter solum, vel etiam specialiter, vera est major: ad min. At Sacra Scriptura continet omnia ad salutem necessaria specialiter, falsum est: generaliter, verum est. O mallei redintegrate! ubi distinguendo manisti? peristi, & hoc Doctor Anti-Becane non prævidisti? Dicunt Catholicæ: omnia ad salutem necessaria generaliter, confusè, & abstractè, indistinctè contineri, & dici, non specialiter, individuè, distinctè, & expresse. Contra hoc age Anti-Becane, & agere est animus.

## Objecțio II.

28. **S**ecunda sumitur ex illo *Deut. 12. 32.* *Quod tibi præcipio, hoc tantum facio Domino; nec addas quicquam, nec minuas.* Hinc iterum colligunt Adversarii, omnes Traditiones, & præcepta humana

esse irrita, & contemnenda. Quare? Quia hoc tantum faciendum est, quod Deus præcepit: ergo quod homines præcipiunt, faciendum non est: non minus inepte, quam supra. Primo, quia si omnia præcepta humana sunt irrita, & contemnenda; quid dicemus de Judæis, qui accuratè servarunt præceptum de festo Encœniorum, quod non erat divinum, sed humanum? Quid de Rechabitis, qui accuratissime servarunt præceptum Parentis sui Jonadab de perpetua abstinentia à vino? *Jerem. 35. v. 6.* Quid de Apostolis, qui in Concilio Hierosolymitanorum præceperunt abstinentiam à sanguine, & suffocato? *Act. 15. v. 29.* Quid de Paulo, qui distinguit inter sua, & Christi præcepta? *1. Corinth. 7. v. 12.* Quid de Magistratibus, qui fingunt mandata humana ad conservandam pacem, & justitiam in republica? Quid denique de ipsis Adversariis, qui in Synodis, & conciliculis suis condunt leges, & statuta Ecclesiastica, quæ ab omnibus observari volunt?

29. Secundò, sensus illius loci non est ille, quem fingunt Adversarii, sed longè alias; nam sicut in præcedenti testimonio agebatur generatim de præceptis Mosaicis integrè observandis; ità hic agitur speciatim de uno præcepto sacrificii integrè observando. Textus sic habet: *Quando disperdiderit Dominus DEUS tuus gentes ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaveris in terra earum; cave, ne imiteris eas, & requiras ceremonias earum, dicens: sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ità & ego colam.* Non facies similiter Dominino DEO tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facit Domino; nec addas quicquam, nec minuas.*

30. Sensus est: quando veneris in terram Palæstinae, ad quam intendis, & obtuleris Domino Deo tuo sacrificium; non imitaberis gentiles, qui falsis Diis offerunt suos filios, & filias per ignem; sed hoc tantum offeres, quod ego tibi præcipio: nempe, ex animalibus: oves, capras, hædos, boves, vitulos, columbas, passer,

ses, tortures. Ex fructibus terræ: panem, fūmam, salēm, thus, manipulom spicarum vircentium, & triticum. Ex liquoribus: sanguinem, vinum, ol̄um, aquam. *Hoc tantum facio, id est: offerto Domino.* ( nam FA-  
CERE in hoc sensu à Latinis accipi pridem monstratum  
fuit ) Nec addas quicquam ex sacrificiis gentilium: nec  
minus ex eis, quæ jam numerata sunt.

31. Quid hic concludant Adversarii? non video, nisi sic inferant: Judæi debebant ea tanūm offerre in sacrificium, quæ à DEO erant determinata; ergo Christiani non debent servare præcepta humana, sive civilia, sive Ecclesiastica: Spectatum admissi rīsum teneatis amici. (a)

### ANIMADVERSIO.

(a) **Q**uid hic Anti-Becane? tela fracta salivā allionne, & plebæculæ ignarze rerum gestorum ea uī hastas, & macheras novas, terribilesque ostentant, rupturam easum manu tegunt, vel fibulis vestunt. Videri potest pro ea in dutria Lini. Textina Calvinizna P. Jodoci Kedd. Mysterium fraudis. Auctore P. Hieron. Mülmanno, &c.

### Objecțio III.

32. **T**ertia sumitur ex illo Galat. 1. v. 8. 9. *Licit nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Et infra: *Si quis evangelizaverit vobis præter id, quod accipisti, anathema sit.* Ergo inquit Adversarii, præter Evangelium non licet admittere Traditiones. Respondeo 1. Hæc objecțio retorqueri potest in Adversarios hoc modo: Si quis euangelizaverit vobis præter id, quod Apostolus euangelizavit, anathema sit: Adversarii euangelizant aliquid præter id, quod Apostolus euangelizavit, quia oppugnant Traditiones contra id, quoq; Apostolus dixit: *Tenete Traditiones.* Ergo anathema hinc.

33. Respondeo 2. Ex scopo Apostoli æstimandum est, an damnentur Traditiones, nec ne. Scopus Apostoli est hic: Galatæ docti erant à Paulo, cærimonias Legi: Mosaicæ abrogatas esse, & neminem posse per hujusmodi cærimonias justificari, sed per fidem in Christum.

stum. cap. 2. v. 16. Ab hac doctrina fuerunt postea abduoti per quosdam falsos Apostolos, qui docebant: eos non posse salvari per fidem in Christum, nisi simul circumciderentur, & alias cæremonias Mosaicas observarent. cap. 1. 6. & cap. 3. v. 1. & cap. 4. v. 9. & c. 5. v. 1. Contra hujusmodi falsos Apostolos agit Paulus, cum ait: *Si quis euangelizaverit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit.* q. d. Accepistis à me hominem justificari per fidem in Christum, non autem per observantiam Legis Mosaicæ; si quis aliter vos instruit, anathema sit. At hinc non sequitur, Traditiones Apostolicas esse rejiciendas, sed potius conservandas; quia non sunt præter, aut contra id, quod Paulus euangelizavit Galatis de justificatione; sed potius sunt id, quod ipse Thessalonicensibus euangelizavit, cum dixit: *Tenete Traditiones, quas didicistis.* (a)

### ANIMADVERSIO.

(a) **P**radicantes indefinenter jactant verbum DEI, Biblia, Scripturam, & inter cætera etiam sententiam, quam hic adeò clarè Beccanus retoqueret in ipsos, & exponit; illi nihilominus ut toti Bibliaci fratres videantur, uti uxores eorum Bibliæ sorores, idem cantant, recantant. Ad solutiones Catholiconum nihil. Quare? nequeunt. Quam verò false, & fidei Scripturam Sacram clament, nihil minus, quam Scripturam prædicando: clarè docet Mysterium Fraudis eorum à P. Hieronymo Mülman vulgatum.

### Objectio IV.

34. **Q**uarta sumitur ex illo Apocal. 22. v. 18. 19. Contestor omni audienti verba prophetæ libri hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponet DEUS super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetæ hujus, auferet DEUS partem ejus de libro vita. Ergo non licet apponere Traditiones. Respondeo. Hoc testimonium condemnat Lutheranos, qui non solum diminuunt de verbis libri prophetæ hujus, sed totum librum suspectum habent, nec eum pro Canonico, sed pro apocrypho agnoscunt; non tamen condemnat Traditiones, quia non prohibet, ne præter prophetiam Apocalypticam admittatur aliquid aliud

stum. cap. 2. v. 16. Ab hac doctrina fuerunt postea abduiti per quosdam falsos Apostolos, qui docebant: eos non posse salvati per fidem in Christum, nisi simul circumcidarentur, & alias cæremonias Mosaicas observarent. cap. 1. 6. & cap. 3. v. 1. & cap. 4. v. 9. & c. 5. v. 1. Contra hujusmodi falsos Apostolos agit Paulus, cum ait: *Si quis euangelizaderit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit.* q. d. Accepistis à me hominem justificari per fidem in Christum, non autem per observantiam Legis Mosaicæ; si quis aliter vos instruit, anathema sit. At hinc non sequitur, Traditiones Apostolicas esse rejiciendas, sed potius conservandas; quia non sunt præter, aut contra id, quod Paulus euangelizavit Galatis de justificatione; sed potius sunt id, quod ipse Thessalonicensibus euangelizavit, cum dixit: *Tenete Traditiones, quas didicistis.* (a)

### ANIMADVERSIO.

(a) **P**radicantes inde sinenter jactant verbum DEI, Biblia, Scripturam, & inter cætera etiam sententiam, quam hic adeò clarè Beccanus retorquet in ipsos, & exponit; illi nihilominus ut toti Bibliaci fratres videantur, uti uxores eorum Bibliastice sorores, idem cantant, recantant. Ad solutiones Catholicon nihil. Quare? nequeunt. Quam vero false, & fidei Scripturam Sacram clament, nihil minus, quam Scripturam prædicando: clarè docet Mysterium Fraudis eorum à P. Hieronymo Mülman vulgatum.

### Objectio IV.

34. **Q**uarta sumitur ex illo Apocal. 22. v. 18. 19. Contestor omni audienti verba prophetiae libri hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponet DEUS super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae hujus, auferet DEUS partem ejus de libro vita. Ergo non licet apponere Traditiones. Respondeo. Hoc testimonium condemnat Lutheranos, qui non solum diminuunt de verbis libri prophetiae hujus, sed totum librum suspectum habent, nec eum pro Canonico, sed pro apocrypho agnoscunt; non tamen condemnat Traditiones, quia non prohibet, ne præter prophetiam Apocalypticam admittatur aliud aliud

aliud (alioqui non licet addere prophetias Isaiae, Jeremias, & aliorum Prophetatum veteris Testamenti, nec item Evangelia, Epistolas, Symbolum fidei) sed solum prohibet, ne verba prophetae Apocalypticæ ab aliquo depraventur, quod duobus modis fieri posse insinuat. Primo, additione; ut si quis apponat aliquid ad prophetiam Apocalypticam, quasi pars illius sit, quæ relevia non est. Secundo, diminutione; ut si aliquid detrahatur, quasi ad illam non pertineat, quod revera pertinet. Neutrum faciunt Catholicæ.

35. Exemplò rem declarabo: Prædicit Joannes cap. 11. fore aliquando, ut veniant duo Prophetæ amicti fascis, qui prophetabunt diebus 1260. & habebunt potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetæ ipsorum, & potestatem convertendi aquas in sanguinem, &c. Ad hanc prophetiam nihil addunt Catholicæ, quod ad eam non pertineat, nec auferunt aliquid, quod ad eam pertineat; sed relinquunt integrum, sicut à Joanne prescripta est. At contra faciunt Adversarii, qui dicunt hos duos Prophetas suisse Lutherum, & Calvinum. Nam qui hoc dicunt, necessariò diminuunt de verbis prophetæ hujus; cum constet Lutherum, & Calvinum non suisse amictos fascis nec habuisse potestatem claudendi cælum, ne plueret. Et quæ ibidem sequuntur.

### Objec̄tio V.

36. **Q**uinta sumitur ex illo 2. Tim. 3. v. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum instruendus. Ex quo loco dupliciter argumentantur Adversarii. Aliqui sic: Omnis Scriptura est utilis ad docendum, & arguendum; ergo supervacaneæ sunt Traditiones. Perinde, ac si dicas: Omnis cibus est utilis ad nutriendum; ergo supervacaneus est pótus. Vel: Omnis eleemosyna est utilis ad salutem. Lyc. 11. v. 41. & Daniel. 4. v. 24. Ergo supervacanea Sacra menta. Miseret me horum hominum.

37. Alii sic: Omnis Scriptura est utilis, id est, sufficiens; ergo supervacaneæ Traditiones. Sed quæ hæc interpretatio est? an idem sunt, utilem esse, & sufficientem esse? Si idem sunt; jam illud 1. Timoth. 4. v. 8. *Pietas ad omnia utilis est,* licebit sic interpretari: Pietas ad omnia sufficiens est; ergo reliqua omnia supervacanea sunt. Et similiter illud 2. Timoth. 4. v. 11. *Marcum assume.* & adhuc tecum; est enim mihi utilis ad ministerium; id est, sufficiens; ergo Timotheus, Titus, Onesimus, & alii supervacanei sunt. Quis non videt, si hæc licentia interpretandi Scripturam semel admittatur, totam corrumpi, & adulterari posse?

38. Sed ut clarius res ipsa percipiatur, textus Apostoli considerandus est. Igitur Apostolus in citato capitulo horratur Timotheum & p̄scopum, ut suos subditos instruat in fide, & bonis operibus, & redarguat Adversarios, qui corrupti mente, & reprobi circa fidem, resistunt veritati. Et ut ostendat eum id posse præstare, subdit: *Iu verò permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens, à quo didiceris:* Et quia ab infancia tua sacras literas nōsti que te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo JESU. Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, &c. Ubi per sacras literas, quas ait Timotheum ab infancia novisse, intelligit Scripturam veteris Testamenti. Nam eo tempore, quo Timotheus erat infans, nondum existabat Scriptura novi Testamenti.

39. Apostolus ergo, in illo textu, sic argumentatur: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendos subditos, & redarguendos Adversarios. At Scriptura veteris Testamenti, quam ab infancia didicisti, est divinitus inspirata; ergo est utilis ad docendos subditos, & redarguendos Adversarios. Cùm ergo cognitione ilius Scripturæ instruatus sis, magnum ex ea præsidium habes ad præstandum; quod dixi.

40. Ex eodem principio licebit sic concludere: Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, & argendum. At Scriptura novi Testamenti est divinitus inspirata; ergo est utilis ad docendum, & argu-

arguendum. Qui ergo cognitione hujus Scripturæ instrutus est, magnum ex ea præsidium habet ad utrumque præstandum.

41. Porro ex utroque discursu patet: has tres propositiones veras esse secundum Apostolum. 1. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, & arguendum. 2. Scriptura veteris Testamenti utilis est ad docendum & arguendum. 3. Scriptura novi Testamenti utilis est: id docendum, & arguendum. Sicut ergo non equitur: Scriptura veteris Testamenti utilis est; ergo Scriptura novi Testamenti est supervacanea. Nec contra: Scriptura novi Testamenti est utilis; ergo Scriptura veteris Testamenti est super vacanea. Sic etiam non sequitur: utraque Scriptura est utilis; ergo Traditione est supervacanea. Alioqui supervacaneum esset, quod dicit Apostolus: *Tenete Traditiones.* (a)

## ANIMADVERSIO.

(a) **H**ec objecio est Achilles hereticorum; itaque eum sepe peremptam resuscitant cum Anti-Becano, & vestiunc. Quomodo? vide sic: Quod ad omnes Sacri Ministerii functiones est utile, ut sit homo DEI perfectus, & ad omne opus bonorum perinde instructus, id continet omnia ad salutem necessaria; atque Scriptura Sacra ad omnia est utilis, teste 2. Timoth. 3. v. 16. ergo continet omnia ad salutem necessaria. Ecce ibi est vestitus Achilles, repositus à Prædicantibus in curru suo, vide nunc, ut iterum coeruat. Moguntini eum distinguendo sequant medium. Ajunt uti ante: Scriptura Sacra est utilis generaliter, confusè, indistinctè ad omnia ista, conc. Nondum audis? Specialiter, distinctè, individualiter, neg. Nec hoc audis? contra hoc agit, nec recanta roties cantata, & prostrata; quasi novam musicam, nisi Minister fraudis velis audire. Sed adhuc habet alia arma Anti-Becarus. Quae? videamus ista. 1. In quo habemus vitam, hoc continet omnia ad salutem necessaria; at in Scriptura Sacra habemus vitam æternam. Joan. 5. v. 39. Scrutamini &c. ergo. Quid hic Catholici faciant? Scrutentur, textum legant, & non credant citanti Scripturam prædicanti. Quid igitur ait? scilicet, Christum dixisse Judæis: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Vides Catholice, qui hoc præparerint? Video. Vidēsne, etiam, qui illos sequantur? adverto quoad hoc. Adversari etiam quoad alterum. Ibid. v. 40. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Verissime: dum Scripturas de Christo scrutantur sine humilitate Christi, Christum ipsum superbè predunt. Audiant

S. August. ad illa S. Joan. terba commentantem: *Veni mecum* (Anti-Becane) si vixi, super petram; & noli mibi esse velle pro petra. 2. Ait Anti-Becanus: quo omnia dogmata fidei confirmari, & haeretici confutari debent, ut regulâ fidei, id continet omnem veritatem; Scriptura Sacra talis est; ergo. Respondent Catholici, ut ante distinguendo: continet omnem veritatem specialiter, & distinctè, neg. Generaliter, & confusè, conc. Et sic evanescit terrificus iste syllogismus. Moguntini id satis pulchre declarant, ostendentes: ne quidem mysterii maximi in essentia unitatem, in Personis Trinitatem ex solis Scripturis sine Traditione distinctè posse probari. Tenta, si ausis; sed ciuius Turca evades cum illis Prædicantibus, de quibus Schola Jesuitica pag. 102. 103. &c. quam ex sola Scriptura id demonstres.

3. At Traditiones sunt incertæ, ait Anti-Becanus: R. Catholicus, si de qualitate hoc ait, falsum dicit, Apostolicæ parrem cum Scriptura Sacra certitudinem habent; quia ab eadem autoritate ortas sunt. Si de numero, ignorantiam tuam ipse fateris; Ecclesia Christi non ignorat, quot habeat Traditiones. De catalogo per Becanum tibi sexto conveni prius; de cæteris studieris in Schola Jesuitarum, cum Hulio Wesalio Prædicante, 4. Non potest populo constare, quæ sit vera Traditio. R. Catholicus: Si difficile, & ambiguum apud te judicium perspexeris, &c. Surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus DEUS tuus, (olim Hierosolymam, nunc Romam) veniesque ad Sacerdotes Levitici generis (tunc, nunc secundum Ordinem Melchisedech) & Judicem, qui fuerit illo tempore (nunc Clementem XII.) quereresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies, quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, &c. Ecce emplastrum universale, amplum, aptum omnem ignorantiam sanare. Deut. 7. v. 9. &c. utere, sanus eris, probatum est.

### Objectio VI.


42. **S**exta sumitur ex illo Matth. 15. v. 6. Irritum fecisti mandatum DEI propter Traditionem vestram. Ex Coloff. 2. v. 8. Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum Traditionem hominum. Et 1. Petr. 1. v. 18. Redempti estis de vana vestra conversatione paterna Traditionis. Hinc colligunt Adversarii, omnes Traditiones à Christo,

&amp;c

& Apostolis damnatas esse. At non recte: nam Christus, & Apostoli solum loquuntur, vel de Traditionibus Iudeorum, quibus Pharisæi male utebantur, ut supra explicatum est: vel de Traditionibus gentilium, quæ fidei Christianæ repugnabant. At tales non sunt, quas hoc loco nos defendimus. Nos defendimus divinas, & Apostolicas, quæ supra enumeratae sunt.

## ANIMADVERSIO.

(a) **A**nti-Becanus sit nihilominus, Traditiones admittent falsitatem. Catholicus de ab Ecclesia approbatis, negat; de aliis non approbatis, concedit. Quid lucri fecisti? Si hoc scisti, cur tibimet non respondisti? si ignorabas tantillam rem, Magistri, & Doctoris nomen quomodo tueberis? At res non scriptæ non possunt conservari per multa saecula, ait Anti-Becanus. O grave dictum! ubi scriptum est? quomodo oporteat cochlear ad os deducere, ut edas, & talia innumera? & numquid filii Adam didicere esum tot saeculis? & numquid cœlum interiasset, si nemo de cœlo scripsisset? quid videtur? magna recordia in Prædicante, qui callens Scripturas, nescit Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, ei Spiritum Sanctum docentem omnem veritatem, iusq; ipsum Christum illi adesse usque ad consummationem. Sed pergamus nunc Becanum audire.



## CAPUT III.

*De Ecclesia.*

**E**cclæsia Christi, ut dicam cap. 5. est Judex controversiarum fidei, ac religionis. Sed non potest esse sufficiens Judex, nisi habeat tres conditiones. 1. Ut sit visibilis; nam si esset invisibilis, non posset nobiscum visibiliter agere, & nostras controversias viva voce dirimere. 2. Ut sit infallibilis; nam si esset fallibilis, posset errare in dirimendis fidei controversiis, ac proinde nunquam essemus tuti in fide. 3. Ut sit nota; nam si esset incognita, non possemus ad ipsam, tanquam ad Judicem confugere. Igitur haec tres conditiones hoc ordine explicandæ sunt: 1. Ecclesiam Christi esse vi-

bilem. 2. Unam, sanctam, Catholicam, Apostolicam, Sponsam Christi, Domum DEI, Columnam, & firmamentum veritatis. 3. Extra illam neminem salvari poss. 4. Eandem in fide non posse deficere, aut errare, ac proinde securos esse, qui illius sententiam sequuntur. 5. Hanc visibilem Christi Ecclesiam non esse aliam, quam Romanam, seu Pontificiam, quae toto orbe diffusa est.

### ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becano methodus praedicta non placet. Quare? quia Becanus nimis laxè agit de Ecclesia, & nimis strictè. Itane? Ita sit Prædicator; qua ratione? id ipse dicat, nec dicit, nec scit; puto: acu tangeret veritatem, qui diceret, Anti-Becanum affectu agere, non intellectu; ex quo etiam Be canum identidem vocat Sophistam ipse Sophistarum alpha: nam rationem ejus nominis in Becano nullam invenit, in se copiosam, ut videbimus: quam ut Recani Lector agnoscat sciendum est: Calvinistas modernos duas in mente fixisse Ecclesias: unam visibilis, defectibilem; alteram invisibilis, & stabilem: ex quarum una in alteram, ut libet, defiliunt, uti rane, terris æquæ, atque aquis assuetæ.

### CONCLUSIO I.

*Ecclesia Christi in terris visibilis, & conspicua est.*

**H**anc concedunt præcipui Adversarii, præfertim Calvinus lib. 4. Instit. c. 1. s. 2. ubi ex professo disputat de Ecclesia visibili; & Philippus Melanchthon in Examine ordinandorum, titulô de Ecclesia, ubi sic ait: *Ecclesia visibilis in hac vita est cætus visibilis amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, & rectè utentium Sacramentis, in quo cætu Filius DEI efficax est, & multos regenerat ad vitam æternam.*

2. Et res certa est: Primo: quia illa Ecclesia necessariò visibilis est, in qua Episcopi, & Pastores visibiliter debent gubernare suos subditos, visibiliter docere, hortari, Sacmenta administrare, peccantes corripere, contumaces ab aliorum communione separare. Et vicepsim, ubi subditi debent agnoscere suos Pastores, eorum monitis obtemperare, instructionem, & Sacramen-

ta ab eis percipere. At hæc omnia sunt in vera Christi Ecclesia; ergo vera Christi Ecclesia non cessiterè visibilis est. Minor patet ex Scripturis. Matth. 18. v. 17. Dic Ecclesia, si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Erasmus, & Publicanus. Et Act. 20 v. 28. Attendebois, & universo gregi, in quo nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI. Et Hebr. 13. v. 17. Obedite Præfatis vestris, & subiecete eis. Ipsi enim per vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Et alibi.

3. Secundò: illa Ecclesia necessariò est visibilis, in qua publicè indicuntur, & celebrantur Concilia, sanciuntor Canones, dirimuntur controversiae de fide, ac religione. Hæc omnia sunt in vera Christi Ecclesia; nam Apostoli indixerunt Concilium Hierosolymitanum, in quo hæc constitutio facta est: Viximus est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hoc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacorum, sanguine, & suffocato. Act. 15. v. 28. 29. Et post tempora Apostolorum celebrata sunt Concilia Generalia: Nicenum, Constaninopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, quæ etiam ab Adversariis, tanquam legitima admittuntur.

4. Tertio: Christus in Evangelio comparat Ecclesiam suam sagena missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti; comparat convivio nuptiali, ad quod boni, & mali vocati sunt; comparat decem virginibus, quarum quinque prudentes sunt, quinque fatuæ; comparat ovili, in quo reperiuntur oves, & hædi. Hæc non possunt intelligi nisi de Ecclesia visibili; nam Adversarii, qui agnoscunt duas Ecclesiæ, unam visibilēm, alteram invisibilem, sic eas inter se distinguunt: quod in hac sint soli prædestinati, in altera boni, & mali permixti. At in Ecclesia, de qua Christus loquitur in supradictis parabolis, sint boni, & mali permixti; ergo loquitur de Ecclesia visibili: loquitur autem de vera Ecclesia: Vera igitur Ecclesia visibilis est.

5. Quartò: Idem à Propheta prædictum est: Psal. 18. v. 6. In sole posuit tabernaculum suum, id est; ut ibi-

ibidem explicat Augustinus: *In manifestatione nosuit Ecclesiam suam, non in occulto.* Et Epist. 166. ad Donatistas: *Ipsa est Ecclesia in sole posita, id est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terrae.* Eodem spectat illud Christi, Matth. 5. v. 15. 16. Non potest civitas abscondi supra montem posita; neque accendunt lucernam, ut ponant eam sub modio, sed super candelabrum, qui in domo sunt. Ubi per civitatem, quæ abscondi non potest, & per lucernam, quæ omnibus lucet, intelligitur Ecclesia Christi. Unde idem Augustinus in libro de unitate Ecclesiæ cap. 16. Non est, inquit, operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed supra candelabrum. Et de illa dictum est: Non potest civitas abscondi supra montem posita. Sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida, & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere. Et Epist. 170. ad Severinum: *Facile tibi est attendere, & videres civitatem super montem constitutam.*

6. Quinto: Idem constat ex Symbolo fidei, ubi sic dicimus: *Credo Sanc̄tam Ecclesiam Catholicam.* Quod de visibili Ecclesia intelligendum esse, non solum docent Catholici, sed etiam multi ex Adversariis, præsertim Calvinus lib. 4. cap. 1. §. 2. & Melanchthon loco supra citatō. Itaque dāri Ecclesiam visibilem, est articulus fidei secundūm Adversarios. Et rectè: nam licet exteris oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflata est Ecclesia visibilis, tamen quod in ea multitudine sit vera doctrina Christi, & Apostolorum, hoc non videmus, sed credimus. Unde visibilis Ecclesia, partim cadit sub externos oculos, partim sub internam fidem. Externis oculis videmus homines, qui in Ecclesia sunt: interna fide credimus, veram Christi doctrinam apud eos tradi, & conservari.

7. Hinc solvit vulgare illud sophisma: *Quod fide credimus, non est visibile; Ecclesiam fide credimus; ergo Ecclesia non est visibilis;* nam major propositio sic debet intelligi: quod fide credimus, non est visibile ex ea parte, qua sub fidem cadit; tametsi possit esse

visibile ex alia parte, qua sub fidem non cedit. Hujus rei varia extant exempla: Apostoli in Christo videbant humanitatem, credebant divinitatem. In Baptismo videmus externam aquam, & ablutionem; credimus internam vim regenerandi, & peccata abluendi. In Codice Bibliorum videmus chartam, Scripturam, & Codicem ipsum; credimus, quod in eo continetur, esse verbum DEI. Idem dico de Ecclesia: Est aliquid in ea, quo credimus: est aliquid, quod videmus. Credimus veram esse doctrinam, quae in Ecclesia traditur. Videmus homines, externos ritus, & Sacra menta, quae in Ecclesia sunt; vel materiale videmus, formam internam non videmus.

8. Accedit consensus Patrum. Omnes, qui de hac re ex professo scribunt, Ecclesiam visibilem esse affirmant. August. (ut omittam testimonia ipsius supradictata) Epist. 166. ad Donatistas sic habet: *In Scripturis didicimus Christum: in Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus: quare non in eis Christum, & Ecclesiam communiter retinemus?* Et post multa: *Ecce Scripturae communes: ecce ubi novimus Christus, ubi novimus Ecclesiam; si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis? si in ipsum Christum, quem legitis, & non videtis, tamen propter Scripturarum veritatem creditis; quare Ecclesiam negatis, quam & legitis, & videtis?*

9. Et ne longus sim in enumerandis aliis Patribus, omnes illi supponunt Ecclesiam esse visibilem, qui recentent ordine Successores Petri in gubernatione Ecclesiae, ut Irenæus, Optatus, Augustinus, Epiphanius, & Eusebius Cæsariensis. Omnes item, qui fatentur ex Evangelio, bonos, & malos in Ecclesia permixtos esse; qui agnoscunt potestatem solvendi, ligandi, excommunicandi, quae nisi in Ecclesia visibili exerceri non potest. Denique, qui asserunt Ecclesiam sine prædicatione Evangelii, & Sacramentorum administratione, consistere non posse. Nec puto quemquam esse, qui hæc neget, si intelligat.

10. Conabor tamen clarius explicare: Ac primum quero: an Respublica Veneta, vel civitas Viennensis in Austria sit visibilis, nec ne? Omnes opinor visibilem esse concedant. At eadem est ratio de Ecclesia, quod sic ostendo: Tria spectari possunt in Ecclesia. 1. Multitudo, seu collectio eorum huminum, qui sunt in Ecclesia. 2. Externum regimen, quo Prælati Ecclesie gubernant suos subditos, docendo hortando, judicando, puniendo. Sacra menta administrando. 3. Interna fides, & charitas, quæ inter se utuntur. Eadem spectari possunt in Republ. Veneta, vel Civitate Viennenſi. 1. Multitudo, seu collectio eorum hominum, qui in Republ. vel civitate sunt. 2. Externum regimen, quod Magistratus politicus gubernat suos subditos. 3. Interna affectio, quæ isti inter se utuntur. Duo priora, tam in Ecclesia, quam in Republ. vel civitate sunt visibilia. Tertium utrobique est invisibile. Sicut enim externis oculis non possumus videre, an Christiani, qui in Ecclesia sunt, habeant internam fidem, & charitatem, sed propter externam fidei professionem id credo: sic etiam res habet in Republ. vel civitate. Video cives, qui in ea sunt, video externam politiam, & gubernationem; sed non video internum affectum, quem quisque habet, aut habere debet. Si ergo, eo non obstante, nihilominus civitas, vel Republ. verè dicitur esse visibilis; cur idem de Ecclesia dici non possit? nihil certius. Hinc facile diluuntur cavillationes, quæ objici solent. (b)

### ANIMADVERSIO.

(b) **A** Nti - Becanus sciens, quantum præsidii habeant in suis duplice Ecclesia ad saltandum, vel ambulandum; & vi- dius, becanum unam, tamque visibilem effaziter pro- bare, furiosè agit. Prescribit Becano, quod debet probare, Ec- clesiam nullo modo esse invisiabilem. O Alesto! non hoc debet; secundum quid invisiabilis est, nonne audisti num. 10. diserte di- centem: quod fides, spes, charitas fidelium Eccleæ est invisi- bilis? 2. Becanum ad examen vocat: Quomodo Ecclesia Christi ha- visibilis? tota, an pars? jam dixerat Becanus satis; nisi velles eum calvinizare, non faciet. 3. Dubitat de veritate majoris logismi, num. 2. positi, non sine suspicione eversæ mentis, cum palpabiliter sit vera. 4. Ait: officia à Becano recensita num. 2.

pertinere ad particulares Ecclesias, quæ tamen ad omnem perspicue spectant. 5. Ait: 4. terminos esse in syllogismo eodem, sed invenire ipse nescit. Ecce ita delirat, qui veritatem declinat. Verè in malevolam animam non intrat sapientia, &c.

## CONCLUSIO II.

*Hæc visibilis Ecclesia est una, sancta, Catholica, Apostolica, Sponsa Christi, Domus DEI, Columna, & firmamentum veritatis.*

11. **H**AUC etiam admittit Calvinus loco citatō. Et meritò; nam Scripturæ, Symbola fidei, & Patres passim ita docent. Dicitur autem Ecclesia *una*, propter unionem, & consensum eorum, qui in Ecclesia sunt. Omnes enim unam, eandemque fidem profitentur, juxta illud Apostoli Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Et qui recedunt ab hac fidei unitate, propriè Sectarii, & Hæretici appellantur. Itaque ad eam conservandam sœpè hortatur nos idem Apostolus, præsertim Rom. 16. v. 17. *Rege vos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula prater doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Et I. Corinth. 1. v. 10. *Obsecro vos fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et Hebr. 13. v. 9. *Doctrinis variis, & per regnus nolite abduci.* (c)

## ANIMADVERSIO.

(c) **A**NTI-BECCANUS nihil solidi habuit, quod unitati Ecclesie opponere, & quod suam dualitatem mundo ostenderet. Est enim dualitas ista tam falsa, quam ficta est duo ora habere Anti-Beccanum; novum, quo aliquando loquitur verum, & alterum, quo frequenter falso.

12. Dicitur *Sancta*, ob has causas: *Primo:* quia nemo in eam ingreditur, nisi per Baptismum ablatus, & sanctificatus. 1. Cor. 6. v. 11. *Hæc quidem fuisti, sed abluti, sed sanctificati es.* *Secundo:* Quia omnia ipsius instituta, cærimoniae, Sacramenta, & doctrina ad sanctitatem ordinantur. Eò enim spectant, ut vel sancti efficiamur, vel in sanctitate crescamus, & conseruemur.

**Tertid:** quia extra illam nulla potest esse sanctitas. **Quar-**  
**ted:** quia Christus, qui est Caput, & Sponsus Ecclesiæ, est  
 Sanctus Sanctorum. Addit Calvin. *liv. 4. Inst. c. 1. s. 17.*  
 vocari Sanctam, quia quotidie proficit in sanctitate, &  
 ad metam sanctitatis aspirat. Nec obstat, quod multi  
 mali sint in Ecclesia. Potest nihilominus vocari San-  
 cta, tum propter rationes allatas, tum etiam, quia mul-  
 ti in ea sancti sunt. (d)

### ANIMADVERSO.

(d) **N**ec contra sanctitatem Ecclesiæ potuit Anti-Becanus  
 rationabile aliquid afferre; præfertim cum Calvinistæ  
 se faciliter canonizent, & in SS. numero collocent,  
 quam Catholici. Hi enim multo vitæ examine utuntur; isti sic  
 se natos, imò ab æterno prædestinatione tales esse jactant; nam  
 omnia sua, & ipsorum celera regunt Christi meritis, quibus  
 Hierosolymæ olim positis hodie ipsi confimiliter sancti sunt, ac  
 Christus Dominus. Ita sentiunt, docent, & credere tenentur,  
 nisi crediderint ita, non censentur fideles. Videri potest Ca-  
 techismus reformatus, S. Heidelbergensis Ursini.

13. Dicitur *Catholica*, seu universalis, tribus de  
 causis. **Primò:** Ratione loci, quia per universum or-  
 bem diffusa est, *Marc. 16. 15.* *Euntes in mundum uni-  
 versum, prædicate Evangelium omni creatura.* **Secundò,**  
 Ratione temporis, quia semper durabit, *Dan. 2. v. 44.*  
*Suscitat Dominus cali regnum, quod in aeternum non  
 dissipabitur.* **Tertiò,** Ratione hominum salvandorum,  
 quia quotquot salvantur, in visibili Ecclesia salvantur,  
 & nullus extra eam salvare potest. (infra concl. sequenti)  
 Hinc patet discrimen inter Ecclesiam Christi, & Synago-  
 gam Judæorum. Hæc enim nullo istorum modorum  
 fuit Catholica, seu universalis. Non primò, quia non  
 fuit diffusa per totum orbem; sed per solam Palæstinam.  
 Nec secundò, quia non duravit, nisi certo tempore,  
 nempe usque ad mortem Christi. Nec tertio, quia  
 poterant salvare homines extra Synagogam, ut Ninivi-  
 tæ, & alii. (e)

### ANIMADVERSO.

(e) **A**nti-Becano nomen Catholicum est hoc loco fides in  
 oculis, unguis in uicere, &c. & qui initio sui Anti-Beca-  
 nismi aucupabatur nomen Catholicæ, hic illud oblitus  
 fui

sui opugnat; quomodo verò? Symbolo Apostolico mentitur ab Apostolis non esse appositum, aut ipsos apponendo errasse. Quis hoc? quia Apostolorum tempore nondum erat Catholicæ Ecclesia; & quare non? nondum toto orbe diffusa. Ecce acumen, quod tollitur mediis Articulus Fidei de Ecclesia. Eodem si pergit, tolleret integrum illum Carnis Resurrectionem. Quare? tempore Apostolorum nondum erat, nec adhuc est. Hanc sequelam acutam non vidit Anti-Becanus, Moguntici viderunt acutius ipso. Tu Catholice Lector definitionem Catholicæ nominis vide Animadversione 1. ubi demonstratum invenies ex Rom. 1. v. 8. quod tempore Apostolorum jam Romana Fides annuntiabatur in universo mundo contra Prædicantes. Itaque Anti-Becanus est mensurè suspectus de Christianæ fidei eversione; cum tam patenter Apostolorum Symbolum oppugnet, ac forte Atheismi, vel Mahomedismi, quem Catholicæ pridem timent à Calvinianis Prædicantibus inducebant. Hic Professor certè palam ostendit viam, & est in proxima dispositione cum suis sociis. Videatur Schola Jesuitica pag. 102. &c. Utinam Prædicans Actus Apostolorum cap. 2. considerasset, invenisset jam ipso die Pentecostes Ecclesiam Christi factam esse Catholicam, & mansisse exinde usque modò, & manuturam ad consummationem.

I4. Dicitur *Apostolica*, Primi: quia in Apostolis initium habuit. Secundi: quia ab Apostolis per orbem terrarum propagata est, Rom. 10. v. 18. In omnem terram exivit sonus eorum. Tertiù: quia sequitur doctrinam Apostolorum. Ad Gal. 1. v. 8. *Licet nos, aut Angelus de celo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Denique: quia retinet jurisdictionem semper per successionem Episcoporum ab Apostolis. Vide Tertullianum lib. de præscriptionibus adversus haereticos cap. 20. & duobus sequentibus. (f)

### ANIMADVERSIO.

(f) **A**Què Anti-Becanum vexat nomen Ecclesiæ Apostolica cum, atque Catholicum. Quare? quis conscius est sibi, & familiae suæ, quod non sit Apostolica; & quare non? quia ab Apostolis legitimæ spiritus consanguinitate non descendit. Et cur non? Patrem, & Matrem spiritualem non habet. Quare non? negavit Ecclesiam Catholicam, uti jam audivimus; non necessariò esse Apostolicam; etiam dixerit ait. Jam verò sententia est Cypr. August. infra citanda: Non habet DEUM Patrem, qui Ecclesiam non vult habere Matrem. At Anti-Becanus utique scriptis Apostolicis. Ita est: sed non satis hoc est; usu litterarum familie alicujus non continuò in genus,

& familiam eam adscisceris; fures eas sublegere possunt, & latrones rapere, non tamen ideo genus eorum, quorum litteras sibi rapsuerunt. Ostendat Anti-Becanus suam adoptionem, vel nativitatem in Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia; & credemus esse in ea natum; ostendar in ea professionem, & ostendar ab eadem Ecclesia commissionem munera alicuius sibi delegati; & credemus eum legitimè munus in ea administrare; hac commissione non probata, non est Prædicans ullus apostolicus, nec Christi missus, sed aliunde irrepeus, vel ascens spiritualis fuit, & spiritualis latro. At Prædicantes vocati sunt à Magistratu pagi, vel civitatis, aut à Synodo Prædicantium, aut à Consistorio, aut à populo ad concionandi munus. Nihil hoc est; nec singuli illi, nec simul habent potestatem à Christo constituendi missos Christi, nisi eam legitimè à temporibus Apostolorum sibi per manus traditam evidenter sciant, & probent.

Vide XII lepidos saltus VIII. Prædicantium, quos circa P. Jodoci Kedd Speculum Religionis desultarunt. Imò ipsorum Apollonianorum in Zelandia, & Vedelianorum in Frisia Prædicantium contra seipso schismatica, ac acerbissima scripta edita his annis in causa vocationis suæ, cum Vedeliani in Magistratum Politicum, Apolloniani in DEUM solum suam Ecclesiasticam potestatem reducunt. Similis viger, florētque in Anglia inter Independentes, & Presbyterianos. Hunc igitur idum declinare volens Anti-Becanus, negavit Ecclesiam esse Apostolicam, sed in caput suum.

15. Dicitur *Sponsa Christi*, quia Christus indissolubili vinculō eam sibi conjunxit, Oœæ 2. v. 19. *Sponsa boni te mibi in sempiternum.* Et Ephes. 5. v. 31. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhaerbit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramen-tum hoc magnum est: *Ego autem dico: in Christo, & Ecclesia.* Habet autem hæc Sponsa tria privilegia. 1. quod sit fœcunda. 2. quod semper virgo. 3. quod ex latere Sponsi progenita. Quæ tria simul sumpta nulli unquam Sponsæ obtigerunt. B. MARIA, Josephi Sponsa, fuit quidem fœcunda, & semper Virgo; non tamen è latere sui Sponsi progenita. Eva è contrario fuit ex latere Adami procreata, & fœcunda; non tamen semper Virgo. At Ecclesia, Christi Sponsa, omnia simul nata est. Ac primò: quod fœcunda sit, patet ex illo Galat. 4. v. 31. *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ.* Quod virgo, ex illo 2. Corinth. 11. 2. *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Quod ex latere Christi,

sti, colligunt plerique ex illo Joan. 19. v. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua.* Quomodo autem id intelligendum sit, dictum est alibi.

16. Dicitur *Domus DEI*, quia tametsi Deus ubique sit, ut ipsemet facetur apud Jeremiam c. 23. v. 24. *Caelum & terram ego impleo:* tamen peculiari modō habitat in Ecclesia, tanquam in domo sua propter specialem assistentiam, & gubernationem, ut *Concl. 5.* explicandum est. Hanc Domum ipse sibi aedificavit supra firmam petram, ut nunquam ruitura sit. *Mattb. 16. v. 18.* In hac habet dispensatorem familiæ suæ. *Luc. 12. v. 42.* In hac generat filios per Baptismum, instruit per prædicationem Evangelii, nutrit per Eucharistiam, sanat per Pœnitentiam, & Unctionem. In hac habet vasæ omnis generis, aurea, & argentea, lignea, & fictilia. *1. Timoth. 2. v. 20.* In hac celebrat convivium nuptiale. *Mattb. 22. v. 2.* Denique extra hanc neminem salvum esse vult, ut paulò post videbimus.

17. Dicitur *Columna, & firmamentum veritatis*, quia est columnæ firma, & stabilis, quæ a veritate deflectere non potest; & sua firmitate, ac stabilitate sustentat suos filios, ne à veritate aberrent. Adversarij paulò aliter explicant. Ajunt: Ecclesiam dici columnam, & firmamentum veritatis; vel, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, quam in Ecclesia, ut vult Beza in Commentario: vel, quia Ecclesia est fides custos veritatis Dei, ut interpretatur Calvinus lib. 4. t. *Instit. c. 1. §. 10.* Vel; ut loquitur in Commentario: *E Quia veritatem præconiō suo celebrat; quia puram, & finceram retinet; quia ad posteros transmittit;* vel denique, ut loquitur in cap. 43. *Ilaiæ v. 10. Quia veritatem tuerit, & propagat;* ut à posteris in omne adum colatur. Hæc omnia servient nobis pro §. Conclusione.

(g)

## CONCLUSIO III.

*Extra hanc visibilem Ecclesiam nemo potest salvare.*

18. **I**ta passim docent Patres: Augustinus lib. de Unitate Ecclesiae c. 15. *Ad ipsam vero salutem, inquit, ad vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum.* Habere autem caput Christum, nemo poterit. nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia. Et Epistol. 10. ad Bonifacium Comitem, sub finem: *Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cuius ille caput est, Salvator corporis sui.* Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus. Et paulo post: *Non habent itaque Spiritum Sanctum, qui sunt extra Ecclesiam.* Et Epist. 125. ad Donatistas: *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se videare existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Et S. Gregorius lib. 14. Moralium c. 2. *Sancta universalis Ecclesia prædicat, salvoari veraciter, nisi intra se, non posse, afferens: quod omnes, qui extra ipsam sunt, minimè salventur.*

19. Consentient Adversarii. Calvinus lib. 4. c. 1. §. 4. *Verum, inquit, quia non de visibili Ecclesia disserere propositum est, dicamus vel uno Matris elogio, quam utilis fit nobis ejus cognitio, immo necessaria; quando non aliis est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiatur in utero, nisi pariat, nisi alat suis umeribus; denique sub custodia, & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis.* Et paulo post: *Extra ejus gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nulla salus.* Et rursus §. 12. *Tria, inquit, hic nobis observanda sunt. Primum quantilibet sanctitate poleant filii DEI, hac tamen conditione semper esse, quamdiu in mortali corpore habitant, ut sine peccatorum remissione consistere nequeant coram DEO.* Deinde hoc beneficium sic esse Ecclesiae proprium, ut non aliter eo fruamur, quam si permaneamus in illius communione. Tertio, per Ecclesie Ministros, & Pastores nobis dispensari, vel Evangelii prædicatione, vel Sacramentorum administratione.

20. Et Philippus Melanchthon in Examine ordinandorum, titulō de Ecclesia: *Non loquimur . . inquit , de Ecclesia, ut de idea Platonica, sed monstramus Ecclesiam juxta dictum: Dic Ecclesiæ; hic necesse est intelligi visibilem Ecclesiam.* Et mox quærit: an necesse sit, singulos homines salvandos fieri cives hujus Ecclesiæ visibilis? Et respondet his verbis: *Prorsus necesse est.*

21. Ejus rei variæ assignantur causæ ab Augustino serm. 181. de Tempore. *Prima*, quia in sola Ecclesia immolatur hostia Redemptoris. *Altera*, in sola vinea laborantes mercedem denarii accipiunt. *Tertia*, omnes, qui extra arcam Noë (figuram Ecclesiæ) fuerunt, diluvio extincti sunt. *Quarta*, membrum quod non manet in corpore, vitam habere non potest. *Quinta*, ramus præcilius ab arbore non potest germinare. *Sexta*, rarus à fonte separatus arescit. Alii hanc addunt: Christus est Sponsus Ecclesiæ; at Christus non est adulter, nec generat filios ex adultera; ergo non generat filios, nisi ex Sponsa sua Ecclesia: nemo ergo filius Christi est, nisi Matrem agnoscat Ecclesiam. Huc spectat Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesiæ: cùm ait: *Non habet DEUM Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Et Augustin. lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 13. *Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum.* Nec habebit DEUM Patrem, qui Ecclesiam noluit habere Matrem,

22. Eodem pertinet vaticinium Isaiae cap. 60. v. 11. *Aperiuntur portæ tuae jugiter, die, ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim, & regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Quibus verbis duo prædicit: *Unum: quod Ecclesia Christi futura sit visibilis, quæ pateat omnibus gentibus, si velint intrare. Alterum: quod omnes sint perituri, qui eam ingressi non fuerint.* (g)

### ANIMADVERSIO.

(g) **A**nti-Becanis non placet assertio ita: *Extra Ecclesiam non posse quemquam salvare.* Et quare non placet? Quia ipsi volunt salvare, & sunt extra Ecclesiam. Quomodo igitur probant isti fictionem suam? Sic fere: Plato nactus scri-

pruram Sacram legit, & compungitor, & ingemiscit; immo aliquis de genere ejus ait: Entra Enotum miserere mei! Iste Philosophus non est, ajunt verbi Ministri: in Ecclesia visibili & facit ea, quae faciunt illi, qui sunt in Ecclesia visibili. Quid jam de eo fieri? damnabitur? At ingemuunt super se; salvabitur? At non est in visibili Ecclesia. Ecce hoc est grande argumentum Ministrorum contra visibilem Ecclesiam; quid ei opponet Catholicus? Hoe: Erratis, nescientes Scripturas. I. Joan. 5. v. 8. Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis, quodque DEUS Spiritu ingressos in Ecclesiam, solet etiam Angelis missis inducere per aquam, ut Act. 10. Cornelium, & Eunuchum, & alibi alios, ut essent quoque corporaliter in Ecclesia, extra quam non est salus.

## CONCLUSIO IV.

*Hæc visibilis Ecclesia non potest deficere, vel errare in fide.*

23. **H**æc Conclusio non debet intelligi de aliqua parte Ecclesiæ, sed de tota Ecclesia; nam certum est: aliquam Ecclesiæ partem, id est, aliquos Christianos errare posse, & re ipsa errasse. Erravit Arius, negans Christi Divinitatem. Erravit Macedonius, negans Spiritus Sancti Divinitatem. Erravit Nestorius, asserens duas in Christo personas. Errarunt Eutyches, & Diocorus, asserentes, unam in Christo naturam. Errarunt Pelagiani, negantes peccatum originale, & necessitatem gratiae. Errarunt Donatistæ, & alii plures. Qui omnes propter suos errores ab Ecclesia damnati, & tanquam putrida membra, abscessi sunt.

24. At quæstio est: an tota Ecclesia Christi, seu tota multitudo Christianorum, quatenus ex Pastoribus, & ovibus conflata est, possit errare in aliquo punto, vel articulo fidei? vel, ut clarius dicam: an CHRISTUS, qui Ecclesiam suam gubernat, permitturus sit, ut ipsa tota, quatenus tuto orbe diffusa est, publicè profiteatur aliquod dogma, quod sit contra fidem, vel Evangelium? Hic à nobis dissentijunt Adversarii. Ajunt: totam Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem, ac religionem, postea errasse, & multis seculis usque ad tempora Lutheri in errore persistisse: vel, ut alii loquuntur, totam periisse, & defecisse; non quod

quod perierint, aut defecerint homines, ex quibus constituta est Ecclesia visibilis; sed quod defecerit eorum fides, & sincera religio. Ita passim Lutherani, & Calvinistæ. (a)

## ANIMADVERSIO.

(a) ET quare quæso hoc de Ecclesia probrum dicunt verbi Ministri? quia id in votis habent, docente eos illo, qui expetivit Apostolos ad cibrandum, ut deficeret fides eorum, quod illi factum dicunt; hic expetivit. Sed numquid impetravit etiam non sanè; ille enim se opposuit expetenti, qui rogavit pro Petro, et non desiceret fides ejus ad horam in tanta tribulatione, in qua Pastor ipse percussus est; quia quod verbo videbatur negare, flendo visibiliter professus est, & non defecit. Quid igitur impellit Ministros, ut laudent eos, qui dicunt: Ecclesiam defecisse, & criminantur eos, qui id negant? sua voluntas; optant enim defecisse. Itane vero essent mali? Ita sanè: opera eorum testimonium perhibent nobis de ipsis, uti de Susanna & castæ criminatibus. Unde enim illi criminabantur castam? de suo corde; & quid erat in corde eorum? adulterium. Quale adulterium? exosum, an dictum? Utique dilectum; & hoc in casta tamen accusando culpabant, ipsi erant adulteri, erant apostatae à DEO, & adulterii team faciebant. Sic prouersus Ministri verbi, apostatae à DEO, & Ecclesia, Catholicam Ecclesiam apostatae damnant, dum eam, ut senes illi malè defecisse exoptant, quo speciem aliquam suæ reformationi fiducie possint obtendere incertis; sed Daniel deprehendit eos; dum enim Ecclesia illi criminatores examinantur, quomodo defecerit Ecclesia Christi? continuò inter se dissentit in sua accusatione noscuntur, & reperiuntur iudicium Schini, & Prini ex Dan. 13, v. 54. & 58. à Biblicis fratribus; inter quos denique etiam aliquis reportus est, qui pro fratribus suis Ecclesiæ accusatoribus auderet dicere: fieri eis injuriam eo, quod tententia discordium non recitetur concorditer. Ridiculum sanè postulatum est, postulare à Daniele, ut deprehensis tenibus nequam in mendacio discordi, ipse ex Schino, & Prino arboribus unam conflet arborem, quam mendaces senes nequidem unam mentiri potuerunt. Dicunt, & scribunt Prædicantes. Christi Ecclesiam totam defecisse, ut esse Reformatores ejus videantur; sed detectionem nunquam concorditer explicant, nec probant, quia mentiantur.

25. Sed manifestè refelluntur ex concessis. Primo: quia ipsi concedunt, esse articulum fidei, dari Ecclesiam CHRISTI visibilem, quæ sancta, & Catholica sit; & hoc sensu interpretantur illud, quod in Symbolo profitemur: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*, ut conclu-

lione secunda ostensum est. At articuli fidei semper sunt veri, nunquam falsi; ergo semper verum est: dicit Ecclesiam CHRISTI visibilem, quae sancta, & Catholica sit; ergo falsum est, totam Christi Ecclesiam visibilem, post primos quingentos annos defecisse, & multis seculis nullam suisse visibilem Christi Ecclesiam. Nam si ita esset, non licuisset tunc dicere: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.*

26. Secundò: Concedunt etiam Adversarii, Ecclesiam visibilem esse Sponsam Christi, ut conclusione tertia dictum est. Hinc formo duplex argumentum: unum ex parte Sponsi, qui indissolubili vinculo conjunxit sibi Ecclesiam visibilem, tanquam Sponsam perpetuam, ut explicat Apostolus, Epbes. 5. v. 31. Et prædictum est ab Osea cap. 2. v. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Ergo nunquam ab ea separari potest. Alterum ex parte Sponsæ quæ ad perpetuam subjectionem, & fidem conjugalem obligavit se suo Sponso, ut insinuatidem Apostolus, cum ait: *Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis subditæ sint in omnibus.* Quasi dicat: Ecclesia est norma, seu exemplar subjectionis, & fidelitatis, cui mulieres conformare se debent. At non esset norma fidelitatis, si post aliquos annos deficeret à suo Sponso, & fieret adultera. Unde Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ. *Adulterari non potest Sponsa Christi; incorrupta est, & pudica.*

27. Tertiò: Ecclesia visibilis est Domus Dei, de qua Christus in Evangelio, Matth. 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meum, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ubi duo promittit: Primò: quod velit Ecclesiam suam ædificare super petram. Secundò, quod portæ inferi non sint eam expugnaturæ. In utroque alludit ad id, quod Matth. 7. v. 24. dixerat, sapientem architectum esse, qui ædificat domum super petram: stultum, qui super arenam. Causam addit: quia, quando oritur aliqua vehementer tempestas, mox corruit illa, quæ super arenam: non altera, quæ super petram fundata est. Christus ergo voluit imitari sapientem architectum, & ædificare Ecclesiam suam super petram,

eram, ut nulla ventorum, aut imbrum vi possit dis-  
turbari. Hinc patet: eos magnam injuriam irrogare  
Christo, qui afferunt: Ecclesiam ab ipso ædificatam  
posse deficere, & re ipsa defecisse; nam inde sequitur,  
non super petram, sed super arenam fuisse ædificatam;  
ac proinde Christum fuisse stultum, non sapientem ar-  
chitectum. Imò fuisse mendacem, quod promiserit,  
se super petram ædificaturum, & non fecerit; quod  
dixerit, portas inferi non prævalituras, & prævaluerunt.  
Hoc argumento usi sunt plerique Patres, ut postea vi-  
debimus.

28. Quartò: Ecclesia visibilis dicitur Columna, &  
firmamentum veritatis, triplici sensu, ut supra dixi:  
*Primo*, quia est columnna firma, & stabilis, quæ à veri-  
tate desleñtere non potest, ut explicant Catholicæ.  
*Secundo*, quia est fida custos veritatis, eamque puram,  
& sinceram ad posteros transmittit, ut vult Calvinus.  
*Tertio*, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo,  
nisi in Ecclesia, ut interpretatur Beza. Hinc sumo tri-  
plex argumentum. 1. Si Ecclesia visibilis est columnna  
firma, & stabilis, quæ à veritate desleñtere non potest,  
certum est, non posse errare in fide. 2. Si est fida cu-  
stos veritatis, nunquam suā culpâ amittit veritatem;  
aut si illam amittit, non est fida illius custos. 3. Si  
veritas non alibi habitat, quam in Ecclesia visibili; vel  
ergo superioribus seculis non habitavit veritas in hoc  
mundo; vel si habitavit non alibi, quam in Ecclesia visi-  
bili habiavit. Necesse ergo est, fuisse Ecclesiam visibilem.

29. Quintò: Nemo potest salvati extra Ecclesiam  
visibilem, ut cum Catholicis disertè fatetur Calvinus.  
At semper aliqui salvantur; ergo semper durat Ecclesia  
visibilis. Falsum ergo est, Ecclesiam visibilem multis  
seculis non exstitisse; nam si non exsistisset multis se-  
culis, nemo fuisset salvatus. Periissent igitur omnes  
Majores nostri, quotquot ante Lutherum per aliquos  
secula toto orbe vixerunt. Quis hoc credat?

30. Atque hæc argumenta sumpta sunt ex conces-  
sione Adversariorum. Accedunt alia ex Scripturis: Pri-  
mum ex Isaia, qui cap. 54. nihil aliud, quam de Eccle-

Sæ Christi fœconditate, amplitudine, firmitate, perpetuitate, & victoria contra hæreticos, & alios hostes va-  
ticipinatur; ac inter cætera, sic eam alloquitur in perio-  
na DEI, v. 4. *Noli timere, quia non confunderis, neque  
erubesces.* Confunderetur autem, & erubesceret, si er-  
raret in fide. Et v. 10. *Montes commovebuntur. & col-*  
*les contremiscerent, misericordia autem mea non recedet à  
te, & fædus pacis meæ non commovebitur;* id est: etiam-  
si montes de loco suo moverentur, & colles contremi-  
scerent: non tamen misericordia mea recedet à te, &  
fædus pacis meæ, quod tecum inii, fixum, & irrevoca-  
hile mansurum est. Et v. 11. *Ecce ergo sternam per or-*  
*dinem lapides tuos. & fundabo te in sapphiris; & po-*  
*nam Jaspidem propugnacula tua. & portas tuas in lapides*  
*sculptos,* id est: Ego ita fundabo, & stabiliam te, ut  
tempestate convelli non possis; ita muniam te portis,  
& propugnaculis, ut futura sis inexpugnabilis. Et v. 17.  
Omne vas, quod fæcum est contra te, non dirigetur; &  
omnem linguam resistentium tibi in judicio condemnabis;  
id est: Omnes Adversarii, quos diabolus contra te ex-  
citabit, non habebunt successum; & omnes hæreticos,  
qui tibi resistent in causa fidei, ac religionis, de errore  
convictos condemnabis. Quod etiam factum est hacde-  
nus.

31. Secundum ex verbis Christi, quæ planè conspi-  
rant cum verbis Isaiae Matth. 16. v. 18. *Portæ inferi non  
prævalebunt adversus eam.* Quæ jam explicata sunt.  
Sed audiamus August. lib. 1. de Symbolo ad Catechume-  
nos, cap. 6. ubi ait: *Ipsa Ecclesia sancta, Ecclesia una,  
Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pu-*  
*gnans.* Pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæ-  
reses omnes de illa exierunt, tanquam farmenta inutilia  
de vite præcisa. *Ipsa autem manet in radice sua, in vi-*  
*te sua, in charitate sua.* Portæ inferorum non vincent  
eam. Ubi manifestè loquitur de Ecclesia visibili, ex qua  
exeunt hæretici. Non enim exeunt ex invisibili, in  
qua soli prædestinati sunt, quia in ea nunquam fuerunt.  
Igitur ex sententia Augustini, Ecclesia visibilis est una,  
vera, sancta, Catholica, quæ à portis inferorum vinci,  
aut expugnari non potest.

32. *Tertium similiter ex verbis Christi*, Matt. 28.  
 v. 19. *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, &c. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Ego mitto vos in universum orbem, ut apud Ethnicos Evangelium, & Sacra menta administretis.* Occurrent quidem multa pericula, & adversitates, quia diabolus, qui ubique habet suos cultores, & idolatras, crudelissime vos persequetur; sed fortiter estote animo; Ego non deseram vos, adero vobis, & successoribus vestris usque ad finem mundi. Ego inquam adero, qui nuper dixi: *Non relinquam vos orphanos.*  
 Joan. 14. v. 18. Ego, qui dixi: *Confidite, ego vici mundum.* Joan. 16. v. 33. Ego contra quem Princeps hujus mundi non habet quicquam. Joan. 14. v. 30. Ego, cui Pater promisit: *Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Psal. 109. v. 1.

33. Hoc etiam testimonio utitur Augustinus Concl. 2. in Psal. 101. contra Donatistas, ubi introduxit Ecclesiam ita loquentem cum Christo: *Quid est. quod nescio, qui recedentes a me murmurant contra me? quid est, quod perdisti me periisse contendunt? certe enim hoc dicunt, quia sui. & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum; quamdiu ero in isto seculo?* Annuncia mihi propter illos, qui dicunt: *suit. & jam non est: apostatavit. & periit Ecclesia de omnibus gentibus.* Et annunciavit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Hic adverte: quomodo Augustinus per latera Donatistarum confodiat Lutheranos, & Calvinistas, qui etiam dicunt, quod illi dicebant: *Ecclesia Catholica jam non est, sed fuit, apostatavit. & periit.* Contra quos similiter licebit exclamare: *Quid est, quod nescio, qui recedentes a me murmurant contra me? Quid est, quod perdisti me periisse contendunt? Nonne tu Domine dixisti: Ecce ego tecum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Certe non dixisti: Ecce tecum sum quingentis annis, & postea per aliquot secunda te deseram, usque ad tempora Lutheri, & Calvini; sed dixerit omnibus diebus usque ad finem mundi.* (b)

## ANIMADVERSIO.

(b) **A**dversus hæc invicta argumenta petita ex divinis promissionibus quid dicis Anti-Becanus? dicit tamen, defecisse; quomodo vero id probare conatur? sic: ait illas promissiones æquæ pertinere ad particulares Ecclesiæ, quam totam; & addit: atqui particulares Ecclesiæ defecerunt statibus promissionibus divinis; ergo & tota deficere potest. Ita Anti-Becanus, sed quis probat assertiōnem suam primam? non probat, sed credi sibi postulat; & quod turpius est, ipse alibi eam refutat, clare asserens: de particularibus Ecclesiis esse conditionate, de Ecclesia tota absolute veras pro omni tempore promissiones; eo, quod Christus semper sit caput Ecclesiæ, & illa semper est corpus. Apage igitur cum isto Anti-Becano, & perga Becanus.

34. Denique omnia argumenta, quibus Augustinus, & alii Patres contra Donatistas, usi sunt, valent etiam contra Lutheranos, & Calvinistas. Et quidem potiori jure. Ut hoc melius intelligatur, prius explicandum est: quid olim Donatistæ docuerint de Ecclesia; quid nunc Lutherani, & Calvinistæ doceant. Donatistæ docuerunt, Ecclesiam Catholicam, quæ antea toto orbe fuerat dispersa, postea toto orbe periisse, propter crimen Cæciliani Episcopi; & solùm remansisse in ea parte Africæ, quæ Donato adhærebat, ut testatur August. lib. de heresib. cap. 69.

35. Idem ferè docent Lutherani, & Calvinistæ. Nam primò asserunt: Ecclesiam Catholicam, quæ primis quingentis annis toto orbe fuerat diffusa, propter crimina Pontificis (quem Antichristum vocant) toto orbe periisse. Secundò, ita penitus periisse, ut nusquam, nec in Europa, nec in Asia, nec in Africa salva, & incolulis permanserit, sed ubique adultera, & apostatica fuerit deprehensa. Tertiò, postea nihilominus in ea parte Europæ, quæ Luthero adhærebat, revixisse. In primo, & tertio punto similes sunt Donatistis, in secundo deteriores. Igitur quidquid Augustinus, & alii Patres contra Donatistas olim scripsierunt, id vel pari, vel potiori ratione contra Lutheranos, & Calvinistas scripsisse putandi sunt.

## Corollarium hujus Conclusionis.

36. Cum ergo Ecclesia Christi, ut hactenus ostensum, non possit deficere, vel errare in fide propter peculiarem Spiritus Sancti assistentiam, quam Christus illi promisit; magna omnino debet esse ejus authoritas in negotio fidei, & religionis. Hanc autoritatem sèpè commendat Augustinus, ut lib. contra epist. Manichæi cap. 5. cùm ait: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholice Ecclesiæ commoveret authoritas.* Et lib. de utilitate credendi ad Honoratum cap. 17. *Cum igitur tantum auxilium DEI, tanquam prosectorum, addictumque videamus, dubitemus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica Sede per successionem Episcoporum frustra hereticis circumstantibus culmen authoritatis obtinuit & cui nolle primas dave, vel summa profectio impietatis est, vel præcipitis arrogantia.* Notent hoc Adversarii.

37. Porro in hac Ecclesiæ authoritate fundatur communis hæc regula, quam Catholici perpetuò urgent: Nemo potest errare in fide, & religione, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit. Vel, quod idem est: unusquisque tuto, ac securè potest id amplecti, aut respuere, quod tota Ecclesia amplectitur, aut respuit. Hanc regulam ubique tenuit Augustinus, & ex ea definivit hæc puncta:

1. *Orandum esse pro mortuis.* (lib. de cura pro mortuis cap. 1.)
2. *Parvulos esse baptizandos.* (epist. 28. ad Hieron.)
3. *Parvulis prodeesse fidem eorum, à quibus ad Baptismum offeruntur.* (lib. 3. de libero arbitrio c. 23.)
4. *Hæreticos non esse rebaptizandos.* (lib. 1. contra Cœsonium Grammaticum. cap. 3.)
5. *Librum Matthæi Evangelista canonicum esse, non librum Manichæi, qui illi contrarius est.* (lib. 28. contra Faustum. cap. 2.)
6. *Hæreticis, & Schismaticis non esse præcisam spem salutis, si resplicant.* (lib. inchoata expositio-nis Epistola ad Romanos post medium.)

38. Denique: ut semel dicam omnia, in omnibus sequendum esse judicium Ecclesiæ Epist. 118. ad Januarium cap. 5. Ad hæc, inquit, ita respondeo: si divina Scriptura præscribit authoritas, non est dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus; ut jam non quomodo sciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentet Ecclesia. Nam & binc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insanie est.

39. Hæc Augustinus. Et quamvis aliqua ex supradictis punctis, quæ ex ipso allata sunt, soleant probari ex Traditione apostolica (ut cap. 4. §. : 6. & sequentibus ostensum est) hoc tamen non obstat, quominus possint etiam probari ex autoritate Ecclesiæ, præsertim cum ex praxi, iudicio, & autoritate Ecclesiæ debeamus agnoscere, quænam sint Traditiones Apostolicæ, & quæ non sint.

40. Nos cum Augustino eandem regulam amplectimur, & ex ea speciatim deducimus: eos non errare, qui defendunt Purgatorium, Sacrificium Missæ, Invocationem Sanctorum, Exorcismum, & similia; quæ consensu totius Ecclesiæ, antequam Lutherus, & Calvinus nascerentur, recepta, & approbata sunt. Adversarii, si hanc regulam respuunt, nihil certi habere possunt in rebus fidei, & religionis; ut in Epilogo hujus capituli demonstrabo: Nunc videamus, quid ipsi objiciant contra ea, quæ haec tenus dicta sunt. (c)

### ANIMADVERSIO.

(c) **D**icitur Corollario præcedente expressa per Becanum valde momordit Anti-Becanum. Itaque cum non posset veritate, cœpit eam mendaciis oppugnare. Quomodo inquires? Sic: Anti-Becanus ait: Augustin. in lib. contra epist. Manichæi cap. 5. dum ait: non crederem: loqui uti Manichæum. Quid mendacius dici poterat? cum enim in præsenti diseat, non crederem, & contra Manichæos hoc scribat, iste tamen cogit Augustinum esse Manichæum, dum scribit contra Manichæum. Ita vecors est Anti-Becanus cum Calvinio suo. 2. sic: Ecclesia Apostolorum tempori proxima non tenuit esse orandum pro mortuis. Itane Anti-Becane? quid igitur S. Jacobus major, minorque; & S. Matthæus, & Marcus, in Liturgiis suis orantes pro mortuis,

non sunt Apostolorum temporis proximi? & Dionysius Hierarch. Eccl. cap. 7. & Tertullianus de Corona idem docentes, non sunt Apostolorum temporis proximi? pudeat. 3. Anti-Becanus ait: Augustinum ex usu, & auctoritate Ecclesie non definire baptizandos esse parvulos. Videamus textum, ait enim: contra Ecclesiæ fundatissimum morem nemo sentiat, ubi ad baptismum, si propter sola parvorum corpora curretur, baptizandi offerrentur & mortui. Ita August. Et tamen Anti-Becani hic tenebras offundere conantur, contra quoniam mendacia fuisse Moguntini textus SS. PP. exscripsierunt, vel eorum locos affiguntur, quos consulere licet.

### Objec<sup>tio</sup> I.

41. Primo sic objiciunt: Synagoga Judæorum s<sup>ep</sup>p<sup>e</sup> defecit à fide; ergo etiam Ecclesia potest deficerere, cum sit par ratio. Antecedens probatur: quia primo defecit tempore Moysis, quando Aaron cum toto populo adoravit vitulum. Exod. 32. v. 4. Secundò, tempore Heliæ, quando nullus mansit fidelis, nisi solus Helias; ut ipsemet conqueritur 3. Reg. 19. v. 10. Derelictus sum ego solus, & quarunt animam meam, ut auferant eam. Tertiò, tempore Isaiae, & Jeremiæ, quando omnes recesserunt à Deo, Isaiae 1. v. 3. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognovit. Et Jerem. 2. v. 13. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ cœrva, & foderunt sibi cisternas dissipatis, quæ continere non valent aquas. Et 2. Paralip. 15. v. 3. Transibunt multi dies in Israël absque DEO vero, & absque Sacerdote, Doctore, & absque lege. Quartò, tempore Christi, quando tota Synagoga cum omnibus cæremoniis suis exspiravit.

42. Respondeo. Quidquid sit de antecedente, (de quo paulò post) neganda est consequentia. Non enim sequitur: Synagoga defecit; ergo Ecclesia deficiet. Primo, quia Ecclesia habet promissionem de sua firmitate, ac stabilitate, quam Synagoga non habuit. Non enim de Synagoga, sed de Ecclesia dictum est: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Secundò, Ecclesia est libera, Synagoga fuit ancilla. Et illa designatur per Sarah, quæ fuit uxor Abrahæ: hæc per Agar, quæ fuit ancilla. Galat. 4. v. 24. At Agar fuit dimissa, & repudiata,

diata, non item Sara, ergo similiter Synagoga debuit repudiari, non item Ecclesia. *Tertiò*, Ecclesia est Catholica, seu universalis, non solum ratione loci, sed etiam ratione hominum salvandorum. *Quotquot enim salvantur, in Ecclesia salvantur; & extra illam nemo salvari potest.* Igitur, si deficeret tota Ecclesia, nullus omnino salvaretur. At Synagoga non erat Catholica, seu universalis, quia extra illam poterant homines salvati, ut Ninivitae, & alii. Tametsi ergo defecisset tota Synagoga, adhuc tamen potuissent homines salvati.

43. Hæc de consequentia: in probatione antecedentis multa assumuntur, quæ examinanda sunt. *Primum est:* Synagogam tempore Moysis, in adorando vitulo, à fide defecisse, falsum est; non defecit tota Synagoga, sed pars ejus. Non enim defecit Moyses, nec Levitæ, & Sacerdotes, ut patet ex illo Exodi 32. v. 25. *Videns ergo Moyses populum ait: Si quis est Domini, iungatur mihi.* Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi. Etant autem filii Levi viginti duo millia, ut habetur Num. 3. v. 39.

44. *Alterum est:* Synagogam tempore Heliæ, Isaiae, & Jeremiæ defecisse à fide; hic opus est distinctione: nam eo tempore, duo regna pertinebant ad Synagogam: Alterum Juda, quod constabat duabus: Alterum Israël, quod constabat decem tribubus. Hoc posterius statim à principio sub primo Rege Jeroboam defecit à vera fide, & publicè cœpit idola adorare, 3. Regum 12. v. 18. Et in eo statu permanxit usque ad captivitatem, juxta illud

4. Reg. 17. v. 22. *Ambulaverunt filii Israël in universis peccatis Jeroboam, quæ fecerat, & non recesserunt ab eis, usquequo Dominus auferret Israël à facie sua in Assyrios.* Nihilominus semper aliqui fuerunt in illo regno, qui abstinerent ab idolatria, & verum DEUM agnoscerent, etiam tempore Heliæ; nam cum ipse putaret se solum relictum esse, audivit responsum à DEO, 3. Reg. 19. v. 18. *Dereliqui mihi in Israël septem milia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.*

45. In regno Juda aliter res habuit; nam aliqui Reges fuerunt boni, & cultores veri DEI, ut Asa, Iosaphat,

saphat, Azarias, Joathan, Ezechias, & Josias, sub quibus vera religio, vel restaurata, vel conservata est. Alii mali, & Idololatræ, ut Achaz, Manasses, Amon. Alii denique, non quidem Idololatræ, sed tamen mali; semper tamen in templo Salomonis videtur mansisse usus sacrificiorum secundum legem Mosaicam usque ad captivitatem Babyloniam, ut colligitur ex illis verbis. 2. Machab. 1. v. 19: Cum in Pe fidem dicerentur Patres nostri; Sacerdotes, qui tunc cultores DEI erant, acceptum ignem de altari occulte abscondent in valle, ubi erat putes altus, & sicca: Loquitur de igne cœlitus à Deo misso, quo utebantur Sacerdotes in quotidianis sacrificiis. Levit. 9. & 10. Igitur ignis ille fuit conservatus in templo usque ad illud tempus, quo Judæi in Persidem captivi abducebantur:

46. Tertium est, Synagogam tempore Christi defecisse; hoc verum est. Non quod tunc defecerit à vera fide, quam antea profitebatur, sed quia tunc repudiata est cum suis cæremoniis, & sacrificiis, & in ejus locum successit Ecclesia Christi; at non sequitur, hanc similiter repudiandam; imò contrarium sequitur. Primo, quia, ut ante dixi, Synagogam repræsentabat ancilla Abrahæ, quæ fuit repudiata; Ecclesiam vero uxor Abrahæ, quæ non fuit repudiata. Secundo, Synagoga propterea fuit repudiata; quod neque perfecta esset, neque sufficiens ad salutem, juxta illud Hebr. 7. v. 19: Nihil ad perfecendum adduxit lex: Et hoc sensu cæremoniæ, & Sacramenta Synagogæ vocantur ab Apostolo infirma, & regnata elementa, Galat. 4. v. 9: At Ecclesia Christi est perfecta, & sufficiens ad salutem; quia Sacramenta ipius, quæ à Christo instituta sunt, habent vim justificandi, & tollendi peccata. Unde Augusti in Psalm. 73: Sacramenta deterris Testamenti promiserunt Saluatorem: Tertiū, Synagoga continebat umbram futurorum: Hebrei 10. 5. Ecclæsia continet lucem, qui est Christus. Joan. 1. v. 9: At umbra necessaria deficit, accedente luce; debuit igitur cessare Synagoga eum sacrificiis Mosaicis, quando venit Ecclæsia cum Christo. Quartū, Synagoga erat ius-

situta pro servis, Ecclesia pro filiis. At servi accipiunt temporalem mercedem a suis Dominis, & sic dimittuntur; Filii autem succedunt in perpetuam hæreditatem. Quod insinuat apost. ad Galat. 4. v. 30. *Ejice ancillam, & filium ejus; non enim heres erit filius ancilla, cum filio liberae.* (a)

### ANIMADVERSIO.

(a) **A**nti-Becanus hanc primam objectionem pluribus exemplis conatus est farcire, sperans multitudine evincere, quod nequirit robore: ait igitur: 1. Ecclesia visibilis defecit tempore Abrahami, quia August. Psaln. 128. ait: Ecclesiam in solo Abrahamo aliquando fuisse. Argutule sapè: quasi in Abrahamo, ut in capite, familia fidelis non potuerit dici Ecclesia; cùm idem August. assertat, etiam Ecclesiam sic in solo Loth coævo Abrahami fuisse, nempe ut in capite, vel principe. 2. Ecclesia defecit in deserto, cùm vitulus adoratus est. Falsum id esse patet ex Levitis milibus, qui ulti sunt offensum Numen. 3. Sub Iudicibus quoque somniat, defecisse Ecclesiam visibilem Anti-Becanus ex Jud. 2. v. 11. 12. dictis: *Feceruntque filii Israhel malum &c. & servierunt Baalim:* quæ verba suo arbitratu vult valere, ac si nulli manserint fideles. Scilicet: indefinita propositio istis magnis ingeniis est universalis, & quidem aboluta. 4. Sub Regibus defecit Ecclesia, ait Anti-Becanus: Becanus id falso esse dixit, & constat. 5. Sub Antiocho Epiphane defecit Ecclesia in sippientibus oculis Anti-Becanorum; quippe integrros exercitus Machabæorum videre eo tempore non poterant Lippi. 6. Etiam sub Phariæis tempore Christi. Iterum torpis cœcitas Anti-Becanorum, qui Zachariam, Elizabeth, Joannem, Mariam, Annam, Simeonem, & horum similes multos non possunt, vel nollunt agnoscere cœci, & duces cœcorum. 7. Tempore passionis Dominicæ certò putant Anti-Becani, se deprehendisse interitum visibilis Ecclesiæ. Videamus, quām vere: Latro in cruce clamat: *Domine, &c.* Christus Matri ait: *Ecce filius &c.* & Discipulo: *Ecce Mater tua.* Centurio glorificat DEUM; item milites ejus; mulieres à longè stantes, Josephum ab Arimathea intrante in ad Pilatum pro Corpore JESU, Nicodemum nunc publicum professorem emendo aromata, omnes hos non vident trunci Anti-Becani, quia invisibilis illi facti sunt. 8. Tempore Diocletiani defecit visibilis Ecclesia, ait Anti-Becanus: Itane? unde igitur illa illustria millia Martyrum, quos Moguntini totis legionibus producunt contra Anti-Becanos pag. 122. 9. Saltē tempore Concilii Ariminensis defecit, cùm mundus miratus est, se esse Arianum, teste Hieronymo. Verum diceret Anti-Becanus, si Liberum, Damatum, Gaudentium, Maximum, &c. plurimos osculare posset, ne videri possent.

Objec<sup>tio</sup> II.

47. Secundò sic objiciunt: Ecclesia deficiet à fide tempore Antichristi, ut prædixit Apostolus 2. Thess. 2. v. 3. *Nisi venerit discessio primum,* (id est, defe<sup>c</sup>to à fide) & revelatus fuerit homo peccati, id est, Antichristus, &c. At jam pridem revelatus est Antichristus, quem constat esse Pontificem Romanum; ergo jam pridem Ecclesia defecit à fide. *Resp.* Minor aperte falsa est. Major dupliciter potest intelligi. Primo, de defectione omnium fidelium. Secundo, de defectione aliquorum. Priori modo falsa est, non solum ex nostra, sed etiam Adversariorum sententia; nam ipse dicunt, Antichristum jam venisse, & tamen negant, omnes fideles à fide defecisse, cùm & ipsi, sùd iudicio, fideles sint. Posteriori modo vera est; quia aliqui fideles deficient à fide tempore Antichristi; quod tamen mirum non est: nam à tempore Apostolorum singulis etatibus aliqui defecerunt, ut Nicolaitæ, Marcionitæ, Novatiani, Arriani, Donatistæ, Pelagiani, Severiani, Iconomachi, Cathari, Waldenses, Anabaptistæ, & plures alii.

48. An verò Apostolus, qui addocitur ad probationem majoris, loquatur de defectione à fide, certum non est. Multi putant, illum loqui de defectione ab Imperio Romano, ut D. Hieronym. epist. 151. ad Algasiam q. 11. *Nisi, inquit, venerit discessio primum,* quod græcè dicitur *Anastasia,* ut omnes gentes, quæ Romano Imperio subiaceant, recedant ab eo; & nisi Romanum Imperium fuerit antea desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet: qui ideo venturus est, ut Antichristum destruat. Idem sentiunt Tertull. lib. de Resurrect. carnis, cap. 24. & multi in comment. illius loci. Sed quidquid sit de sensu verborum Apostoli, certum est, non totam Ecclesiam, sed aliquos de Ecclesia defecuros à fide tempore Antichristi; quod non est contra nos.

Objec<sup>tio</sup> III.

49. Tertiò objiciunt illud Dan. 9. v. 27. *Deficit bestia, & sacrificium:* quod interpretantur de defectione Ecclesie. *Resp.* Existat clarissima

testimonia in contrarium, quæ hactenus citata sunt. Cur illis Adversarii fidem non habent? Cur unum illud ex Daniele, quod obscurum est, his omnibus anteponunt? Nimirum in hac re imitantur Donatistas, qui, ut ostenderent Ecclesiam in sola Africa remansisse, citabant illud Cant. 1. v. 6. *Indica mibi, ubi pascas, ubi cubas in meridie.* Unde sic ratiocinabantur: Ecclesia cubat in meridie; sed Africa est in meridie; ergo Ecclesia cubat in Africa. Extra Africam ergo non est. Quos refellit August. in lib. de unitate Ecclesiæ cap. 19. hoc potissimum argumento. Multa sunt clara Scripturæ testimonia, quæ docent, Ecclesiam toto orbe diffusam esse; ergo male faciunt Donatistæ, cum ex uno obscuro testimonio conantur probare, Ecclesiam esse in sola Africa.

§ 0. Verba Augustini sunt hæc: *Scrutamini Scripturas Canonicas, & eruite aliquid manifestum, quo demonstratis Ecclesiam in sola Africa remansisse, &c.* Aliquid proferte, quod non egeat Interpretate, nec unde convincamini, quod de aliare dictum sit. & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini. *Videtis enim nunc illud unicum, quod proferre consuevistis.* Ubi pascis, ubi cubas in meridie: quemadmodum excussis omnibus ejusdem locis verbis, longè aliud indicat, quam vos putatis. Et si honaret, quod vultis, Maximianista vos in eo vincerent: Magis enim meridies Provincia Byzantium, Tripolis, ubi illi sunt, quam in Numidia, ubi vos præpolletis. Ita ergo ipsi possunt germanius, & distinctius gloriari de meridiis ut eos excludere ab hac sententia non possitis, nisi in illis verbis verum sensum, & Catholicum teneatis. Aliqui ergo proferte, quod non contra vos verius interpretetur, si quod Interpretate omnino non egeat; sicut non eget Interpretare Terra tua, orbis terrarum, &c. Sicut non eget Interpretare Convertantur ad Dominum universi fines terræ, &c. Sicut non eget Interpretare. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in tota Judæa, & Samaria, & usque in total terram, &c.

§ 1. Simili modo refellendi sunt nostri Adversarii. Scrutentur Scripturas Canonicas, & eruant aliquid manifestum, quo demonstrent Ecclesiam à fide defecit. *Alii*

Aliquid proferant, quod non eget Interpretē, sicut non eget Interpretē, *Porta inferi non prævalebunt adversus eum.* Sicut non eget Interpretē: *Ecce ego vocis meum sum omnibus diebus usque ad consummationem secusi.* Sicut non eget Interpretē: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Sicut non eget Interpretē: *Ecclesia est Columna, & firmamentum veritatis.* Et quæ similia sunt. Nam illud, quod proferunt ex Daniele: *Deficiet hostia, & sacrificium;* nihil ipsis patrocinatur, nisi ipsi sint Interpretes. Nam alii non interpretantur de defectione Ecclesiae Christianæ, ut ipsis; sed de defectione Synagogæ Judæorum. Ex eo autem, quod Synagoga defecserit, non sequitur, Ecclesiam quoque defecisse, aut defecturam esse: immo contrarium, ut supra ostendi.

#### Obiectio IV.

¶ 2. Quarto sic objiciunt: Ecclesia comparatur Lunæ, ut pater ex Scriptura, & Patribus. At Luna aliquando deficit; ergo etiam Ecclesia aliquando deficit. Resp. Hic iterum apparet eos, qui hoc objiciunt, degeneres esse filios Ecclesiae. Habent clara, & aperta testimonia pro innocentia, & integritate suæ Matris, ut jam ostensum est. Cur sine causa querunt occasionem calumniandi? Cur, quæ à Scriptura, & Patribus optimo sensu dicta sunt, sinistre interpretantur? Esto sanè: Ecclesia sit similis Lunæ. Sed in quo illi similis est? an in eo, quod sicut Luna sœpè deficit, sic etiam Ecclesia sœpè deficiat? Hoc dicunt, qui oderunt Ecclesiam. In quo ergo? in his potissimum.

¶ 3. Primo, sicut Luna in principio mensis exigua est, ac deinde paulatim crescit, donec plena, & perfecta sit; ita Ecclesia in principio sui ortus exiguum terræ locum occupabat; ac postea ita crevit, ut tandem toto terrarum orbe diffunderetur. Sic Augustinus in Ps. 103. circa illum versiculum: *Fecit Lunam in tempora, ubi ait: Intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo,* &c. *Quando obscura erat Ecclesia, quando nondum apparabat,* &c. Modò quād cœcus est, qui plenâ Lunâ errat.

54. Secundò . sicut Luna accipit lumen corporale à Sole, ità Ecclesia accipit lumen fidei , ac sanctitatis à Christo. Sic idem Augustinus in Psal. 10. *Luna* , inquit , intelligitur Ecclesia , quod suum lumen non habeat , sed ab unigenito DEI Filio , qui multis locis in sanctis Scripturis allegoricè Sol appellatus est, illustratur. Et Philo Episcopus Carpathius in Cantica Canonicorum : *Luna* comparatur Ecclesia , propterea , quod quidquid habet divini luminis , id à Justitiae Sole illo immobili , atque divino accipit.

55. Tertiò , sicut Luna mutationi obnoxia est , ità etiam Ecclesia in hac vita. Nam aliquando fruitur pace , aliquando patitur persecutions , nunquam tamen deficit. Sic Ambrosius lib. 4. Hexam. cap. 2. Ecclesia tempora sua habet persecutionis , & pacis. Nam videtur sicut Luna deficit , sed non deficit. Obumbrari potest , deficere non potest.

56. In his ergo consistit similitudo inter Lunam , & Ecclesiam ; non item in defectione. Nam Ecclesia nunquam deficit in fide : semper firma , stabilis , ac immobilis est. Et ex hac parte non Lunam , sed terram imitatur , juxta illud Gregorii Magni in Psal. 5. Poenitentiale : Ecclesia dicta est terra : quia in soliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perseverat.

57. Miror verò Adversarios , cur hanc unam similitudinem allegent in præjudicium Ecclesiæ ? cùm sint multæ aliæ , quæ in favorem , & commendationem illius allegari poterant. Nam in Scripturis , & Patribus Ecclesia non solum Luna per allegoriam vocata est , sed eti m Sol , Hortus conclusus , Fons signatus , Paraditus , Columba speciosa , Civitas DEI , Terra viventium , Miser amicta Sole , Regina in vestitu deaurato , quæ omnia honoriifica sunt. Si essent boni Ecclesiæ filii , meritò hos titulos suos Matri tribuerent , & ab omni calumniandi studio abstinerent. ( b )

### ANIMADVERSO.

(b) **I**sta legunt , non tamen abstinent se à calumnia Ante Bocani , sed conantur evincere erroneam esse.

1. Vetus Ecclesia errare potuit ; ergo & moderna Negatur antecedens nondum probatum.

3. Tempore Antichristi deficiet: jam id negatum est, nee probatum unquam ab Adversariis, nisi obscura Scripturæ loca ad arbitrium suum torqueant.

3. Ecclesiæ visibili non est promissa infallibilitas. Negatur assumptum, quod non probârunt Anti-Becani.

4. Omnes particulares Ecclesiæ possunt deficere; ergo & tota particularium collectio. *Resp.* Omnes singulatim concedo, collectio nego. Qui & Prædicans potest omnes pernas comedere, singulatim verum est; si nul falsum.

5. Omnes Pastores possunt errare; ergo & tota Ecclesia. *Resp.* Distinguendo, ut ante, in dō nego, ob Papæ prævilegium.

6. Etiam Papa potest errare. *Post.* Distinguendo: in dogmate fidei ex Cathedra definitudo, nego, in rebus facti, & extra Cathedram, concedo.

7. Romana Ecclesia est particularis; ergo potest errare. *Kesp.* Distinguendo, cum suo Capite, quod est universale, nego; sine eo, concedo. Alter: Romana Ecclesia, prout significat collectionem omnium Ecclesiarum Romanorum Pontificem agnoscientium pro Capite potest errare, nego; prout notat collectionem hominum intra moenia Urbis Romanae, distinguo; uti modò dicebam; quid jam Anti-Becani evicere adversus invictam veritatem, & ejus Advocatum? ignominiam sibi.

## CONCLUSIO V.

*Visibilis Christi Ecclesia, de qua haecenus dictum est, non est alia, quam Romana, seu Pontificia, toto orbe diffusa.*

58. **H**ic notandum est Ecclesiam Romanam duplicitati sumi posse: *Primi*: Pro illa sola Ecclesia particuli, quæ olim Romæ fuit, & nunc est. *Secundi*: Pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi adhærebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhærent. Et hoc posteriori sensu habet varia nomina. *Primi*: Dicitur Catholica, seu universalis, quia toto orbe diffusa. *Secundi*: Pontificia, quia Pontifici subjecta. *Tertii*: Romana à nobiliori sive parte.

59. Igitur in hac conclusione loquimur de Romana Ecclesia posteriori modo sumpta; & assertimus, eam esse veram Christi Ecclesiam, cujus proprietates haecenus explicatae sunt. Quod sic ostendo: Visibilis Christi Ecclesia non potest deficere, aut errare in fide, ut probatum est; ergo à tempore Apostolorum ad nos usque

semper mansit visibilis Christi Ecclesia sine ulla interrup-  
tione, aut errore; at nulla alia visibilis, præter Roma-  
nam, seu Pontificiam mansit sine ulla interruptione, &  
errore; ergo sola Romana, seu Pontificia est visibilis  
Christi Ecclesia. Minorem probo inductione: quia Ju-  
daica abrogata, & repudiata est per mortem Christi;  
Turcica, seu Mahumetanica non semper fuit; Calvinia-  
na, & Lutherana, quam reformatam vocant, nova est;  
cœpit enim cum ipsa reformatione, (à qua nomen ha-  
bet) quæ à Luthero, & Calvinio, ut ipsorum asseclæ di-  
cunt, facta est. Sola Pontificia hucusque perseveravit.  
Quid hic respondebunt Adversarii? an putant, aliam  
præter Pontificiam, visibiliter, & sine errore semper ex-  
sistisse? si putant, dicant obsecro, quæ illa sit? quo no-  
mine appelletur? quas mundi partes occupaverit, & ad-  
huc occupet? quos Pastores, & Episcopos habuerit, &  
adhuc habeat? qui Reges, & Imperatores illi adhaerent,  
& adhuc adhaereant? qui heretici ab illa damnati? quæ  
Academiae confirmatae? quæ templo, & monasteria ere-  
cta? hic non evadent, sat scio.

60. Non desunt tamen, qui oppressi hoc argumen-  
to fingant Ecclesiam quandam in cunis jacentem, & va-  
gientem, quæ nec fati possit, nec fidem profiteri.  
Ajunt enim: Ecclesiam Christi aliquot seculis tam fuisse  
corruptam, ac vitiatam, ut nulli in ea fuerint veri fide-  
les, nisi infantes baptizati. Et sine dubio, intelligunt  
Ecclesiam Romanam, seu Pontificiam, quam putant  
superioribus seculis penitus defecisse, nisi quod soli in-  
fantes legitimè in ea baptizati, tanquam vera ipsius  
membra permanerint. Miserum per fugium, & ipsius  
Adversariis perniciosum; nam ipsi passim docent, duas  
esse notas Ecclesiæ, nempe: sinceram prædicationem  
Evangelii, & legitimam Sacramentorum administratio-  
nem, ex quibus vera Christi Ecclesia dignosci debeat, &  
sine quibus consistere non possit; ut videre est in Con-  
fessione Augustana art. 7. & in Apologia ejusdem, &  
in Calvinio lib. 4. Instit. cap. 1. §. 9. 10. & 11. At ha-  
cæ notæ non convenient Ecclesiæ, in quæ soli infantes  
baptizati sunt; quia soli infantes nec possunt sincere

prædicare Evangelium , nec legitimè administrare Sacra menta , ergo Ecclesia , in qua soli infantes sunt , non est vera Christi Ecclesia .

61. Alii habent aliud effugium ; ajunt : semper in Ecclesia fuisse unum , aut alterum cordatum virum , qui Papæ contradixerit ; cujusmodi diversis temporibus fuerunt : Joannes Wicleff . Joannes Hus . Lutherus . Calvinus . Æquè ineptè ; nam primò dicant mihi , quis fuerit ille unus , vel qui duo cordati viri , qui ante Wicelsum per singula superiora secula , Papæ contradixerint ? si nesciunt , quare temerè attingunt ? si sciunt , edicant eorum nomina , locum habitationis , & cæteras circumstantias ? Non poterunt . Secundò . Ecclesia Christi non est deterioris conditionis , quam fuerit Synagoga Judæorum , cum Ecclesia sit domina , Synagoga ancilla . ad Galat . 4 . v . 22 . At Synagoga nunquam fuit tam deserta , ut duo tantum viri in ea reperirentur ; imò , tempore Heliæ , cum putabatur desertissima , septem milia virorum in ea reperta sunt . Rom . 9 . v . 4 . Cur ergo Adversarii fingunt , Ecclesiam Christi fuisse aliquando tam desertam , ut duo tantum viri in ea reperti fuerint ? quod manifestè repugnat Scripturæ , quæ apud Isaiam testatur : Ecclesiam Christi multò fœcundiorem , & ampliorem fore , quam fuerit Synagoga ? Isaiæ 54 . v . 1 . Tertiò , Donatistæ plūs tribuebant Ecclesiæ , quam hi sciant ; nam illi , tametsi dicerent , Ecclesiam toto orbe periisse , & in sola Africa remansisse , non tamen ausi sunt asserere , quod hi afferunt , remansisse aliquando in duobus tantum viris , qui Papæ contradixerint ; si ergo illi , qui melius sentiebant de Ecclesia , quam hi nostri Adversarii sentiunt , nihilominus ab Augustino , & aliis Patribus damnati sunt tanquam hæretici ; quid de his nostris fieri oportere existimandum est ? (c)

### ANIMADVERSIO.

(c) **A**dversus quintam Conclusionem Becani non solum Anti-Becani arietant , sed & calcitrant falsitatibus , mendaciis , famosis libellis , imposturis , &c. malis modis .

I. Falsitas est : non posse Pontificios ostendere , Romanam Ecclesiam primis trecentis annis credidisse Purgatorium , invoca-

tionem Sanctorum , cultu religiosum Imaginom , Transubstantiationem , operum meritum de condigno , Indulgentiarum thesauro , satisfactiones tam proprias , quam alienas , Oecumenicum Pontificatum . Falitas inquam est . quia Bellarminus , Gretserus , Gualterius , Coturius , & alii plurimi jam demonstrarunt ex SS. Patribus , istos articulos à temporibus Apostolorum esse creditos . Videant eos Anti - Becani , & confundantur . At non dicunt : ista necessariò esse credenda ; sat est : quod docuerint esse tenenda , & tenuerint . Tu Anti - Becane , si vir es , produc unum ex his , quos producunt ex primis seculis Catholici , docentem , non esse ista tenenda ; quod tamen tu doces novitio spiritu , quem ab Apostolorum tempore non accepisti .

2. Impostora est : cùm ajunt Anti - Becani , inter articulos fidei Papisticæ esse , quod Episcopi Pontificii dominium in temporalibus super Reges , & Principes habeant ; id inquam falsum est , prout illud Anti - Becani garriunt , ut invidiam concident Catholicis apud Reges , & Principes ; dogma illud est Calvinista - rum , imò praxis : ut Prædicantes , & plebs involvent in capita Regum securibus . Videatur Schola Jesuitica P. Jodoci Kedd , & appendix ejusdem Scholæ Coloniae editæ , ubi crimina Calviniana hujus generis ex suis DD. asserta legent , & erubescunt , si possint rubere .

3. Insciri laborat , quod Anti - Becani de Theologia Hildebrandina , vel Dictatura Gregorii VII. garriunt , ex Schismatico uno , alterove auctore contra originalia acta .

4. Impostura est Anti - Becanorum imponentium Becano , quasi is nullam dicat ante Lutherum fuisse religionem , nisi Turcicam , Judiacam , & Pontificiam ; impostura inquam , turpis est ista fidelio . Nam Becanus hoc loco non recenset alias ; ergo negat omnes fuisse , quas tacet ; qua regula Juris probabant sequelam istam ? At debebat omnes recensere . Etiāmne manifeste damnatas haereses , quæ vel exoleverunt , vel in angulo orbis latenterunt ? quo dictator jubente credo Castellensi , ut tomum unum conflaret ex Catalogo haëreticorum Prateoli , &c. & obliuisceretur pugna cum Calvinistis sibi propositæ .

5. Falsitas Anti - Becanorum detegitur , cùm ajunt : Becanum male argumentari à vetustate Pontifica contra Reformatam . Et cur quæso male ? Vide fatuitatem . Primo : Fides reformatæ , seu Lutheri , seu Calviniana non est nova , sed Lutheri , Calvinique majores sunt Apostoli , & qui post eos in Oriente , & Occidente sexcentis annis à Christo vel prius , vel impurius doctrinam Evangelicam trædiderunt . Audio quam verè : videbitus , imò ipsi vident ; nam mox dissidentes huic fidei antiquitati ajunt secundò : si à vetustate licet arguere pro veritate religionis , pari sane ratione argumentari potuissent Pharisæi , & Saddocæi contra Christum , cùm concionari inciperet . Ecce ibi iam diffisi de

de sua imaginaria vetustate, clare latenter novitatem, & eam defendunt exemplō novae Legis à Christo inductæ. O callidos, sed in probrum solum! nam quis unus omnium Doctorum Ecclesie, vel hæreticorum etiam, omnia dogmata Calvinistarum, vel Lutheranorum, seu Reformatorum tenuit ante Lutherum. Ostendunt vel unum, non Cōtum, sed hominem. Scimus ex Conciliis Papæ fragmenta quædam de Etia Reformatæ ab hæreticis nonnullis, iisque per Concilia, & Christum, atque Apostolos damnatis asserta fuisse: sed totam doctrinam Reformatorum quo ad articulos suarum Confessionum, & Synodorum à nomine ante; iūmō ipsi met ex anno in annum articulos suos mutant. Ubi nunc primus Synodi Londin. articulus: Regem Angliæ esse caput Ecclesiæ Anglicanæ? unde Schisma Arminianum, & Gommaristicum? unde Apolloniani, & Vedeliani in Hollandia? unde Independentes, Quærentes, Funitani, Calvino-Papistæ in Anglia? in quæ Calvinianus scriptor ipse præsens queritur, tot esse hæreses, quot à Christi lege promulgata non fuerunt in toto orbe. Unde hæc Ilias malorum? nisi à novitate, & cerebri humani inconstans. Porro, quod suam novitatem Reformati tentent obtemere novitate Legis Evangelicæ per Christum, & Apostolos inducæ, ridiculum est plane: siquidem Christus, & Apostoli id receperunt cum Authoritate divina, manifestis signis, & portentis, quæ nemo hominum facere poterat. nisi DEUS esset in eis, ut fateatur Nicodemus Joa. 3. & alii alibi. Hanc autoritatem à Reformatis exigit orbis terrarum iam 100. annis, & nondum impetravit, & ideo post eos non ambulant, nisi, qui sine autoritate, & ratione per se dogmata humano spiritui, & carni blandientia sequi elegerunt, etiam si nulli essent falli doctores.

6. Falitas Anti-Becanorum est: Pontificii dicitur inant examen Scripturæ: nulli fuisos, & illustrius Scripturas perfrutatis sunt, quam Catholici, seu Pontificii: ut patet ex duobus Alphonsis Tostato, & Salmerone, Cornelio à Lapide, Dionysio, Liano, & innumeris aliis: quos etiam avide ipsi Reformati emunt, & legunt; cum simile in hoc genere non habeant domi suæ, & tamen de his nequiter apud vulgus assertum. Pontificii declinans examen Scripturæ. Præclarè hanc nequitiam detegit mysterium Fraudis Prædicantum P. Hieronymi Müllmanni Coloniz editum.

7. Ajunt Anti-Becani: Catholicos corrumpere historias. Quas quælo? & quomodo? Indice expurgatorio credo Hispanico, similive. Itane? cur igitur Reformati evundem Argentinæ, & Hanoviræ reviderunt? ad hæc quæritur, an errores, & mendacia edito librō propalare, & infamare sit historias corrumpere? non credo; at id Index expurgatorius prestat solum: frustra ergo ista calumnia texitur contra innocios. Tædet cæteras falsitates rexere, quas Moguntini Theologi à pagina 121. ad 125. desixerunt. Ex p̄missis judicium fiat de omissis.

CON.

## CONCLUSIO VI.

*Ecclesia Lutheranorum, & Calvinistarum, quam  
ijsi Reformatam docant, non est vera Christi Ecclesia.*

62. **P**robatur 1. ex dictis: quia una tantum est Christi Ecclesia, quam ostensum est esse Pontificiam; itaque illa, quae contradicit Pontificiae, non potest esse Ecclesia Christi. 2. Vera Christi Ecclesia est Christi Sponsa, ut supradictum est; at Reformata non est Sponsa Christi; nam adultera est. Unde enim reformata esse potest, nisi ex adulterio suo, & apostasia a Christo; si revera reformata est, ut ipsi ajent. Si dicant Reformatores: fuisse adulteram ante Lutherum, nunc non esse, tunc se confodiunt. Primum: Quia falsificant omnia, quae de perpetuitate, & indissolubilitate conjunctionis inter Christum, & Ecclesiam supra asserta sunt ex scripturis. Secundum: Quia Christum ponunt Caput sine corpore fuisse tot annis, quo adulterium Ecclesiae fingunt durasse.

## ANIMADVERSIO.

**I**N hanc Conclusionem inter necinam Reformatarum religionis insurgunt Anti-Becani mordendo, & lacerando. Quomodo autem? sic omnino. 1. ajunt: Romanam Ecclesiam fuisse primis quingentis annis Christi Ecclesiam. Bona confessio, nisi adderent nequiter, Sed non sine labore. Hoc enim ideo adjiciunt, ut si dogmata illa, quae nunc tenet Romana Ecclesia; ostendatur a Coturio, & aliis fuisse quoque in primis quinque seculis usitata, tunc effugium adversus fidem Orthodoxam habeant paratum, nempe: illa dogmata fuisse labes, nævios, &c. quod tam effugium nullum est; cum illi nævi, & labes talia sint dogmata, quae illi nunc anathematizant, & idcirco non potuit esse Ecclesia Christi, quae anathematizanda docuit. 2. ajunt: Hussum, Wicelsum, Waldenses prehendisse Ecclesiam in adulterio; scilicet, uti impii senes Susannam. 3. Tempore S. Augustini non fuisse Pontificem Oecumenicum. O stuporem! Legant Concilium Chalcedonense, & maximè Theophili Raynaudi Coronam auream super mitram summi Pontificis Romæ editam. 4. Calvinistas, vel Reformatos non teneri ad facienda miracula. Itane? quomodo ergo credemus eis, quod ipsi sint missi ad reformandum Ecclesiam DEI? nam ordinaria missione prideam carere noscuntur. 5. ajunt: Catholicos etiam non facere miracula.

cula. Evidens mendacium. Videantur Thaumasia Patris Sylvestri à Petra Sancta, Laureum in Italia, Mons Serratus in Hispania, in Belgio, Germaniaque tota illustris miraculis loca. Legant Acta, & Vitam, & Annas eorum, qui in Orientis Indias à Sede Apostolica missi sunt; & confundantur. 6. Pontificem Romanum ne quidem canem mortuum excitatissime, ait Calvinista ex Lessio; at Lessius tam scurriliter non scripto, nec sensit de Papa Majestate, sed Crocius Calvinista id imponit Lessio, qui scrivit, non opus esse, ut Papa mortuos canes excites melioribus occupatus; uti missionibus Virorum Apostolicorum, v. g. Francisci Xaverii, &c. ad Indos, qui istuc in virtute missionis suæ abunde miracula pro Papa patratur. 7. Turci etiam miracula patrant, ait Anti-Becanus. Sed qualia? cur igitur ad Catholicos Sacerdotes in Hungaria, & alibi festinant, ut super eos male habentes ex missalibus orent Sacerdotes sequente plurimum effectu petito. 8. Macedonium Spiritus Sancti oppugnatorem, ait Calvinista, etiam miracula fecisse: quo auctore quæsto? Cedrenus ait. Vide nunc stuporem stupidi Calvinistæ: Macedonius hæresiarcha ad annum Christi trecentesimum quinquagesimum primum vixit; Macedonius autem Cedreni miraculis illustris ad annum Domini quadringentesimum nonagesimum quintum. Erubescite Calvinistæ tali Magistro. 9. Anti-Becani ajunt: Bellarminum, & Andradium Payvam damnare erroris Concilium Chalcedonense. Itane? in dogmatis ad fidem pertinentis quæstione, an in facti presumptione? Si prius dicant: mentiuntur Anti-Becani; si posterius, nihil ad rem dicunt. 10. Sorbona Parisiensis dicit: Concilium esse supra Papam. Ita Calvinista ait: sed mentitur. Legator Irenicus Anti-Calixtinus, & Duvalius. 11. Papam errare posse tenent Jesuitæ, Panormitanus, &c. id simpliciter ait Calvinista: Jesuitæ simpliciter ajunt: cum mentiri; scit Calvinista, quid Jesuitæ doceant; sed conscientiam istam obnubilat, ut seducat. 12. Phocas Imperator primus Oecumenici titulum Bonifacio III. Papæ concessit dicente Calvinista: sed refutante solide Bellarmino lib. 2. de Romano Pontif. cap. 17. & alibi. 13. Gregorius VII. inaudita dogmata invexit, annales corrupit, ecclesiastis dogmata adulteravit, &c. Quis verò hoc dicit? Calvinista, novus homo. Unde? ex Aventino; qualis is vir? à Basileenibus Typegraphis, & aliis alibi corruptus (conferantur editiones, si placet) & ideo in Indice expurgatio ablurus; immo alias per se suspectus author propter probatissimos authores, qui Gregorio VII. convixeré, & Aventino, similibusque Schismaticis contradicunt apud Gretsernum Tom. 2. defens. Bellarmini, istum lege: item Baronium. 14. Concilium Carthaginense III. impugnare Romani Pontificis primatum, afferit Calvinianus, qui debet scire ex Bellarmino lib. 2. de Romano Pontifice cap. 23. hoc commentum Calvini, & Centuriatorum jam pridem esse detectum.

15. Concilio Gangrensi i<sup>a</sup> probari delectum ciborum jactat Calvinista, & Lutherola. Quem verò delectum? omnem. Itane verò quid igitur tu à felium, & marium carne abstines, si eum damnat Concilium, & Concilio credis? I<sup>e</sup>ge Canonem 19. & 20. hoc videbis probari, quod Apostoli probabant. Et. 15. damnatio, quod Manichæi statuerunt. Ista ignorare est sophias stupor, dissimilare damnanda malitia. 16. Concilium Francofordiense rejecit cu<sup>t</sup>um imaginum. Male: & ideo improbatum contraria sanctione Nicenæ II. 17. Separationem thori in Sacerdotibus damnat Concilium VI. generale Trullanum Can. 13. At imposturam hanc detexit jam Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 21. Deinde, ut omnia mendacia coronaret Calvinista, ait: Papitas esse monstra. Quo quæso fundamento? argutō ciliret: audiamus syllogismum. Aliqui Pontifices Romani t<sup>e</sup>ste Baronio fuerunt monstra, nempe: quoad mores suos ineptos Sedi Apostolicæ; Pontificii sunt filii Pontificum, uti e. profitentur: ergo Pontificii sunt monstra. Syllogismus omnino in figura Calvinistica. Quid responderunt ad articulum tantum Meguntini. Hoc: Qualis Pater, talis est filius, ut ponunt Calvinistæ: aliquis Prædicans Calvinista est homicida, & est pater alicujus; ergo filius ejus quoque est homicida, uti pater eius; Ceporinus in Clivia, Crocius in Hassia, alii alibi nōrunt historiam.

### Epilogus hujus Capitis.

63. EX iis, quæ hoc toto capite dicta sunt, magnam consolationem, & securitatem percipiunt Catholici in negotio fidei, ac religionis: Adversarii è contrario confusionem, & diffidentiam; nam Catholici, ut supra dixi, cum Augustino seq<sup>nt</sup>untur hanc certam, ac fixam regulam: *Tota Ecclesia non potest errare in fide.* Ex qua tria inferunt: Primò: Ecclesiam Romanam, quam Adversarii concedunt primis trecentis, ac quadringentis annis fuisse veram Christi Ecclesiam, haec tenus non errasse in fide. Secundò: tutos, ac securos se esse in fide, quamdiu publicè profitentur id, quod Ecclesia Romana toto orbe diffusa publicè profitetur. Tertiò: se in defensione Romanæ Ecclesiæ similes esse probis filiis, qui matri suæ honorem deferunt, & sub fidium præstant.

64. Adversarii tenent contrariam hanc regulam: *Tota Ecclesia potest errare in fide.* Ex qua sequitur, totum ipsorum Ecclesiam errare posse; ideoque neminem apud

apud eos securum , ac tutum esse de sua fide. Velenim sequuntur Ecclesiam suam , vel ab ea dissentunt ; si illam sequuntur , nihil certi habent , si ipsa errare potest ; si ab ea dissentunt , magis perplexi sunt ; quia si tota ipsorum Ecclesia errare potest , multò magis singuli possunt.

65. Quid magis confirmo ex duobus principiis , quae ipsi statuunt . *Unum* est : Pontificiam Ecclesiam non subito , sed sensim defecisse à fide , ac tandem omni fide abjecta , adulteram factam esse . *Alterum* : defecionem illam initio fuisse latenter , & occultam adeò , ut nec hic locus , nec tempus , nec aliæ circumstantiæ illius certò designari potuerint . Tandem tamen post aliquot secula à Luthero , & Calvinò publicè fuisse notatam , & deprehensam .

66. Ex utroque sic concludo : quod contigit Ecclesiæ Pontificiæ , potest etiam contingere Ecclesiæ Reformatæ ; at Pontificia , ut Adversarii dicunt , sensim , latenter , & occultè defecit à fide nobis non advertentibus ; ergo etiam Reformata potest sensim , latenter , & occultè deficere , ipsis non advertentibus . Quid si ergo jam defecerit , & ipsi non adverterint ? imò , quomodo possunt advertēre , si defecatio latens , & occulta est ? manent ergo incerti de sua fide , & Ecclesia .

67. Hic planè consticti sunt , nec video , quod possint respondere ; nam quod aliqui dicunt : Ecclesiam non posse errare , vel deficere à fide , quamdiu sequitur verbum Dei , frustra est . *Primo* : quia argumentum , quod jam posui , repetam hoc modo : *Quidquid contigit Ecclesiæ Pontificiæ , potest etiam contingere Ecclesiæ Reformatæ ; at Pontificia , ut ipsi volunt , sensim , latenter , & occultè deseruit verbum Dei , nobis non advertentibus ; ergo etiam Reformata potest sensim , latenter , & occultè deserere verbum Dei , ipsis non advertentibus . Quid si ergo jam deseruerit , & ipsi non adverterint , nunquam elabentur ex hoc labyrintho , semper manebunt dubii , & incerti de sua fide ; nisi nobiscum afferant , totam Ecclesiam errare , aut deficere non posse .*

68. Deinde, unde constabit Adversariis an nostra vel ipsorum Ecclesia sequatur verbum DEI, nec ne nos nostram defendimus, illi suam. Quis decidet hanc item? designent ipsi infallibilem Judicem, qui sententiam ferat. Non possunt. Vel enim designabunt ipsum verbum DEI, vel Ecclesiam, vel singulos, qui sunt in Ecclesia, vel aliquos ex illis. Ac primò, si designent verbum DEI, nos vicimus; nam verbum DEI expressè afferit: Ecclesiam esse columnam veritatis, quam nullæ inferiorum vires eversuræ sint. Idem nos afferimus: Si ergo hoc Judge causa definienda est, victoria nostra est; si autem designent Ecclesiam, contra se faciunt. Vel enim sententia Ecclesiæ infallibilis est, vel falli potest; si infallibilis est, errant, qui dicunt, errare posse. Si falli potest, iterum errant; quia, cum debeant alignare infallibilem Judicem, designant Ecclesiam, quam ajunt, falli, & errare posse. Denique, si designent vel singulos, vel aliquos eorum, qui in Ecclesia sunt, magis despiciunt; si enim tota Ecclesia potest, quanto magis singuli, qui in Ecclesia sunt, errare possunt.

69. Forte dicturi sunt, duplēcēt esse Ecclesiam: unam visibilem, in qua boni, & mali permixti. Alteram invisibilem, in qua soli prædestinati sunt. Totam visibilem errare, non item invisibilem. Sed hoc etiam frustra; imò, qui hoc dicunt, secum ipsi pugnant; nam omnes prædestinati, quos ajunt, esse in Ecclesia invisibili, sunt etiam in Ecclesia visibili; ergo si tota visibilis errare potest, omnes etiam prædestinati errare possunt; aut, si hi non possunt, nec tota Ecclesia visibilis potest. Quòd autem prædestinati omnes sint in Ecclesia visibili, ne Adversarii quidem negare possunt. Et ratio manifesta est: quia nullus salvatur extra Ecclesiam visibilem. Ut Conclus. 4. ex illorum concessione probatum est. At omnes prædestinati salvantur; ergo nullus præstinatus est extra Ecclesiam visibilem.

70. Ex dictis colligo duplex dilemma in Adversarios. Unum est: vel tota Ecclesia visibilis erravit in fide ante ortum Lutheri vel non erravit; si tota erravit, omnes, & singulos Christianos errasse necesse est, etiam præ-

prædestinatos, nulla igitur tunc erat fides in terris. Unde igitur Lutherus eam accepit? Si non erravit, cur Adversarii singunt errasse? cur eam, ut errantem, deserunt?

71. Alterum: vel tota Ecclesia Reformata, in qua Lutherani, & Calvinistæ sunt, potest errare in fide, ipliis non advertentibus, vel non potest; si non potest quod modo Pontificia potuit; si potest quid si jam erret, & ipsi non advertant? Repeto quod supra dixi: Imperio dohios, & incertos fore, quando sentiunt eccliam errare posse. Deponant nunc errorem. & id sentiant de Mater Ecclesia, quod Majores nostri sentieunt sic futurum est, ut amplius nun errent.

## C A P U T IV.

### *De Capite Ecclesiæ;*

1. **N**omen Capitis sumitur duobus modis. Primum: Proprietate pro naturali capite humani corporis, cuius officium est, dirigere, & gubernare membra corporis. Secundum: metaphoricè, pro morali Capite, seu Principe communictatis, cuius officium est dirigere, & gubernare subditos, qui sunt membri communictatis. Hoc posteriori sensu loquimur hic de Capite Ecclesiæ. Esto ergo quæstio: Quis sit Caput, seu Princeps, seu Rector, & Gubernator Ecclesiæ? Nos tria asserimus. Primum: Christum, cum esset in hac vita mortali, fuisse primarium ipsius Caput, & adhuc est. Secundum: Petrum post Christi in cœlo ascensionem, fuisse secundarium Caput. Vel, quod idem est, fuisse Vicarium Christi in gubernanda Ecclesia. Tertium: Petrum cum pari potestate successisse Romanum Pontificem, qui post mortem Petri gubernavit Ecclesiam, & adhuc gubernat.

2. Itaque dicimus: duplex esse Caput Ecclesiæ: Unum primarium, quod est Christus. Alterum vicarium, seu secundarium quod est Petrus sum tuus tuus.

cessore Pontifice. Sed diversò modò: *Primo*: quia Christus non solum est Caput Ecclesiæ militantis, sed etiam triumphantis. *Ephes.* 1. v. 22; Pontifex solius militantis. *Secundo*: Christus est Caput visibile, & invisibile; quia visibiliter, & invisibiliter gubernat Ecclesiam; Pontifex visibile tantum. Quæ omnia breviter probata sunt. (a)

## CONCLUSIO I.

### *De Christo primario Capite Ecclesiæ.*

3. **C**hristus in hac vita existens tam ante passionem suam, quam post eam, omnino autem ante ascensionem in cœlos ædificavit, fundavitque Ecclesiam suam; nam Ministros Ecclesiæ 12. Apostolos, uti Episcopos, & 72. Discipulos, uti Presbyteros; item Sacra menta nova, novas leges, Sacerdotium, & sacrificium instituit; Testamenrum condidit, idque morte consummavit; & resurgens dedit potestatem remittendi peccata, & retinendi; ac denique Principem unum constituit loco suo futurum Petrum, dicens: *Joan.* 12. v. 17. *Pascet oves meas.* Et sic fuit Caput Ecclesiæ; quia, qui hæc præstiterit, dignus est vocari Ecclesiæ Caput.

## CONCLUSIO II.

4. **C**hristus in hac vita existens, sive ante ascensionem suam fuit visibile Caput Ecclesiæ; quod fuerit Caput, patet ex Conclusione præcedente quod fuerit visibile Caput, probatur: quia *primo* visibiliter, uti jam dictum est, eam fundavit. *Secundo* eandem visibiliter docendo, monendo, increpando, & faciendo gubernavit. Aliter eadem Conclusio efficitur, nimirum sic: fuit visibile, & invisibile Caput Ecclesiæ. Visibile, quia visibili modò; invisibile, quia invisibili modò Ecclesiam gubernavit. Hoc explicandum est ex similitudine capitis naturalis; nam caput naturale duobus modis gubernat corpus humanum. *Primo*: per internum influxum, qui in eo consistit quod

quod ex capite, tanquam ex fonte, seu principio deri-  
ventur spiritus sensitivi in reliqua membra. Unde fit,  
ut reliqua membra possint vitam conservare, & suas  
functiones exercere. Secundò: per externam directio-  
nem, quae in eo consistit, quod caput per intellectum,  
voluntatem, visum, auditum, & alios sensus, qui in eo  
vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus,  
ne aberrent. Quo pacto per intellectum, & voluntatem  
dirigit manus, ne quid illicitum committant; & per  
visum dirigit pedes, ne in foveam incident; & sic de-  
inceps.

5. Sic etiam Christus in hac vita existens, duobus  
modis gubernavit Ecclesiam. Primo: per internum in-  
fluxum donorum gratiae, Joan. i. v. 16. De penitudine  
*ejus nos omnes accepimus.* Et Ephes. 4. v. 7. Uni-  
cuique nostrum data est gratia secundum mensuram dona-  
tionis Christi. Secundò: per externam directionem, &  
gubernationem; sicut enim Rex externo, & visibili mo-  
dō gubernat Rem publicam præcipiendo, monendo, in-  
crepando, puniendo, officia distribuendo; ita Christus  
in hac vita externo, & visibili modō gubernavit Eccle-  
siam, ordinando Ministros, & Sacerdotes, sanciendo le-  
gem Evangelicam, docendo, hortando, increpando.  
Quod alia similitudine explicat Apostolus, Ephes. 5. v.  
22. 23. cùm ait: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut  
Dominus; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus  
Caput est Ecclesia.* Nempe, quoad externam gubernationem.  
Sicut enim mulier in externis actionibus tene-  
tur se dirigere juxta imperium sui viri, qui est caput  
ipios, ita Ecclesia juxta legem, & mandatum Christi.

## CONCLUSIO III.

6. **C**hristus in celo nunc existens, adhuc manet Ca-  
put Ecclesiæ invisibile, & manebit usque ad  
consummationem seculi; non tamen manet  
Caput visibile. Ratio est: quia adhuc gubernat, & gu-  
bernabit Ecclesiam invisibili modō, nempe per inter-  
num influxum donorum gratiae, & directionem Spiritus

**S**ancti, Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobis sum omni bus diebus usque ad consummationem seculi.* Non tamen gubernat illam visibiliter praesens, sicut fecit ante ascensionem. Unde Augustinus tract. 50. in Joannem propositum: Secundum presentiam Majestatis semper habemus Christum; secundum presentiam carnis recte dictum est Discipulis: *me autem non semper habebitis; habuit enim illum Ecclesia secundum presentiam carnis paucis diebus;* modo fide tenet, oculis non videt.

### CONCLUSIO IV.

7. **H**inc sequitur: praeter Christum, qui nunc in celis est, debere esse aliquod aliud visibile Caput Ecclesiae, quod loco Christi visibiliter gubernet Ecclesiam. Sicut in absentia Regis solet aliquis in regno constitutus, qui vicem illius suppleat in externa politia, praesertim si Rex longo tempore absfuturus est. Ratio sumitur ex dictis: quia regimen Ecclesiae debet manere tale, quale a Christo institutum est; at ipse ante ascensionem suam instituit regimen visibile sub uno visibili Capite; ergo debet manere tale. Sicut ergo ipse fuit visibile Caput ante ascensionem; ita post ascensionem debet esse aliquod aliud visibile Caput loco Christi. Alioqui regimen Ecclesiae, atque adeo ipsa Ecclesia esset mutata, quod est absurdum.

8. Et confirmatur ex analogia Synagogae, & Ecclesiae hoc modo: Synagoga Mosaica fuit umbra, seu typus Ecclesiae Christi; at Synagoga semper fuit gubernata ab uno visibili Capite, nempe a Pontifice, cui reliqui omnes erant subjecti: ut patet ex libris Exodi, Levitici, & Deuteronomii; ergo etiam Ecclesia debet semper gubernari ab uno visibili Capite. Sequela patet: quod gubernari ab uno Capite perfectius est, quam gubernari a multis, ut patet in regimine hujus mundi. Si ergo Synagoga, quae fuit imperfectior, quam Ecclesia (sive umbra imperfectior est, quam corpus), semper gubernata fuit ab uno Capite; multo magis Ecclesia gubernari debet ab uno Capite.

9. Dices: analogia in eo consistit, quod sicut Synago-

nagega habuit unum Caput, nempe Pontificem; ita Ecclesia habeat similiter unum Caput, nempe Christum.

*Respondeo.* Duplex analogia assignanda est: Una quoad internum influxum gratiae. Altera, quoad externam gubernationem. *Prior* in eo consistit, quod sicut Christus per sua merita prævisa contulit Synagogæ internam gratiam; ita per sua merita jam exhibita, multò abundantiorem gratiam conserat Ecclesiæ. *Posterior* in eo, quod sicut Moyses Mediator veteris Testamenti fuit primum Caput visibile Synagogæ quoad externum regimen; ita Christus Mediator novi Testamenti fuerit primum Caput visibile Ecclesiæ in externo regimine. Rursum: sicut post mortem Moysis semper perseveravit visibile regimen Synagogæ; ita post ascensionem Christi semper perseveret visibile regimen Ecclesiæ.

10. Ex utraque analogia colliguntur hæc: *Primo*: Invisibile Caput Synagogæ, & Ecclesiæ quoad internum influxum gratiae esse idem, nempe Christum. *Secundo*: Visibile Caput Synagogæ, & Ecclesiæ quoad externam gubernationem esse diversum; nam visibile Caput Synagogæ ab initio fuit Moyses, cui postea successerunt Pontifices legales; visibile autem Caput Ecclesiæ ab initio fuit Christus, cuius locum postea supplevit Petrus, & ejus Successores ut deinceps probandum est. *Tertio*: Moysen fuisse figuram Christi quoad externam gubernacionem; nam sicut Moyses fuit Legislator, Mediator, & Princeps in veteri Testamento, ita Christus in novo. *Quarto*: Pontifices veteris Testamenti fuisse typum, seu figuram Pontificum novi Testamenti; nam sicut illi in externo regimine præsidebant toti populo Christianorum. Denique confirmatur analogia exercitus, in quo, dum contra hostem procedit, debet esse unus supremus Dux, aut in ejus absentia Vicarius, qui omnia dirigat.

### ANIMADVERSIO.

**A**dversus Concl. IV. toto nisu insurgit Anti-Becanus formis sophisticis, scismaticis, falsitatibusque ugnavans. Quomodo autem? Mutavit formam argumenti principalis à Be-

canō pro visibili Capite Ecclesiae allati; ut ejus jus videretur evanescere, & tunc cavillō dupli in Becanum tortō conatus est eludere, dicens: Becanus vel semper retinuit cornua, vel abjecit; non abjecit, ergo retinuit. Item: Becanus vel mansit hucusque corruptor Aulæ Cæsareæ, vel esse desiit; non dicit: se desississe; fateretur enim, se fuisse; ergo tali forma ait Anti-Becanus, Becanum argumentari, dum dicit: Ecclesiæ regimen à Christo institutum, vel idem est hucusque, vel diversum; si non est idem, mutata est Ecclesia; si vero est, idem erit adhuc visibile regimen, ut iniitio fuit. Lector sit iudex. Sed quomodo? Anti-Becani Sophisma solutum est Prædicanti Cassellensi? sic omnino; ajunt Moguntini, Becanum argumentari, ac si diceret in hunc modum: Vel Crocios hominem, quem domi sua malleis excerebratum vitæ exuit, denuo ad vitam revocavit, vel ille miser adhuc est mortuus; atqui non resuscitavit eum; ergo. Item filia Doctoris NN. (quem, & quam optimè novit) domesticō ante annos aliquot stuprō deflorata, vel mirō miraculō pudorem imminutum recuperavit, vel adhuc intamia stupri laborat; atqui non recuperavit; ergo. Tale ajunt esse argumentum Becani, in quo, ut in præmissis, supponitur, Crocium esse homicidam, & N. filiam scortum factam esse verē: ita verē in arguento supponebatur, & assertebatur regimen visibile monarchicum à Christo in Ecclesia esse constitutum; in sophismate autem contra Becanum torto deerat hypothesis cum cornutum, vel corruptorem fuisse. Sed quid Anti-Becani ajunt ad argumentum Becani, ductum ex analogia Synagogæ, & Ecclesiæ? Anti-Becanus ait: se non videre tortam rectam; Moguntini ajunt: Talpa non videt Solem; ergo non est Sol. Negant consequentiam; collocant tamen in forma, ut talpa videre possit; sic Cœtus, qui est perfectior, quam Synagoga, debet gubernari non detrahente forma, quam Synagoga, clarum cunctis; atqui Ecclesia Christi est Cœtus perfectior, quam Synagoga, clarum Christianis; ergo. Sed Synagoga gubernata est Monarchice sub uno visibili capite, primum Moysē; deinde aliis Successoribus, &c. Quid ad hæc Crocias? insipienter negat Moyses tuifē summum Sacerdotem contra Exodi cap. 40. juno. &c. 2. Paralip. cap. 26. Levit. 8. Psalm. 98. Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus. Philonem lib. 2. de vita Moysis. Gregorium Nazianz. orat. ad Gregor. Nyss. Augustinum quæst. vigesima tercia in Levit. & Psalm. 98. Hieronym. lib. 1. in Jovin. Dionyshum cap. 5. Hierar. &c. imo contra seipsum dicentem alibi: Moyses fuerat Dux, & Pontifex. An non ita sentire, & scribere, insipientium est? assertere, negare jure, an injuriā, non cuiare. Quid vero Anti-Becanus ait ad alteram analogiam ab exercitu bene ordinato petitam? ait: falsa hypothesi substructam esse analogiam. Quomodo? inquit sic: unius exercitus bene ordinati debet esse uetus Dux supremus, unius regni Rex unus, unius ovi-

lis unus Pastor, &c. Anti-Becanus negat. Quare? quia duo subinde Duces uni exercitui præficiuntur, & duo economi uni domui, &c. Vide Anti-Becane stuporem tuum, affirmas uno halitu, & negas; nam ille, à quo duo Duces præficiuntur uni exercitu, non est unus supremus? & an rellè fit, quodcunque fieri vidisti? potrò ne hic hæreas, lege Theophilii Raynaudi tractatum de bicipiti Ecclesia contra novum in Gallia ertorem nuper exortum. Ne tamen admittant Anti-Becani duplex, unum visibile, alterum invisibile Ecclesiæ Caput: instant, & urgent: si Ecclesia habet duplex Caput; ergo & mulier duos viros potest habere; nam Christus est Caput Ecclesiæ, ut vir mulieris. 1. Corinth. 12 v. 2. at consequens est absolum; ergo & antecedens. R. Nego seq. majoris: non enim, quod alicui est Caput, etiam statim illi vir est; Christus, & DEos est Caput mulieris, non tandem vir ejus. 2. Patres non agnovere Caput aliud Ecclesiæ à Christo. R. Distinguendo, gratiam influens invibile, & non subordinatum: verum est: visibile, & subordinatum, invisibili; nego. 3. Christus est Sacerdos in æternum. Psalm. 19. Hebr. 7. v. 17. Ergo non est opus Vicarii. R. Negando consequentiam. 4. Nullum est Sacerdotium præter unum Christi. R. Contrarium probavit Bellarminus duobus libris de Missa. 5. Si Ecclesia habet Caput præter Christum, tunc erit illa corpus alterius capitis, præterquam Christi. R. Negando sequelam majoris. 6. In Apostolica Ecclesia non invenitur œcumenicum caput nominatum unquam; ergo Christus id non instituit. R. Nego antec. Paulus dominavit id, Ephes. 4. & 1. Corinth. 12. Posuit in Ecclesia pri-mùm Apostolos, & S. August. epist. 162. In Romana Ecclesia semper Apostolica Cethedra viguit principatus. 7. Christus noluit in Ecclesia esse Dominationem. Luc. 22. v. 25. Ergo noluit esse œcumenicum Pontificem. R. Negando sequelam, vel distinguo antecedens: noluit esse Dominationem superbam, injuriam facientem, &c. conced. humilem, modestam, &c. noluit; nego. 8. Spiritus Sanctus vicarie regit Ecclesiam Christi, quoad exter-nam gubernationem; ergo non aliud œcumenicus Pontifex. R. Injurious est ille Vicarius Spiritus Sancti Majestati, importans directè mihiorem esse officio, & indirectè etiam in natura, ut ostendunt Moguntini. Omnes fideles sunt membra corporis, cuius Caput est Christus; ergo nullus fidelis est Caput præter Christum. R. Nullum non subordinatum est præter Christum, concedo; nullum subordinatum Christo Caput est, nego; nam caput mulieris vir est, ait Apostolus; 10. Ergo biceps erit Ecclesia. R. Minime; sicuti uxor Prædicantis non est biceps, eo, quod caput habet suum, & adhuc caput ejus vir est, & viri Caput Christus.

## De Petro Christi Vicario, seu de Primatu Petri.

**I**11. **O**stensum est, post Christi ascensionem debesse aliud Caput Ecclesiae visible, quod in externa directione gubernaverit Ecclesiam loco Christi. Hoc Caput assertimus, suisse Petrum Apostolum, quem Sancti Patres vocant Vicarium Christi, Principem & Coryphaeum Apostolorum, Principem, Caput Ecclesiae. Pastorem gregis Dominici, Pastorem Pastorum. Et merito: quia Christus commisit illi curam suarum oviuum, seu totius Ecclesiae, cum dixit: *Pax oves meas*. Unde Bernard. lib. 2. de Consideratione ad Eugenium Papam cap. 8. *Tu es, inquit, cui oves cedita sunt. Sunt quidem & alii gregum Pastores, sed sunt tanto gloriosius, quanto & differentius praeceteres nomen tu datum. Hibent illi sibi assignatos greges, singuli si gulos, tibi universi editi unus unus. Nec modum oviuum, sed & Pasto uniuersi omnia omnium Pastor. Unde id probem, quae sis? Ex te bo Domini: cui enim, non dico Emissorum, sed etiam Apostolorum sic absolute, & indiscretamente commisit ovem? Si me amas Petre, pasce oves meas. Quas? claus, vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit; cui non placuit & non designasse aliquas sed assignasse omnes. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Similia habent Ambros. serm. 46. de penitentia Petri in fine, Greg. lib. 4. epist. 32. ad Mauritium, Augustum & alii.*

**I**2. Idem confirmari potest ex prerogativis Petri; non quod unaquaque prerogativa per se sufficiens sit ad astrictendum Petri Primitum, & eminentiam super alios Apostolos; sed quod omnes simul sumptus id faciant. Sunt autem haec praecipuae: 1. Quod Christus soli Petro inter omnes Apostolos proprium nomen mutaverit. 2. Quod, quando in Evangelio recensentur nomina Apostolorum, semper primo loco ponatur Petrus. 3. Quod Scriptura loquatur de Petro, tanquam de Princepe; de aliis, tanquam de subditis. 4. Quod Petrus saepè loquatur nomine omnium Apostolorum, tanquam illorum Antesignanus. 5. Quod inter omnes

Apostolos soli Petro facta sit prima revelatio divinitatis Christi. 6. Quod soli Petro promissa sit stabilitas fundi, & cathedrae. 7. Quod Christus pro solo Petro, & scripto voluerit tributum soli in Capharnaum. 8. Quod post resurrectionem soli Petro inter omnes Apostolos primum apparuerit. 9. Quod soli Petro absolute dixerit: *Pace oves meas.* 10. Quod Petrus sua auctoritate vocaverit alios ad electionem novi Apostoli in locum Iudeæ proditoris. 11. Quod primus promulgaverit Iudeis Evangelium post acceptum Spiritum Sanctum. 12. Quod primum miraculum apud Iudeos fecerit in confirmationem Evangelii. 13. Quod e iam primus praedicaverit gentibus Evangelium, & quod ipsi soli oblata sit visio cœlestis de vocatione gentium. 14. Quod primus in Concilio Hierosolymitano sententiam dixerit, & omnes illi acquiescerint. Vide, quæ lib. 2. de Republica Ecclesiastica cap. 6. de his disputata sunt.

13. Sed notandum est, quasdam ex illis prærogativis, nempe primas octo præcessisse Primatum Petri, & fuisse, vel ligna futuri Primate, vel dispositiones præbias, vel promissiones ad eundem obtinendum. Nonam, quæ dictum est: *Pace oves meas,* fuisse actualem Primate collationem: reliquas fuisse effectus, seu exercitia Primate jam obtenti. Dabo simile: quando Rex vult alicui ex suis aulicis dare supremam aulæ præfecturam, servat hunc ordinem: *Primò:* disponit illum ad hoc officium. & exhibet quædam signa suæ erga illum propensionis; quatenus illi præceteris familiaris est; soli sua consilia communicat: solum ad legationes magni momenti adhibet; soli promissionem facit; soli primum locum tribuit. *Deinde:* his præmissis, re ipsa consert illi præfecturam; postea permittit illum exercere officia præfecturae. Sic fecit Christus: *Primò:* disponit Petrum ad Primum Ecclesiæ variis signis, & prærogativis. *Deinde:* re ipsa contulit illi Primum, Joan. 21. v. 17. *Pace oves meas.* Denique Petrus, accepto Primate, cœpit illum exercere; cœpit, inquam, convocare discipulos ad electionem novi Apostoli, promulgare solemniter Evangelium; & alia similia officia præstare.

*Objectiones contra Primum Petri.*

**I4.** *P*rima sumitur ex illo: Rom. 12. v. 5. *M*ulti unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membrorum. Ubi Apostolus nullum aliud Caput agnoscit, nisi Christum; & inter membra corporis, non minus includit Petrum, quam alios fidèles; imò omnes fidèles vult esse membra, non solum respectu Christi, sed etiam respectu ipsorum inter se, ut patet ex illis verbis: *Singuli autem alterius membrorum.* Igitur & Petrus, & Pontifex sunt membra corporis Ecclesiæ, non solum, si conferantur cum Christo, sed etiam, si conferantur cum aliis fidelibus; non ergo Caput Ecclesiæ. *R*espondeo: Apostolus dissentè ibi loquitur de Christo, quatenus est Caput Ecclesiæ per internum influxum donorum gratiæ. Et sic verum est, omnes fidèles, etiam Petrum, & Pontificem esse membra, non Caput; omnes enim accipiunt gratiam à Christo, tanquam à Capite; nullus à Petro, vel Pontifice. Si autem sermo sit de Christo, quatenus est Caput Ecclesiæ per externam gubernationem, tunc non solum ipse, sed etiam Petrus est Caput; ille quidem primarium, & propria virtute; hic verò secundarium, & virtute ab illo participata.

**I5.** Dices: ergo Ecclesia est biceps, quia habet duo Capita. *R*espondeo. Nihil hic novum; nam & regnum quodlibet hoc sensu biceps esset, si Regem absentem habet, & Proregem præsentem: utrumque ut caput in externo regimine; sed alterum alteri subordinatum. Idem dico de Ecclesia: Biceps est, quia habet duo Capita, primarium, & secundarium. Dabo aliud exemplum ex Apostolo, Ephes. 5. v. 23. *Vir*, inquit, *caput est mulieris.* At mulier præter virum, qui caput est ipsius, habet etiam naturale caput in suo corpore; igitur biceps est.

*Obiectio II.*

**I6.** *S*icut caput, & reliqua membra hominis constituunt unum integrum corpus naturale; ita Christus, & Ecclesia constituunt integrum cor-

pus mysticum, quod conflatum est ex capite, & membris; teste Apostolo 1. Corinth. 12. ergo omnes præter Christum, qui Caput est, sunt membra corporis Ecclesiæ; ergo nullus præter Christum, est Caput Ecclesiæ. *Respondeo.* Hæc objectio solvit eodem modo, quo prior; nam caput potest dupliciter conferri cum membris. *Primi:* quoad internum influxum, qui procedit à capite in reliqua membra; & sic unius corporis unum est caput. *Secundi:* quoad externum regimen; & sic unius corporis possunt esse duo capita. Quo pætro corpus mulieris habet unum caput, à quo recipit influxum spirituum sensitivorum; habet duo, à quibus regitur in externis actionibus; nam a proprio capite naturali, & à viro, qui caput ipsius morale est, gubernatur. Idem est de Ecclesia: Habet unum Caput quoad influxum gratiæ; habet duo quoad externam gubernationem, quorum unum supplet vices alterius. Et priori modō solus Christus est Caput, reliqui omnes sunt membra; posteriori non solus Christus, sed etiam Petrus est Caput; qui tamen priori modō est membrum, & non Caput.

17. Quando ergo objicitur ex Apostolo, quod Christus, & Ecclesia constituant unum integrum corpus mysticum, quod ex Capite, & membris conflatum est, hoc intelligi debet priori sensu; nam Apostolus diserte loquitur de Christo, quatenus est Caput Ecclesiæ quoad internam divisionem donorum gratiæ, ut in textu patet: Et sic concedo, ut jam ante concessi: omnes, præter Christum, esse membra Ecclesiæ; & nullum præter Christum, esse Caput Ecclesiæ. Quod si similis objectio fiat de Christo, quatenus est Caput per externam gubernationem; dicendum erit: Christum cum suo Vicario esse Caput, reliquos omnes membra. Sicut fit in regno aliquo, ubi Rex cum suo Prorege est Caput regni, alii membra.

### *Objectio III.*

18. **C**hristus suam Ecclesiam æquè commendavit omnibus Apostolis, non magis Petri, quam aliis. Omnibus enim dixit: *Sicut me misit Pater*

Pater, & ego mitto vos. Item: Docete omnes gentes. Deinde omnes æquè docuit, & instruxit. Omnibus æquè misit Spiritum Sanctum in die Pentecostes. Hanc æqualitatem agnoscit Cyprianus in tract. de Simplicitate Prælatorum, seu de unitate Ecclesiæ, cùm ait: Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus; pari consortio prædicti & honoris, & potestatis. Respondeo. Verum est: quod omnibus commendaverit suam Ecclesiam; falsum, quod omnibus æquè commendaverit; nam soli Petro dixit: Pascœ oves meas. Igitur pastura omnium ovium soli Petro, non aliis commenda data est. Nec valet hæc consequentia: omnes æquè instruti sunt, & æquè Spiritum Sanctum acceperunt; ergo unus non habet majorem jurisdictionem, quam alius. Sicuti non valet: homines omnes æquè habent caput, pectus, ventrem &c. ergo omnes sunt æquè Reges, vel Principes in regno. Nam aliud est, loqui de doctrina, & sanctitate; aliud de jurisdictione. Non omnes, qui pares sunt in doctrina, & sanctitate; sunt etiam pares in jurisdictione. Alioqui Rex in regno, si non haberet majorem doctrinam, & sanctitatem, quam subditi; non haberet etiam majorem jurisdictionem, quod est absurdum. Et ratio à priori est: quia potestas, & jurisdictione per se non pendent à majori doctrina, & sanctitate. Cyprianus idem docet, quod nos; nempe omnes Apostolos, antequam Petro diceretur: Pascœ oves meas, fuissent æquales; postea non fuissent æquales; sed Petrum præ alijs eminuisse. Vide, quæ diximus lib. 2. de Republica Ecclesiæ. cap. 7. obiect. 1.

#### Obiectio IV.

**P**AULUS in faciem restitit PETRO ad Galat. 2. v. 11. Ergo Petrus non fuit Caput Ecclesiæ; aliqui Paulus fuisset arrogans, & procaꝝ, quod Capiti Ecclesiæ ausus esset resistere. Respondeo. Verum est, Palum Petro restitisse; quia Petrus erraverat, non quidem in aliquo fidei articulo, in quo errare non poterat juxta promissionem Christi: Rogasti pro te Petre,

*ut non deficit fides tua.* Sed in facto; quia incaute simulabat judaicum cum scandalō, & offensione gentilium. At hinc non sequitur: Petrum non fuisse Caput Ecclesiae; sicut in simili non sequitur: David fuit reprehensus à Joab. 2. Reg. 19. v. 5. ergo non fuit Caput regni. Imò multi Patres ex hac ipsa Petri reprehensione colligunt, superiores posse corripi ab inferioribus; quando sit cum debita humilitate, & charitate, ut Augustinus epist. 19. ad Hieronymum. Cyprianus epist. ad Quirinum de hæreticis rebapclzandis. Gregorius hom. 18. in Ezechielem. D. Thom. in 2. 2. quæst. 33. a. 4. ad 2. Similiter non sequitur: Paulum fuisse arrogantem, & procacem; quia quod fecit, factum est bono zelō ad tollendum scandalum, quod ortum erat ex incauta Petri simulatione.

## ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becani in argumentis pro Primatu Petri se se mirè torquent: uniforma non placet, alteri materia: Cessellensis etiam corrompit formam argumenti, ac tunc sibi triumphum canit. Vera forma argumenti pro Petri Primatu est haec: Qui solus Apostolorum iustione Christi accepit Pastoratum ovium Christi, & agnorum ejusdem; is solus Apostolorum est Pastor omnium in Ecclesia Christi subordinatus Christo; atqui solus Apostolorum Petrus iussu Christi accepit Pastoratum ovium, & agnorum Christi, Ioann. 21. ergo solus Apostolorum Petrus est Pastor omnium in Ecclesia Christi subordinatus Christo. Adversus hanc probandi formam centum annis, & pluribus laborarunt Lutherani, & Calviniani; & minati sunt prout puto Evangelio se eam everuros; gativerunt multa, calumniati sunt plurimum, quid efficerent? nunquam è Scripturis potuerunt concludere conclusionem suam; ergo Petrus non est iussu Christi Domini solus inter Apostolos constitutus Pastor omnium ovium, & agnorum Christi. Quid igitur faciunt? Mysteriò strandis sibi consuetæ utuntur. Quo illo? Objectiones quasdam nugaces, & inefficaces milies solutas à Catholicis excubunt, regerunt, & in scenam reproducunt; ut aliquid agere videantur, & non obmutuisse apud plebem. Ea fraude contenti sunt, si se in cathedris suis sustentent. Porro titulos, & prærogativas Petri pro Pontificatu illius afferendo post Becanum fusiūs in Onomastici forma dig. et Theophilus Raynandus in eo libro, qui dicitur Corona aurea supra mitram Summi Pontificis; qui tituli ex omnibus Iesu collocati convincunt, Ecclesia Christi semper fui-

se judicium, & sensum: Petrum esse oecumenicum Pontificem, seu Pastorem ovium Christi; & pari potestate ejus in Cathedra Romana Successores esse præditos. Veritatis amans Lector illum consulens fructum referet non levem sibi, Adversariis confusione. Quid verò adversus prærogativas Petri à Beccano recitat<sup>s</sup> ajunt? 1. Vocalam prærogativam cum Orbilione flagellant miseri. 2. Nomen Petro non esse mutatum, cò, quòd Simon Petrus di-  
Gus sit, qui ante Simon diceretur. Sat stupide id quidem.  
3. Etiam aliis Apostolis, ut Joanni, Jacobo, qui Boanerges sint appellati; quid tum? non argumentatur Beccanus ex una præro-  
gativa sat est, si ea in Petro sit vera. 4. ajunt: in Catalogo  
Apostolorum non semper nominari primò loco Petrum. Unde  
verò hoc? ex Joan. 1. v. 45. ad Galat. 2. v. 1. 1. Corint. 3.  
v. 22. Sed quero: an ibi texatur Catalogus Apostolorum? Vi-  
deant Anti-Becani. 5. Promissionem oecumenici Pontificatus  
Petro factam à Christo, Matth. 16. v. 18. conantur Anti-Becani  
corrumperem. Quomodo? Simonem ajunt, à petra denomina-  
tum esse, & Christum velle ædificare super petram à qua denomi-  
natus sit Petrus; & proinde negant Anti-Becani se audire, vel  
legere; quòd Christus sit ædificatus Ecclesiæ super Petrum.  
O Calvinista! ô Lutherichola! habuissetis oculos, & aures Joan.  
Chrys. homil. 55. in Matth. Ambrosii, serm. 47. Greg. lib. 4.  
epist. 32. Origen. hom. 5. in Exod. Athanasii in epist. ad Felic.  
Basilii lib. 2. in Eunom. &c. à Moguntinis prolatorum FP. tunc  
sanè vidissetis, & audissetis; nunc aures habetis, & non audi-  
tis, oculos, & non videtis; nempe: quòd Cætholica Ecclesia  
semper vidit, & audivit; quia maluistis audire Lutherum, Cal-  
vinum, & similes seductores. 6. ajunt: Christum omnibus  
Apostolis æquè commississe Ecclesiæ. Resp. Commississe æquè  
quoad curandi actus, verum est: quoad prærogativam, & trans-  
mittendum in posteros officium eminentis curæ suæ, nego.  
Nulli enim dixit: super te ædificabo Ecclesiæ meam, non de-  
ficiet fides tua &c. 7. Petrus non est agnitus Primus, vel  
Oecumenicus; nec id muneric exercevit. Resp. Att. 1. & 2. & 5.  
& 15. cum Chrysostomi Oecumeni, aliorūque Ecclesiæ DD.  
expositione, & Laurentii Foreti ad hæreticas assianas responsione,  
in sua Antiq. Papatûs lib. 2. cap. 2. num. 8. At Oecumenicus  
Pontifex debet esse extra reprehensionis justæ aleam, non fuit  
autem talis Petrus. Gal. 2. v. 11. Resp. Debet esse extra repre-  
hensionem in fidei dogmate, verum est; nec de fidei errore re-  
prehensus est Petrus, sed de errore moris alicujus. 8. Paulus  
non est inferior Petro, 2. Corintb. 11. Gal 2. ergo Petrus non  
est Oecumenicus, vel Summus Pontifex. Resp. Disting. meritis,  
laboribus, &c. conced. Jurisdictione, nego. 9. Petro fuit con-  
creditum Evangelium Circumcisionis, Paulo præputii; ergo Pe-  
trus non fuit Oecumenicus Pastor. Resp. Negando consequentiam

nam illa divisio non fuit potestatis, sed hominum instruendorum principali aliquâ curâ, & frequentiore. Vide Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 16. obj. 4. Denique alii Patres Oecumenicum Pontificatum abnuunt. *Resp.* Eo sensu, quasi Petrus solus esset Pontifex, & nemo praeter eum, bene abnuunt; quasi inter Coepiscopos animarum non emineret iurisdictione, non abnuunt. Videatur ea de te Laut. Forer. in Antiq. Papatus, lib. 2. cap. 2. Hæc pro Primatu S. Petri.

## De Pontifice Petri Successore, seu de Primatu Pontificis.

20. **R**omanum Pontificem esse Petri Successorem, docent antiqui Patres: Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum: Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c. Et August. epist. 165. ad Generosum: Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesia figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram adificabo Ecclesiam meam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Edaristus, &c. Et Philippus Presbyter in Concilio Ephesino, tom. 2. c. 16. Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est: Sanctum Petrum Apostolorum Principem, & Caput, Ecclesia Catolica fundamentum, per Successores suos hucusque semper vivere causisque decernere, semperque dicturum esse. Hujus itaque ordinarius Successor Papa Calestinus nos ad hanc Synodum misit. Omitto alias Patres, qui vel Cronica, vel Martyrologia, vel vitas Pontificum conscripserunt. Omnes incipiunt à Petro, & Pontifices faciunt Petri Successores.

21. Et ratio evidens sumitur ex principiis jam positis. Primum est: Christum in hac vita fuisse visibile Caput Ecclesiæ in externa gubernatione. Alterum: hanc gubernandi formam non esse mutatam post ascensionem Christi, ac proinde etiam nunc opus esse visibili Capite. Tertium: hoc Caput non aliud fuisse post Christum, quam Petrum, cui dictum est: *Pasce oves meas.* Cùm ergo post mortem Petri non sit facta mutatio in regimine Ecclesiæ, necesse est: Petro successisse aliquem. qui codem

eadem modo, quo Petrus, Ecclesiam gubernaverit.  
Nec alias assignari potest, quam Pontifex Romanus.

22. Hinc sequitur: siue Petrus fuit Caput, & Pastor universalis Ecclesiæ; ita etiam Pontificem, qui Petro succedit, cum pari potestate esse Caput, & Pastorem universalis Ecclesiæ. Et hic titulus tribuitur illi in epistola Paschalini Episcopi, & aliorum de damnatione Diocorii, tom. 2. Concil. in fine Concilii Chalcedonensis, ubi leguntur hæc verba: *Unde Sanctissimus, & Beatusissimus Papa, Caput universalis Ecclesia Leo, per nos, ut Legatos suos, &c. Episcopali eum dignitate nudavit. Vide etiam Patres Concilii Chalcedonensis in epist. ad Leonem, quæ exstat in fine ejusdem Concilii.* Item Ambronium epist. 81. ad Stricium Papam. Et Hieronymum epist. 57. ad Damatum Papam. Et Augustinum in libro contra epistolam Manichæi, quam fundamentalem vocant, cap. 4. & alios.

23. Accedunt varia Pontificis privilegia, ex quibus idem convincitor. *Primum* est: quod omnes Episcopi totius orbis, qui in judicis Ecclesiasticis tentiunt, se gravari ab Episcopis, aut Synodis Provincialibus, possint confugere ad Romanum Pontificem, tanquam ad judicem superiorem, cui reliqui omnes Episcopi subiecti esse debeant, & à cuius sententia non liceat ulterius appellare. Hoc patet ex Concilio Sardicensi, cap. 40 juxta secundam editionem. *Alterum*: quod omnes Christiani, quando oriuntur dissensiones in fide, debent adhærere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, seu Sedes Apostolica, si non velint errare. (*Irenæus lib. 3. contra heres cap. 3. Hieronymus epist. 8. ad Demet iadem cap. 9. Basilus in epistola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum. Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Cælestinum Papam. Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 1. & alii. ). *Tertium*: quod nullum Decretum statui possit pro tota Ecclesia, nisi Pontifice contentiente. *Socrates lib. 2. hist. cap. 5. Sozomenus lib. 3. cap. 7. Theodoretus lib. 2. cap. 22. Concilium Chalcedonense Acto. 1. in initio, & Acto. 16.**

*in relatione Sanguis Synodi ad Leonem Papam, Augustinus cum aliis Episcopis Concilii Carthaginensis epist. 69. ad Innocentium Papam. Quartum: Quod Pontifex possit sanctire leges Ecclesiasticas, quae obligent universam Ecclesiam ex dictis; quae omnia a nobis fusè explicata sunt lib. 3. de Republ. Ecclesiastica cap. 4.*

### Objectiones contra Primum Pontificis.

24. **P**rima: Duo Romani Pontifices Pelagius, & Gregorius damnant illum titulum: *Oecumenicus, seu universalis Patriarcha*, quo utebatur Joannes Constantinopolitanus Episcopus. Respondeo. Hi duo tituli distinguuntur. **P**rimò: Dici universalem Episcopum in Ecclesia. **S**econdò: Dici Episcopum universalis Ecclesiarum; Prior reprehenditur in Joanne: posterior re&ē usurpatur a Pontifice. Est autem hoc discrimen inter utrumque: Qui dicit, se esse universalem Episcopum, insinuat se solum esse Episcopum, & aliis omnibus derogat nomen, & honorem Episcopalem. Et hoc fecisse Joannem, testatur Gregorius lib. 4. epist. 34. & 36. & lib. 7. epist. 69. Qui autem dicit, se esse Episcopum, vel Pastorem universalis Ecclesiarum, non significat se esse solum Episcopum, vel Pastorem; sed se habere generalem curam, & gubernationem totius Ecclesiarum; licet alii Episcopi habeant specialem curam, & gubernationem Ecclesiarum particularium. Et hoc sensu Pontifex solet vocari Episcopus, & Pastor universalis Ecclesiarum; ut fatetur Gregorius lib. epist. 32. & alii Pontifices, qui Gregorium præcesserunt, ut Sixtus I. epist. 2. Victor I. epist. 1. Pontianus epist. 1. &c.

25. **S**econdà: Polycrates Episcopus Asianus, & Ireneus restiterunt Victori Papæ, Asiaticas Ecclesias excommunicanti. Respondeo. In facto Victoris duo standa sunt. **P**rimò: Potestas excommunicandi. **S**econdò: Causa excommunicationis. Igitur Polycrates, & Ireneus non negarunt Victorem Papam habere potestem excommunicandi Episcopos Aliæ, ut bene notat Baronius tom. 2. Annal. anno Christi 198. sed negarunt causam excommunicationis fuisse sufficientem, & ideo

illi restiterunt. An autem fuerit sufficiens, nec ne-  
jam non disputo. Si fuit, immerito reprehensus est  
Victor; si non fuit, potuit reprehendi cum debita mo-  
destia, sicut Petrus à Paulo reprehensus est. Hoc enim  
non derogat ipsis potestati, & jurisdictioni. (*suprad  
s. 18.*)

26. *Tertia*: Firmilianus Episcopus Cæsareæ Cappa-  
dociæ non agnovit Stephanum Pontificem pro Capite  
Ecclesiæ, sed illum contempnit, ut patet ex epistola  
ipsius ad Cyprianum data. *Respondeo*. Firmilianus erat  
offensus Pontifici, & idēo tam acerbè in illum scripsit.  
*Causa* offensionis fuit hæc: Cyprianus cum multis Epi-  
scopis Africæ contendebat, baptismum ab hæreticis col-  
latum non esse validum, ac proinde baptizatos ab hæ-  
reticis, quando redeunt ad Ecclesiam Catholicam, esse  
rebaptizandos. Hanc sententiam sequebatur Firmilia-  
nus cum aliis Episcopis Cappadociæ, Ciliciæ, & Galatiæ.  
Stephanus Pontifex, nixus Apostolica traditione, con-  
trarium decernebat; & quia supra dicti Episcopi perti-  
naciter persistebant in sua opinione, a Stephano ex-  
communicati sunt. *Eusebius lib. 7. cap. 4.* Hoc ægrè  
serens Firmilianus, strinxit calatum, & epistola ad Cy-  
prianum missâ multis calumnijs bonum Pontificem in-  
sestatus est; eoque liberius id fecit, quod sciret Cypria-  
num esse in eadem secum opinione, & Pontifici in hoc  
puncto adversari. *Vide Augustinum lib. 1. contra Dona-  
ristas cap. 18.* ubi ait Cyprianum peccasse, quod non  
voluerit Stephano Pontifici obedire.

27. *Quarta*: Episcopi Orientales in Concilio An-  
tiocoeno, duplici de causa restiterunt Julio Pontifici.  
*Primò*: Quod ipsos Romam citasset. *Secundò*: Quod  
Athanasium ad se confugientem, qui in Synodo Orien-  
tali fuerat damnatus, absolvisset, & suæ sedi restituisset.  
In utroque dicebant illum usurpassé plus authoritatis,  
quam debebat. *Respondeo*. Hæc objectio magis premit  
Adversarios, quam nos; nam inter illos Episcopos, qui  
Julio restiterunt, erant triginta sex Ariani. *Contra*  
*verò*: Athanasius, qui Julio adhæsit, erat doctissimus  
& sanctissimus Catholicus. *Quando ergo Adversarii sic*  
ob-

objiciunt : Episcopi Orientales , qui magna ex parte erant hæretici , restiterunt Pontifici ; ergo non habebant illum pro Capite Ecclesiæ. Ego vicissim sic objecio : Athanasius vir catholicissimus , sanctissimus , & doctissimus ab Episcopis Orientalibus appellavit ad Pontificem , tanquam ad superiorem Judicem ; ergo agnoverunt illum pro superiori Judice. Utro objectio mea lior est , Adversariorum , an mea ? Illicredunt Episcopi hæreticis ; ergo Episcopo Catholico. Et tamen illi Episcopi , quod bene notandum est , agnoverunt postea se errasse , & à Julio Pontifice veniam deprecati sunt , ut testatur Athanasius in apologia 2. contra Arrianos , his verbis : Arriani vici a veritate veniam scriptis litteris à Julio Romano Pontifice poposcerunt . & ad nos pro pace epistolas misere . Reliquas objectiones dissolvi lib. 3. de Rebus Ecclesiastica cap. 5.

## ANIMADVERSIO.

**S**i unquam mendaciis , hic strenuissime rem suam egerunt Antia Beccani ; adeo , ut cùm Crocius suo cerebro Germanico in hac arte diffideret , Gallicum Molinæ sit mutuatus . Quid igitur dicunt ? 1. Sanctum Petrum Romæ non fuisse , 2. Nec 250 annis Romæ sedisse . Bellarminus , & Forerius jam id probarunt . 3. S. Gregorium horruisse nomen universalis Episcopi . Hoc iidem refutarunt ; & soprà dixi , quo sensu abnuerint id nomen Patres . 4. Zofimus Papa falsi convidus est in Concilio Carthaginensi , quod citaret Sardenses Canones sub nomine Nicæno . Hoc iidem refutarunt . 5. Ajunt : Canon sextus Concilii Nicæni paretur jurisdictionem inter Patriarchas Rom. Antioch. Alex. & hos Romano æquat . Fraudem hanc detexit Turrianus in 22. d. 15. dub . 2. Bellarm. Forerius . 6. Concilium Chalcedonense æquat Constantinopolitanum Romano . Refellit Bellarminus , & Forerius . 7. Sardicense Concilium , non fuit Generale , quoad personas , & causam nego : quoad distinctam à Nicæno I. difficultatem , non fuit novum generale , transsebat . Generalitatem amplissime probarunt Moguntini pag. 151. 8. Non fuit convocatum à Rom. Pontif. Hoc falsum diluvunt Orientales Episcopi apud Theodorem lib. 2. cap. 20. Forer. lib. 5. cap. 4. 9. Legati Sedis Rom. illi non præsederunt . Falsum id esse evicerunt Moguntini pag. 151. 10. Canones Sardenses de Appellationibus non sunt recepti . Forerius ostendit falso lib. 5. Antiq. Pap. c. 3. 11. Canones Sardenses cum Nicænis non bene concordant . Figmentum volentis discordare , quæ concordant ; appellare posse ad Synodos Pro

vinciales, & ad Apostolicam Sedem bene congrunt; uti ire ad  
 forum, & Templum. 12. Concilium Sardicense non defert Pa-  
 pæ insolidum litis judicium. Textus Concilii hoc mendacium  
 refutat; sed dicit Anti-Becanus: Episcopos hanc Jurisdictionem  
 dedisse Papæ. Falsum dicit: à DEO habebat; Episcopi tantum  
 confessi sunt eum habere. Rursus ait: soli Julio data appellatio,  
 non Sedi Romanae. Novum figmentum lobrici serpentis. Jam  
 supra probatum est: Sedi à DEO datum esse jus judicandi uni-  
 versos. 13. Gelasius abusus est auctoritate horum Canonum.  
 Figmentum hoc refutavit Foretus lib. 6. cap. 32. maximè num.  
 31. contra Molinæum. 14. Athanasius non appellavit ad Pa-  
 pam, uti ad Judicem. Figmentum refutatum ab eodem lib. 5.  
 cap. 12. & lib. 6. cap. 20. Rursum: nec Chrysostomus appelle-  
 lavit, uti ad Judicem. Figmentum similiter à Forero lib. 7. c. 2.  
 refutatum est. Nec Flavianus, nec Theodoretus: refutatum ab  
 eodem lib. 6. cap. 20. 15. Augustinus, & Optatus non agnoscunt  
 Primatum Rom. Pontificis. Figmentum refutatum à Forero lib.  
 5. cap. 15. uum. 27. & lib. 6. cap. 9. 10. 11. 16. Gelasius Papa  
 verbis Christi detrahit. Figmentum refutatum Forerius lib. 6. cap.  
 32. uum. 31. 17. Innocentius erravit, statuens infantes absque  
 communione non posse salvari. Figmentum à Forero lib. 1. cap.  
 21. §. 4. num. 25. & lib. 6. cap. 10. num. 20. refutatum. 18.  
 Augustinus cum Afris non agnovit Primatum Pontificis Romani.  
 Figmentum à Forero lib. 6. cap. 6. &c. rejectum, & nominatum  
 de Cypriano lib. 3. cap. 3. 19. S. Basilius de Damaso, tranquam  
 sui simili loquitur; nec somniat de Primatu Romano. Figme-  
 tum, & calumniam detergere à Sancto illo Moguntini pag. 153.  
 20. In Concilio Constantinopolitano Sedes Constantinopolitana  
 æquata est Romanae. Item in Chalcedonensi Can. 28. Menda-  
 cium hoc confutat Forerius lib. 5. cap. 12. num. 2. & seq. & lib. 6.  
 cap. 27. & seq. 21. Primis quinque seculis non fuit agnitus  
 Oecumenicus Pontifex Romanus. Hoc grande mendacium Fo-  
 rerius lib. 2. 3. 4. 5. 6. confixit. 22. Synodus Constantinopoli-  
 tana I. habita est inconsulto Romano Pontifice. Figmentum à  
 Forero lib. 5. cap. 10. explosum. 23. Ex Concilio Chalcedo-  
 nensi non colligitur Oecumenicus Primatus Papæ. Figmentum à Mo-  
 guntinio in Anti-Becano, pag. 154. & seq. explosum. 25. Pe-  
 lagius II. & Gregorius M. titulum Oecumenici in Joanne Con-  
 stantinopolitano acerrimè oppugnârunt. Resp. In eo, cui non  
 competit jure bono oppugnari; ut si homo de trivio sumat sibi  
 titulum Elect. Imperii; alias in eo, cui competit, sensu sancto  
 non recte oppugnari. 26. Luciferianum est, velle unum Epi-  
 scopum se supra alios Episcopos, qui sunt astra cœli, & nu-  
 bes, efferre. Hoc facit Papa, cum vult esse Oecumenicus.  
 Resp.

Resp. Qui se effert, & non est Oecumenicus, verè Luciferianus  
 est: sed Papa Romanus non est Oecumenicus, nego. 27. Schis-  
 sma inducit, qui le vocat universalem. Resp. Nemo se vocans,  
 quod est, inducit Schismā; sed qui honorem, quem debet, &  
 obedientiam non præstat Vicario Christi, ut faciunt Calvinistæ,  
 & Lutherani. 28. Nunquam orbis universus agnoverit se subesse  
 Pontifici. Resp. Si pro singulis hominibus dicas universum or-  
 bem, verum dicis: sed nihil ad rem; quia illo argumento pro-  
 bas DEUM non esse Dominum omnium, eo, quod singuli ho-  
 minum nōdum se subesse ei agnoverunt. Si de Capitibus Ec-  
 clesiasticis vis intelligi Tō universos orbis; mentiris; & con-  
 futant te generalia Concilia, Patrum monumenta, Corona au-  
 rea Raynaudi, & usus à temporibus Apostolorum hucusque pro-  
 ductus. 29. Polycarpus non obediebat Aniceto; nec Afiani Vi-  
 etori; nec Afri Cornelio; nec Orientales Julio; nec Chalcedo-  
 nensis Synodus Leoni. Refutatum est segmentum à Forero  
 lib. 3. cap. 23. lib. 5. cap. 1. lib. 6. cap. 26. Deinde; esto non  
 obediens aliqui; an ideo non subditi? démi suæ habet Anti-  
 Bécanus Cassellensis solutionem sui argumenti; nempe filia civis  
 neglegit Patris ingenio fortivo iudicavit amori; ergo non est sub-  
 dita Patri de jure, quid viderur? 30. Æneas Sylvius, postea  
 Pius II. scribit: ante Synodum Nicenam, adeoque 300. post  
 Christum annis sibi quemque vixisse, & ad Ecclesiam Roma-  
 nam parvum habitum esse respectum. Resp. Corrèxit sua scripta  
 juvenilia Pius II. & dixit: Æneam rejicite, Pium recipite, &c.  
 & merito: erraverat enim, ut constat ex Ecclesiastica Historia  
 Eusebii, &c. 31. Solus Christus est Caput Ecclesiae universale,  
 & omnes Episcopi membra Christi. Resp. Crambe ter cocta,  
 & decocta sèpè. 32. Nec Petrus, nec illas Apostolus, aut S<sup>a</sup>  
 Episcopus se fecit universalem. Resp. Bene, non fecit; nemo  
 enim potest sibi sumere honorem, nisi à DEO detur; an ideo  
 non est? 33. Nec se universalem appellavit. Resp. Si de re  
 agatur, falsum est; si de nomine, & litteris, concedi potest,  
 neminem dixisse: Ego sum universalis. Sed nihil juvat hoc  
 Anti-Becanos. 34. Tempore Nicenī Concilii debebat Papa esse  
 contentus suburbanis Ecclesiis, quæ intra centesimum lapidem  
 ab urbe erant. Resp. Commentum ex farina Calviniana dissipar-  
 uit Forero lib. 4. cap. 8. num. 3. & seq. contra Moliozum.  
 S. Leo ait: Roma latius præsedid Religione divina, quam Do-  
 minatione terrena; & minus fuit, quod illi bellicos labor sub-  
 didit, quam quod pax Christiana subjecit. 35. Proprium est  
 præcursoris Anti-Christi, superbiendo se cæteris anteponere;  
 atqui Papa hoc facit; ergo, Resp. Negando minorem, quam  
 non possunt probare calumniatores isti. 36. Quis Cardinalibus,  
 vel Clero Romano dedit potestatem electione præficiendi toti  
 orbi Oecumenicum Caput? Resp. Papa. Quis vero Papæ dedid-

Hanc potestatem? Resp. Christus, *Ioan.* 21. committens ei oves suas. 37. Si est aliquis Episcopus universalis Ecclesie, sunc illo apostatante caderet tota Ecclesia. Resp. DEUS prouidit, & providebit porrò, ut non deficiat fides Petri. 38. Tempore Gregorii Magni fuit nomen Oecumenici novum; ergo ante non fuit. Resp. Nugae voculares, & syllabatum, res fuit à Christi in calum ascensi; id Anti-Becano sit, semel dictum esse, satis. 39. Nomen Oecumenici est vanum, profacuum, blasphemum, perversum, superbum, stultum, sceleratum. Resp. Prout illud Joannes Constantinopolitanus arrogabat sibi, terum est: prout illud Christus Petro dedit; falsum est. 40. Est contra statuta Evangelica, & Canonica. Resp. Crambe alio juscule condita saepè decocta. 41. Is coercendus est, qui honori Imp. se superponit. Resp. Calvinistæ valde sunt solliciti pro Imp. honore, scilicet: sed tamen fingamus esse; qui se autoritate assumpta ex se superponit, est coercendus; qui verò autoritate DEI superpositus est, & gradum suum servat, quem jure tenet, est coercendus, nego; prius faciunt rebelles Regibus suis, posterius facit Papa. Illi ergo coercendi, hic humiliter ferendus est. 42. Coercendus est, qui nulli subesse, & solus omnibus vult praesesse; at talis est Papa, assumens nomen universalis; ergo. Resp. Nego minorem; verius dixisses in minori: tales sunt Calviniani, Independentes fratres mei in Anglia, & Apolloniani fratres mei in Zelandia, & alii alibi brevi ex ovo prodituri. 43. Christus non instituit ullum Oecumenicum totius Ecclesie Episcopum. Resp. Falsum est æquè, ac Petrus non fuit Oecumenicus Episcopus. 44. Omnes Episcopi æquè omnibus Apostolis succedunt. Resp. Falsum est. 45. Romanus Episcopus appellatur ab aliis Episcopis frater, Collega, Coepiscopus: ergo non est Oecumenicus. Resp. Negando sequelam. 46. Romanus Papa non convocavit Concilia ex toto orbe primis seculis; ergo non est Oecumenicus. Resp. Quid igitur S. Petrus in actis Apostolorum? & si singulis seculis non fecit, id probat non opus fuisse; instantiae, quas faciunt Anti-Becani, vel male intellectæ, vel figurae sunt, ut Moguntini ostenderunt. 47. Ad Romanum Episcopum olim non licet appellare, imò ab eo; ergo non est Oecumenicus. Resp. Moguntini antecedens distinxerunt, ita, ut nihil prosit Anti-Becanis; nempe: quasdam appellationes ipso Romano Papa consentiente esse vetitas. His similibus multò pluribus figuris, affariis, & officiis pugnant Anti-Becani. Sed ex dictis cetera lector estimabit, quæ omittimus, Moguntinam persequuntur.



## C A P U T V.

### *De Judice Controversiarum.*

1. CElebris quæstio est, quis debeat esse Judex controversiarum, quæ oriuntur inter Christianos circa fidem, & religionem? Adversarii docent: Scripturam esse Normam, & Judicem; omnes fidei controversias ex sola Scriptura finiri, ac decidi posse. Hoc probant: quia Deus in veteri Testamento remittit Iudeos ad solam Scripturam, tanquam ad Judicem, Isaiae s. v. 20. *Ad legem magis, & ad testimonium.* Idem facit Christus in novo, Joan. s. v. 39. *Scrutamini Scripturas.* Et hoc Christi consilium secuti sunt Berones, de quibus scriptum est, Act. 17. v. 11. *Quotidie scrutantes Scripturas, si hac ita se haberent.* Ita illi.

2. Nos distinguimus inter Judicem, & Normam. Judicem vocamus, qui fert sententiam inter partes litigantes. Normam, secundum quam fertur sententia à Judice. Posita hac distinctione tria asserimus. Primo: Ecclesiam esse Judicem controversiarum. Secundo: Normam, quam sequitur Ecclesia in sententia ferenda, non esse solam Scripturam, sed Scripturam, & Traditionem simul. Tertio: Ecclesiam juxta hanc normam duplē sententiam pronunciare posse; vel per Pontificem, qui est Caput, & Pastor Ecclesiæ; vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam. Et utroque modo sententiam esse infallibilem; nam neque Pontificem in fide errare posse, cui in Petro dictum est: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Neque Concilia legitimè celebrata, propter illam Christi promissionem: *Ecce ego vobis cum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

3. Ad hanc sententiam confirmandam, & priorem refellendam utar sex argumentis. *Primum* sumet ex officio Judicis, quod Scripturæ non competit. *Secundum* ex parte ipsius Scripturæ, in qua duo spectanda sunt, littera, & sensus. Littera occidit, teste Apostolo. Sensus sœpè obscurus est, ut alio Judice opus sit. *Tertium* ex parte controversiarum; nam aliquæ sunt, quæ ex Scriptura dirimi non possunt, cum nulla de illis in Scriptura fiat mentio. *Quartum* ex usu, & praxi veteris Testamenti, ubi non Scriptura, sed Pontifex pro Judice agnoscebat. *Quintum* ex simili usu, ac praxi novi Testamenti. *Sextum* ex analogia Judicis controversiarum civilium, & politicarum; nam Judex ejusmodi controversiarum non est lex scripta, sed Princeps, aut Consistorium Principis. Postea respondebo ad objectiones Adversariorum.

### ANIMADVERSIO.

**I**N hac Controversia supponitur, quod sœpius inter Pastores Ecclesie Christi, etiam si sequantur ducem Sacrae Scripturæ, nihilominus oriuntur dissidia, tum de vero sensu Scripturæ, tum rei controversæ veritate; uti accidit inter Arianos, & Athanasios in Ægypto, illis dicentibus: Christum non esse DEI Filium consubstantialem; his contra idem affirmantibus, utrque ex Scriptura se tutantibus. Quo casu queritur? quis debeat, & possit cum autoritate definitiva partes litigantes judicare, & sententiâ lata terminare? Hactenus Lutherani, & Calvinistæ, &c. hujus temporis apostatae à Romana Ecclesia, dixerunt: hunc judicem esse Biblia; at hoc tempore aliqui obruti pluvia argumentorum Catholicorum, & rei male fundatæ expediti, ajunt callidius quiddam: nempe 1. supremum Judicem controversiarum esse DEUM, cuius vox sit Biblia Sacra. 2. Huic subordinatum Judicem esse Ecclesiam aliquam v. g. Cassellensem, Francosurensem, vel Synodum Dordracenam, &c. particulares, fallibilésque congregations astrictas Bibliis, uti subalternatos, & secundarios Judices. Contra Lutheranos, & Calvinianos dicentes: Biblia esse Judicem controversiarum, directe procedit, & eorum sententiam evexit; contra posteriores indirecte; etiam enim verbis discrepant à prioribus, re tamen nihil; sed mysteriū fraudis Prædicantice, ab Hieronymo Mülmanno evulgatae, se aliquando callidius obvelant, ne adeò citò deprehendantur; et si idem dicant quoad rem, quod cæteri simplices Lutherani, & Calvinistæ. Audiamus Recanum.

## Primum Argumentum ex officio Judicis.

4. **P**rimum argumentum sic propono: Qui est **Judex** inter duos litigantes (subaudi, de re ipsis ad salutem necessaria; & veritatem ejus scire volentes, & scire debentes) debet ita pronunciare sententiam, ut uterque litigantium manifestè intelligat, quænam sit sententia **Judicis**: & alter eorum fateatur (vel fateri possit) illam pro se, alter contra se latam esse, alioqui, nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed uterque suam causam prosequetur, at Scriptura non potest esse talis **Judex** controversiarum. Major per se clara est; minorem probo: quia Lutherani, & Calvinistæ multis annis litigant de his punctis. **Primò**: De Baptismo Parvulorum. **Secundò**: De reali præsentia Christi in Eucharistia. **Tertiò**: De prædestinatione. **Quartò**: De Persona Christi. **Quintò**: De Exorcismo. **Sextò**: De numero, & Canone librorum Scripturæ; & tamen Scriptura, quam volunt esse **Judicem**, non potest dirimere, aut finire has ipsas controversias. Nec hactenus auditum, est, ita pronunciasse sententiam; ut vel Lutherani, vel Calvinistæ sacci sint, contra se pronunciatam esse. Hoc constat ex eventu; nam utrique pergunt in studio, & ardore litigandi, quod sine dubio non facerent, si putarent sententiam clarè semel esse latam. Tunc enim vel ultro cessarent à suscepta contentione, & sententiæ acquiescerent; vel certè, si existimarent injustè secum actum esse, ad alium **Judicem** provocarent. Neutrum sit.

5. Utque magis appareat vis hujus argumenti, duo consideranda sunt: Unum, quod tam Lutherani, quam Calvinistæ palam fateantur, se non aliud **Judicem**, quam solam Scripturam agnoscere; & hanc ipsam Scripturam esse claram, perspicuum, & ad omnes controversias sopiendas per se sufficientem, nec ullam falsitatem subesse illi posse. Alterum, quod nihilominus utriusque nihil aliud faciant litigando apud hunc **Judicem**, quam ut quotidie crescant eorum lites, & ipsi erga se mutuo infestiores evadant. Ex quibus alterutrum sequi necesse est: vel Scripturam hactenus non pronun-

eiâsse claram, perspicuam, & sufficientem sententiam: vel certe, si pronunciavit, Lutheranos, & Calvinistas pervicaces esse, qui claræ, perspicuæ, & sufficienti sententiæ non volunt acquiescere. Alterutrum ipsi eligant.

### ANIMADVERSIO.

**Q**uid ad hoc argumentum Anti. Recanus? in majore clarissima tricari primò, deinde sentiendo, se ibi non proficere, negare minorem: & experientiam, qua Recanus probat minorem, rejicere in hominum obstinatorum virium, non in Scripturam satis clare loquentem. Quasi omnes Lutherani, & Catholici videant veritatem in Scriptura, & nolint pervicaciæ rigidi, Calvinistas sequi, vel ita sint cœci, ut, quod Calvinistæ vident, hi non videant in Se ipsa. Pulchrum effugium, scilicet: nam hoc idem dicunt Lutherani pro se de Calvinistis, & Catholici de utriusque. Quis jam Judex eit hujus controværsie? vide, quò homo suo iudicio innixus devolvatur;

### Secundum Argumentum ex parte Scripturæ.

1. IN Scriptura duo spectanda sunt: Littera, & sensus, sicut in homine corpus, & anima. De illis, ut aliqui interpretantur, locutus est Apostolus 2. Corinth. 3. v. 6. cùm ait: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* q. d. Si sequaris verum Scripturæ sensum, qui est quasi spiritus, & anima vivificans; prodierit tibi ad salutem. Si autem neglegto vero, & legitimo sensu, haeresas tantum in externa littera, & contendas illum esse sensum, quem externa littera præfert, sœpè errabis. Quam interpretationem sequitur Augustinus serm. 70. de Tempore. Frequenter, inquit, admonui charitatem vestram, fratres dilectissimi, ut his lectionibus, quæ diebus istis in Ecclesia recitantur, non hoc tantum attendere debeamus, quod ex littera sonare cognoscimus, sed remoto velamine littera, vivificantem spiritum fideliter requiramus. Sic enim dicit Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Denique infelices Judai, & plus infelices heretici, qui, dum solum litteræ aspiciunt sonum, quasi corpus sine anima, ita fine vivificante spiritu mortui remanserunt. Similia habet lib. 3. de doctrina Christiana cap. 5.

7. Hoc posito duo probanda sunt: *Unum* est, quod Scriptura, si litteram spe*c̄t̄es*, non possit esse Judex controversiarum. *Alterum*, quod neque, si sensum spe*c̄t̄es*, possit esse Judex. Priorem partem sic probo: Ille non potest esse infallibilis Judex controversiarum, qui ducit homines in errorem, & hæresim; at Scriptura, si nudam illius litteram spectemus, facile ducit homines in errorem, & hæresim; (*sopposita ipsorum imbecillitate*) ergo non potest esse infallibilis Judex controversiarum. Major per se nota est; quia propterea quærimus infallibilem Judicem, ne erremus; ergo, qui ducit nos in errorem, non est infallibilis Judex. Minor patet ex Apostolo; quia Scriptura secundum litteram occidit, id est, in lapsum, & errorem dicit.

8. Sic olim occidit Judæos, qui omnia, quæ in Moysi, & Prophetis prædicta erant de Christo, intelligebant secundum externam litteram, & sensum interius latentes non percipiebant. Et hoc est, quod ait Apostolus 2. Corinth. 3. v. 15. *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen postum est super cor eorum.* Id est: adhuc Judæi non intelligunt Moysen, quem quotidie legunt; quia non penetrant internum ipsius sensum, sed externâ litterâ contenti sunt. Vel clarius: non agnoscunt Christum, qui in Moysi sub externis cæremoniis, ac sacrificiis, tanquam sub velamine occultatus est. Adhuc hærent in ipso velamine, & non considerant, quid sub illo lateat reconditum.

9. Quod etiam objicit illis Christus, Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere.* Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam beatissimam. Quasi dicat: si vultis certò cognoscere, me esse Messiam à Deo promissum, de quo Moyses, & Prophetæ scripserunt; non tantum debetis legere Scripturas quoad externam litteram, sed multò magis scutari internum sensum, & spiritum, qui sub externa littera, quasi sub umbra, aut figura delitescit. Hoc haec tenus non fecistis; tametsi enim persuasum vobis sit, in Scripturis suam esse vitam aeternam; tamen nescitis, in qua

qua parte sita sit. Non est sita in externa litera, in extē  
ternis cæremoniis, & figuris, ut vos putatis; sed in spiri-  
tu, & sensu in mysterio. Ibi me quærите, & invenietis.

10. Nec solos Judæos, sed etiam hæreticos littera  
occidit; nam multi in suis erroribus prop̄terea perie-  
runt, quod relicto Scripturæ sensu, quem sequitur San-  
cta, & Catholica Ecclesia, aliud sensum secundum ex-  
ternam litteram amplexi sint. Quod aliquot exem-  
plis obiter demonstrabo.

11. Sabelliani dicebant: non esse tres Personas di-  
vinas, sed unam tantum, quæ tamen haberet tria no-  
mina propter diversa officia, seu operationes. Eandem  
enim Personam vocari Patrem, Filium, & Spiritum  
Sanctum; sed diverso respectu. Patrem, quatenus est  
author omnium creaturarum; Filium, quatenus assu-  
mptus humanam naturam ex Virgine; Spiritum Sanctum,  
quatenus sanctificat nos per suam gratiam. Ex eorum  
sententia sequebatur: Patrem esse mortuum, & passum;  
nam si una tantum est Persona, quæ dicitur Pater, Fi-  
lius, & Spiritus Sanctus; sicut, si illa Persona mortua,  
& passa est, necesse est, Patrem mortuum, & passum  
esse. Hinc teste Augustino in lib. de bærefiō. cap. 41.  
Patripassiani appellati sunt. Unde hic tantus error  
ex littera occidente; nam secundum extē  
ternam intelligebant illud Joan. 10. v. 30. *Ego, & Pater  
unum sumus.* Ex quo inferebant, Patrem, & Filium  
(& consequenter Spiritum Sanctum) esse unum quoad  
Personam, cum tamen secundum sensum Ecclesiæ, sint  
unum quoad essentiam, & duo quoad Personam.

12. Arriani dicebant: Christum non esse DEUM,  
sed inferiorem DEO. Unde hoc? quia relicto sensu  
Ecclesiæ secundum litteram explicabant verba Christi,  
Joan. 14. v. 28. *Pater major me est.* Id est, absolute  
major; at Ecclesiæ sensus est, Christum secundum hu-  
manitatem esse minorem DEO Patre; secundum divi-  
nitatem, æqualem. Et priori modō intelligendum esse  
illud: *Pater major me est.* Posteriore illud: *Ego, &  
Pater unum sumus.* Et sic omnia optimè cohærente.  
Vide Athanasium orat. 2. contra Arrianos. Hilarium  
lib.

*lib. 5. & 11. de Trinitate Augustinum lib. 3. contra Maximinum cap. 24. & 25. & lib. de Trinitate cap. 7.*

13. Macedoniani negabant Spiritum Sanctum esse Deum. Ex quo principio? Ex littera occidente; nam secundum litteram accipiebant illud Apostoli 1. Corin. 2. v. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda DEI.* Unde sic concludebant: Qui scrutatur, querit; qui querit, dubitat; qui dubitat, ignorat; qui ignorat, Deus non est; ergo Spiritus Sanctus non est Deus. At Ecclesia locum illum sic interpretatur: *Spiritus omnia scrutatur;* id est, omnia penetrat, & comprehendit. Quo sensu dicitur etiam Deus Pater omnia scrutari, 1. Paralip. 28. v. 9. *Omnia corda scrutatur DEUS.* Et Psal. 7. v. 10. *Scrutans corda, & renes DEUS.* Et Jerem. 17. v. 10. *Ego Dominus scrutans corda.* Vide Theodoreum, Theophylactum, D. Thomam, & alios in commentario illius loci.

14. Manichæi asserebant: *vetus Testamentum novum contrarium esse.* Quare? Quia rem totam aestimabant secundum externam litteram, quam si spectas, alterum alteri videtur repugnare. Nam *vetus* dicit: *Deum creasse omnia, Genes. 1. v. 1.* *Novum* dicit: *Verbum creasse omnia, Joan. 1. v. 3.* Rursum *vetus* dicit: *hominem factum esse ad imaginem Dei, Genes. 1. v. 27.* *Novum* dicit: *hominem esse ex diabolo, Joan. 8. v. 44.* Item *vetus* dicit: *Deum die septimo quievisse ab omni opere, Genes. 2. v. 2.* *Novum* dicit: *Deum usque modò operari, Joan. 5. v. 18.* Contra hos agit Divus Augustinus in libro contra Admantum Manichæi discipulum, & ex sensu Catholicæ Ecclesiæ conciliat inter se loca, quæ secundum litteram videntur sibi adversari. Non enim repugnat, *Deum fecisse omnia;* & tamen fecisse per Verbum, veluti per suam artem, seu ideam. Nec repugnat, *hominem factum esse ad imaginem Dei quoad naturam;* & tamen esse ex diabolo quoad malitiam. Denique non repugnat, *Deum quievisse die septimo ab opere creationis mundi;* & tamen semper operari in gubernando, & conservando.

15. Pelagiani negabant peccatum originale, assertantes: peccatum Adami nocuisse ipsi soli, non autem posteris. Ex quo fundamento? Ex littera occidente, quia scriptum est Ezechiel. 18. v. 20. *Filius non portabit iniquitatem Patris.* At sensus illius loci secundum sententiam Ecclesiae Catholicae est hic: Filius, qui non est particeps peccati Patris, non portabit iniquitatem Patris; si autem particeps est, portabit. Vide Augustinum in lib. post collocationem cap. 7. Nunc autem constat, posteros fuisse participes peccati primi Parentis, juxta illud Rom. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt.* Sed quomodo peccaverunt omnes in Adamo? Hoc alibi explicandum est.

16. Fuerunt etiam antiquiores haeretici, qui negabant carnis resurrectionem; quia scriptum est, Joan. 6. v. 64. *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam.* Ex quo loco secundum externam litteram intellecto sic argumentabantur: Quorsum caro, si nihil prodest, esset resurrectura? (Resert Tertullianus in lib. de Resurrectione carnis cap. 37.) Ex eodem loco Calvinistae faciunt hanc similim consequentiam: Quorsum Christus daret nobis suam carnem in Sacramento Eucharistiae, si nihil prodest? Utrique decepti sunt ex littera occidente, alioqui licet etiam concludere hoc modo: Si caro non prodest quidquam? cur Christus eam assumpsit? cur Verbum caro factum est? cur pro nobis cruci eam affixit? certe non fecit hoc frustra. Vide Maldonatum in cap. 6. Joannis.

17. Atque haec sufficient de priori parte argumenti, in qua tum autoritate Apostoli, tum variis exemplis demonstratum est; Scripturam, si litteram externam spectemus, non posse esse infallibilem Judicem controversiarum; quia littera occidit, & varios errores, ac haereses parit.

18. Altera pars est: Nec Scripturam, si sensum spectemus, posse esse Judicem. Quam sic probo: Scriptura quoad verum, & legitimum sensum saepè est obscura, & difficilis intellectu; ac proinde saepè oritur controversia de vero, & legitimo ipsius sensu. Omnis autem

autem controversia requirit aliquem Judicem : debes ergo aliquis esse Judex , qui definiat hunc esse legitimum sensum , illum non esse. At hic Judex non potest esse ipsa Scriptura , de cuius mente , & sententia controversia movetur ; ergo aliquis alius distinctus à Scriptura.

19. In hoc discurſu tunt tria principia. *Primum* est : Scripturam quoad sensum sèpè esse obscuram , & difficilem intellectu. Hoc fusè probatum est cap. 1. *Alterum* est : Ex hac obscuritate necessariò nasci multitudo controversias. Hoc non indiget alia probatione , quam quotidianā experientiā. Constat enim omnibus seculis à tempore Apostolorum ad nos usque semper ortas suisse aliquas controversias de legitimo Scripturæ sensu. *Tertium* est : Judicem harum controversiarum non posse esse Scripturam. Quod probo duplīcī arguimento.

20. *Primum* sumitur ex dictis in hunc modum : Judex debet clare pronunciare sententiam , ut ab utraque parte litigante (cupiente , & debente scire veritatem ) intelligi possit ; aliqui fruſtra illam pronunciat ; at Scriptura , quando sensus ipsius obscurus est , non potest clare pronunciare sententiam , ut ab utraque parte litigante intelligi possit. Si enim in tali casu clare pronunciaret sententiam , jam sensus ipsius non esset obscurus , sed clarus , quod est contra suppositionem ; ergo in tali casu non potest esse Judex.

21. *Dices* : Tametsi sensus Scripturæ in uno loco aliquando obscurus sit , tamen in alio potest esse clarus ; ac proinde Scriptura per illum locum , qui clarus est , potest ferti sententiam de alio , qui obscurus est. *Resp.* Hoc quidem obtendunt Adversarii , sed fruſtra. Nam primò , si ita est : cur ipsi per hanc viam non finiunt controversias , quas inter se habent ? cur , inquam , Lutherani , & Calvinistæ , cùm altercantur de aliquo Scripturæ loco , qui obscurus est , non recurrent ad alium , qui clarus est ? aut si id faciunt , cur nullus altercandi apud illos est finis ? Hic hærent.

22. *Deinde* aliud est , verba Scripturæ esse clara ; aliud , sensum Scripturæ esse clarum ; nam claritas verborum

borum pendet ex cognitione Grammaticæ ; claritas autem sensus ex intentione , & consilio Spiritus Sancti ; ergo in tali casu verba Scripturæ poterunt esse clara, non tamen sensus verborum, qui à Spiritu Sancto intenditur, erit clarus. Hoc ostendam in exemplo. Verba Christi in Evangelio sunt hæc : *Hoc est Corpus meum : Hic est Sanguis meus.* Quæ verba, si nativam illorum significacionem spectes, sunt clara, & perspicua ; & ab omnibus, non modò Christianis, sed etiam Judæis, Turcis, & Ethnicis intelligi possunt. At de sensu illorum, qui à Spiritu Sancto intentus est, infinitæ propè apud Christianos controversiæ sunt.

23. Addo : non raro fieri, ut idem locus Scripturæ, quem una pars litigantium putat clarum, & perspicuum esse, ab altera censeatur esse obscurus, ac intricatus. Quid in tali casu factò opus est ? aut quis Judex adhibendus ? Scriptura certè pro Judice adhiberi non potest ; nam de illius sensu, ac sententia controversia est ; cùm alii claram, alii obscuram esse contendant ; & ab aliis in hanc, ab aliis in aliam partem distrahatur. Quid ergo consilii ? sínè dubio aliis Judex quærendus est : v. g. Lis inter nos, & Calvinistas est de vero, ac locali descensu Christi ad inferos, quem illi negant, nos astruimus. Et utimur dupli testimoñio. Altero ex Symbolo fidei : *Descendit ad inferos.* Altero ex cap. 2. Act. v. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Utrumque dicimus clarum, & perspicuum esse. Calvinistæ de utroque negant, & obscurissima sua interpretatione utrumque faciunt obscurissimum ; ac priùs quidem interpretantur hoc sensu : *Descendit ad inferos,* id est : pertulit in cruce duros cruciatus damnati, ac perdit hominis, ut coactus fuerit urgente angustiâ exclamare : *DEUS meus, ut quid dereliquisti me ?* Posteriorius autem hoc sensu : *Non derelinques animam meam in inferno,* id est : Non derelinques cadaver meum in sepulchro. Ità Beza in commentario illius loci.

24. Quid hic agendum ? aut quem Judicem compellabimus ? si Scripturam consulimus, nihil aliud ipsa dicet, quam quod antea dixi : nullum iota, nullum apicem

spicem additura est: de eo autem, quod antea dixi, controversia est, ergo per id, quod antea dixit, controversia finiri non potest. Si ergo post ortam controversiam Scriptura nihil novi dicit, sed manet in antiquis terminis, certe per illam finiri lis non potest; sed necesse est, ut vel alium Judicem adire, vel alteram partem litigantem sponte cedere, vel denique utramque in lite perseverare.

25. Posterius argumentum. Multa sunt testimonia Scripturæ, quorum verus, ac legitimus sensus haberi non potest, nisi ex Traditione, & autoritate Ecclesiæ; (ut probatum est cap. 2.) ergo si oriatur controversia circa ejusmodi testimonia, sola Scriptura non potest esse Judex, sed oportebit configere ad Traditionem, & auctoritatem Ecclesiæ. v. g. Christus dicit Matt. 28.v.19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sensus verus, & legitimus est: quod in Baptismo pronunciarū debeant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et quod Baptismus sine tali verborum pronunciatione non sit validus. In hoc consentiunt nobiscum Adversarii. At si aliquis negaret hunc esse sensum, & contenderet non opus esse pronunciare hæc verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* sed omnino sufficere, si quis inter baptizandum habeat internam voluntatem, & intentionem baptizandi in nomine Sanctissimæ Trinitatis; quomodo illum confundaremus? an ex solis Scripturæ verbis? nihil minus nam illa verba: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* non dicunt vocalem Trinitatis invocationem adhiberi oportere. Unde ergo constat, oportere? Ex praxi, & Traditione Ecclesiæ. Si hanc respuis, non habebis ullum praesidium contra Adversarium, qui negaret vocalem prolationem necessariam esse.

26. Aliud exemplum: Christus dicit Ioan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.* Hic locus secundum verum, & legitimum sensum intelligitur de necessitate Baptismi aquæ, ut nobiscum fatentur Lutherani; at

Calvinistæ hoc negant; quomodo ergo refelli poterunt à Lutheranis? non certe ex verbis citatis; nam tametsi nominetur aqua, non tamen additur expressè, quod debeat intelligi de vera aqua; nam & alibi nominatur ignis, ut Lucæ 3. v. 16. *Ipse vos baptizabit in Spiritu, & igne;* & tamen non intelligitur verus ignis. Unde ergo constabit in priori loco, veram aquam intelligi oportere, & in posteriori non verum ignem; aut, unde Lutherani contra Calvinistas id probabunt? Non aliunde, quam ex praxi, & Traditione Ecclesiæ.

27. Aliud: Christus in ultima Cœna non solum instituit Eucharistiam, sed etiam lotionem pedum adhibuit. Et quidem in institutione Eucharistie dixit: *Comedite, bibite.* In lotione autem pedum: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Hic Adversarii dicunt: priora verba continere præceptum, posteriora non item: ac proinde fideles divinò præceptō obligari ad sumendum Eucharistiam sub utraque specie; non tamen ad lotionem pedum. Nunc quæro: unde hoc ipsis constet? aut quo prætextu existimet se tenéri quidem ad summptionem utriusque speciei, sed tamen liberos esse à lotione pedum? Non possunt prætexere Scripturæ verba, nam illa contrarium potius præferunt. Hæc enim: *Comedite, bibite,* non plūs videntur significare, quam si paterfamilias dicat suis hospitibus: *Comedite, bibite, læti estote.* At si paterfamilias ita loqueretur, non censeretur illos velle sub præcepto obligare; cùm ergo Christus eodem modo locutus sit, unde constabit, eum voluisse novò præceptō obligare omnes fideles ad utramque speciem? Hæc autem verba: *Vos debetis alter alterius lavare pedes,* videntur significare præceptum, non minùs, quam si Dominus dicat servo: *Tu debes mensam parare.* Unde igitur sciunt, se his verbis non obligari ad lavandos pedes, cùm tamen hæc verba obligationem præferant? Ex sola praxi, & Traditione Ecclesiæ; nam Ecclesia nunquam usurpavit hanc lotionem, tanquam necessariam; quod tamen fecisset, si divinò præceptō putasset se ad illam obligari.

28. Omitto similia exempla, quæ paliſim occurſunt; & ex diſtis concluſo in hunc modum: Scriptura potest dupliſiter ſpectari. Primo: Quoad extēnam litteram. Secundo: Quoad internū ſenſum, qui à Spiritu Sancto intentus eſt. Neutro modo potest eſſe Iudex controverſiarum. Non priori, quia extēna littera ſapē duciſ nos in errorem. Nec posteriori, quia ſenſus Scripturæ ſapē obſcurus, & ambiguius eſt; ita ut opus ſit alio Iudice, qui definiat hunc legitimum, & à Spiritu Sancto intentum illum non eſſe. Atque haec ſufficient de ſecundo argumento, quod ex parte Scripturæ deſumptum eſt.

### ANIMADVERSIO.

**Q**uid Anti-Becanus ad 2. argumentum? 1. taxat, quod Becanus diſtinguit litteram à Spiritu Scripturæ. Sed nonne id taxare eſt ridiculum apud intelligentes; cùm ipſe Apoſtolus id fecerit? 2. Dicit: eſſe quatuor terminos in argumento Becani illo: Si Scriptura eſſet Iudex controverſiarum, vel ſore ſecundūm litteram tantū, vel ſecundūm ſenſum tantū, vel ſecundūm utrumque ſimul ſumpta; neque enim datur præterea aliiquid in Scriptura, ſecundūm quod ipſa poſſit eſſe Iudex; ſed non eſt ſecundūm litteram tantū, nec ſecundūm ſenſum tantū, nec ſecundūm utrumque ſimul, uti probatur; ergo. Ita Becanus: ubi verò hic 4. termini? At Becanus ſic non exprimit, Omnino, lege Sycophanta. Minoris enim probationem per trimembrem Scripturæ inumptionem Becano procedit; nam toto ſecundo argumento probat, Scripturam non poſſe eſſe Iudicem controverſiarum ſecundūm ſolam litteram, neque ſecundūm ſolam ſenſum; & denique tertio argumento probat eandem Scripturam non poſſe eſſe Iudicem ſecundūm litteram, & ſenſum coniunctim; quia multæ ſunt controverſiae fidei, quarum vel nulla eſt mentio in Scripturis, vel omnino ad definiendum iſſuficiens eſt Scriptura, ut ibi videbimus. Quid jam amplius Anti-Becanus moveat? Etiam probationem Minoris principalis quoad primam partem impedit. Quomodo? Becanus probaverat, Scripturam ſecundūm litteram ſolam occidere ex Apoſtolo, & Auguſt. hoc negat Anti-Becanus, dicens: id vitiō malæ interpretationis fieri. Quomodo Mogontini hic respondent pro Becano? Ajunt: interpretationem maiam eſſe errorem ipium, qazéruntque: quis Lectorem ingeniō, probitatēque præditum in iſtum errorem induxit? non ipſe ſe, quia noluit errare, & ſolus cum littera Scripturæ errat, cùm legebat eam; ergo littera eum ſeduxit, non eſſentialiter, & neceſſariō, ſed tamē ſeipſā. Ibi Anti-Becanus tenetur. Quid verò

idem sit ad alteram partem principalis Minoris? nempe: Scripturam nequidem sumptam secundum sensum posse esse Judicem controversiarum; Calumnias oggerit, uti sepius atramentum. Quas quæsto? 1. Becanum pro argumento formato inducere discutum. Resp. Si malum, ostende? si bonum, quid carpis? 2. Impostor Becanus pro controversiis fidei supponit controversias de particularibus Scripturæ textibus. Resp. Tu ipse impostor es, qui controversum articulum fidei in Scripturæ textu supponis non latere, cum id melius nōris. 3. Becanus opposit, in omnibus controversiis fidei debere esse aliquem Judicem, idque ambiguē. Resp. Calumniaris: absque ambiguitate talem Judicem in terris supremum, & infallibilem requirit. 4. Becanus ludit in vocula Judicis. Resp. Calumniaris: propriè dictum Judicem requirit. 5. Becanus aliena loquitur à proposito, cum alium concludit debere esse Judicem à Scriptura distinctum. Resp. Cur aliena? Quia aliquis Calvinista hoc non negat. Quis ille? Crocius Cassellis post mortem Becani primùm auditus crocitare. Quid autem crocitat? Consistorium aliquod Prædicanticum esse Judicem controversiarum. Non oppugnavit hanc sententiam Becanus? non erat opus, quia ipsi se oppugnaverant, dicentes: se esse errantes homines. Ubi hoc dixerunt? In Dordracena Synodo, ubi tota sapientia Calvinistarum fuit congregata. Quibus verbis hoc dixerunt? Absit verbis, tum non sunt humiles, sed factis testati sunt; quia magis discordes recesserunt, quam convererunt. Hoc Acta, & post scripta eorum loquuntur, integris tomis excusa. Concedit igitur Calvinista Crocius contra symystas suos, Scripturam non esse Judicem controversiarum? Ita sancè: post tot negationes. Quid ad hoc alii Prædicantes? aut sequentur eum, aut pœnas dabit.

### Tertium Argumentum ex parte Controversiarum.

29. **H**oc argumentum sic propono: Multæ sunt controversiæ circa fidem, & religionem, quarum vel nulla fit mentio in Scriptura; vel certè non sufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis sententiam ferre possit: ergo in iis dirimendis alias Judex quærendus est. Eiusmodi autem controversiæ sunt hæc.

30. **P**rima: An libri Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, & Machabæorum sint Canonici? nec ne? Negant Lutherani, & Calvinistæ; nos affirmamus. At quis erit Judex, qui litem dirimat? Scriptura esse non potest; nec Lutherani, & Calvinistæ, quod bene notandum est, ad Scripturam provocant; sed ad Canonem, &

& Traditionem Judæorum. Ajunt: libros istos in Cænone Judæorum non reperiri, ideoque Canonicos non esse. Agnoscent igitur alium Judicem in hac causa præter Scripturam. Et quem illum? Traditionem Judæorum. Mica res! Pluris Judæos, quam Christianos faciunt; & cum ipso Christiani esse velint. Christi, & Apostolorum Traditionibus infestissimi sunt, & Judæorum Traditionem in pretio habent.

31. Secunda: Quot sint Sacra menta novæ Legis; Adversarii dicunt esse duo: Baptismum, & Eucharistiam. Catholici, septem. Quid autem Scriptura? nihil de hoc numero definit, ac proinde Judex in hac causa esso non potest. Unde ergo Catholici habent septennarium, si ex Scriptura non habent: ex Traditione, & consensu Ecclesiæ. Unde Adversarii binarium? hoc ipsi viderint. Certè ex Scriptura non habent, aut, si putant se habere, speciatim præstent hæc tria. Primo: Ostendant ex Scriptura nomen Sacramenti tribui Baptismo, & Eucharistiæ; non item aliis? Secundo: Ex eadem Scriptura definitiant Sacramentum? Tertiò: Demonstrent definitiōnem convenire Baptismo, & Eucharistiæ; non autem reliquis? Hæc si præstiterint, salva res est. At nunquam præstabunt.

32. Tertia: An Exorcismus possit adhiberi in Baptismo? Ajunt Eutherani, negant Calvinistæ. Neutrì tam ex Scriptura suam sententiam possunt confirmare. Similis controversia est inter ipsos Lutheranos, an infantes (quos ajunt habere actum fidei, dum baptizantur) accipiant fidem vi Exorcismi, ut vult Lutherus; an vi Baptismi, ut contendunt ipsius Asseclæ.

33. Quartā: An baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi? affi: mayit olim Cyprianus cum quibusdam aliis. Negabat post Augustinus cum reliquis. Sed nec hi, nec illi poterant ex sola Scriptura hanc litem decidere; nam Augustinus, qui veriorem sententiam tenebat, non aliunde, quam ex Apostolica Traditione, & praxi Ecclesiæ se tuebatur: (*lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & lib. 5. cap. 23.*) Huic Traditioni cessit Cyprianus, quia videbat se omni præsidio Scripturæ destitutum esse, teste Augustino epist. 48. ad Vincentium.

34. Sunt & aliae similes controversiae, quae ex sola Scriptura decidi non possunt, præsertim hæ. *Prima*: An Baptismus una mersione, an tria conferti debeant; *Secunda*: An Christiani loco Sabbathi debeant colere diem Dominicum? *Tertia*: An Symbolum fidei sit verè Apostolicum? *Quarta*: An B. MARIA manserit Virgo post partum? &c.

### ANIMADVERSO.

**T**ertium argumentum Becani, quo probat Scripturato secundum se totam, sive secundum sensum, & litteram suam, non posse esse judicem controversiarum, idèo, quod multorum fidei punctorum controversorum in Scriptura non sit mentionio, vel non sufficiens, uti Becanus per 5. exempla demonstrat; Anti-Becanus mirificè aggreditur. 1. Quia concedit non esse mentionem quartundam controversiarum in Scriptura, & tamen concedit, eam harum posse esse normam; mox sui oblitus dicit, eas virtusliter, implicitèque in Scriptura contineri. 2. Ait, controversias de fædo non esse è Biblijis decidendas. Falsissimum hoc est: an non ex Scriptura deciditur questio de facto Jude proditionis. 3. In primum exemplum Becani impingit, & ait: Tobie, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, & Machabæorum libros non esse Canonicos; quia, ut ille affimat, mentionantur, & docent impia. Resp. Moguntioi, negando assumptum, & urgente Prædicantem, ut hoc ex Scriptura proberet; sed defecit. 4. Ad secundum Becani exemplum concedit Crocius, nomen Sacramenti non esse in Scriptura, sat esse, si res sit. Audio, Sed dic, quomodo in Scriptura res est, si ibi rei istius nomen non est? Item ait: se, subisque patatos esse ad definiendum è Scriptura Sacramentum: imò ad hoc teneri; mox resiliens ait: non teneri. Quare? Non poterat ex Scriptura. Quid igitur facit? an confitetur id ipsum? Minime; sed dat definitionem hanc: quod Sacramentum sit ritus, qui habet mandatum DEI; & cui addita est remissio peccatorum. Unde verò illam dedit? E cerebro suo. Quo jure? Mysteriō fraudis Prædicantice, quæ est, verbum DEI strenue jactare, & suas imaginationes ejus loco obtrudere. 5. Ad tertium Becani exemplum de Exorcismo, & aliis ceremoniis ait Anti-Becanus: esse rejicienda. Quare? Christus damnavit. Ubi? Matth. 1.5. 3. Quare & vos transgredimini mandatum DEI propter traditionem vestram? &c. Ita Crocius. Sed ubi hic Exorcismus damnatur? an Iherosolimæ exorcibant? &c. Christianas ceremonias usurpabant? Non sicut. Quomodo ergo Prædicans eas ex illo loco Matthæi damnat? Sic: Prædicans vult per mysterium fraudis, qua verbum DEI prætendens suum inculcat.

6. Ad quartum Becani exemplum de infantium fide, dum baptizantur, bene datnat Crocius, utpote Lutheranam controversiam.  
 7. Ad quintum exemplum, an rebaptizandi sine ab hereticis? sit Crocius, ex Scriptura deduci sic: quod non est in Scriptura, non est faciendum; iteratio Baptismi non est in Scriptura; ergo. Rulent hic Moguntini hominem, qui ex Scriptura deducere possit, quod non est in Scriptura, ut ipse fateretur. 8. Trinoma, vel unicam mersionem in Baptismo ait Anti-Becanus esse adiophorum. Unde hoc definit? ex Scriptura? non certe; nisi iterum inde deducat, ubi non est. In diei verbi Dominicæ celebrations loco Sabbathi inducta, plane se strangulat.

*Quartum Argumentum ex usu, & praxi  
veteris Testamenti.*

35. **C**ertum est, in veteri Testamento omnes controversias legales, quæ erant majoris momenti, decisas suisse à summo Sacerdote, seu Pontifice; ut testatur Josephus lib. 2, contra Apionem. Et expressè habetur Deut. 17. v. 8. 9. Ubi tria notanda sunt. *Prirūd*: Quod variæ fuerint controversiæ apud Iudeos. Aliæ oriebantur ex lege Decalogi, aliæ ex mandatis moralibus, quæ sunt extra legem Decalogi, aliæ ex præceptis ceremonialibus, aliæ ex judicialibus. 2. *Parap.* 19. v. 16. & Liranus *ibid.* *Secundūd*: Quod in singulis civitatibus constituti fuerint inferiores Judices, qui ex officio dabant hujusmodi controversias dirimere. *Deut.* 6. v. 18. & 2. *Paral.* 19. v. 5. *Tertiūd*: Quod, quando inferiores Judices non poterant inter se convenire, nec controversias ad se delatas, propter peculiarem aliquam difficultatem dirimere; necesse fuerit con fugere Hierosolymam ad superiores Judices, quibus Pontifex præsidebat; & Pontificis sententiæ sub pena mortis acquiescere. *Deut.* 17. v. 8.

36. Hinc colligimus, duplex apud Iudeos suisse Tribunal, & Concilium; unum majus, quod vocabatur Sanedrim, vel Synedrion, vel Concilium Seniorum; alterum minus. Inter ea multiplex fuit discrimin. *Primum*: Quia majus erat tantum Hierosolymæ, minus in singulis civitatibus. *Secundum*: In majori judicabantur maiores controversiæ, in minori faciliores. *Tertiūd*: In majori præsidebat Pontifex, non item in mi-

meri. *Quartum*: A minori licebat appellare ad majus, non autem contra à majori ad minus. *Quintum*: In majori erant septuaginta personæ præter Pontificem, in minori viginti tres. De majori sèpè fit mentio in Evangelio.

37. Utrumque Concilium habuit suam originem sub Moysè; & majus quidem institutum est ex mando Dei, *Num. 11. v. 16*. Minus verò ex cōsilio Iesu Christi, *Exod. 18. v. 13*. Porrò cùm utrumque progressu temporis penè collapsum esset, iterum restitutum, & renovatum fuit à Josaphat Rege Juda, ut habetur *2. Paralip. 19. v. 5*. Plura de hac re diximus in analogia veteris, ac novi Testamenti *cap. 11.* & alibi.

38. Quæres 1. An Pontifex, quem dicimus esse Judicem controversiarum, in veteri Testamento fuerit infallibilis Judex? Respondeo affirmativè. Et tripliciter probo: Primi: Quia quando aliqua controversia erat difficilis, & ambigua; volebat Deus, ut partes litigantes deferrent eam ad Pontificem in majori Concilio præsidentem cum hac premissione, quod ab eo accepturi essent judicii veritatem. (*Deut. 17. v. 9*.) Secundi: Quia Deus mandabat omnibus sub pœna mortis, ut acquiescerent sententiæ Pontificis, (*Deut. 17. v. 12*.) Tertiè: Quia si Pontifex, quando in Concilio prænunciabat sententiam, potuisset falli; nunquam litigantes, qui illum consulebant, fuissent securi. Cur ergo sub pœna capitidis tenebantur sequi illius decisionem.

39. Quare Pontifex fuerit potius infallibilis in decidendis controversiis legalibus, quam alii Judices inferiores? Ratio dubitandi est: quia fieri poterat, ut non minus alii essent periti in lege, quam Pontifex; ergo non minus alii potuissent esse infallibles, quam Pontifex. Imò etiam magis, si erant periores. Respondeo. Si spectemus industriam humanam, certum est, non minus alios, quam Pontificem potuisse Legem intelligere, & interpretari. Si autem spectemus afflentiam Spiritus Sancti, quæ sanè potissimum in hoc negotio spectanda est, ea Pontifici potius, quam aliis fuit communicata. Exemplum habemus in Moyses;

nam Deus concessit illi maiorem assistentiam; quam septuaginta Senioribus, qui illi in hoc officio subserviebant. Hoc colligitur ex illo, Num. 11. v. 17. *Dixit Dominus ad Moysen: Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi.* Ubi per spiritum intelligi debet aliquid donum gratiae, quod requiritur in iis, qui recte volunt alios gubernare, & eorum controversias dirimere. Est ergo hic sensus: *Auferam de spiritu tuo, & tradam;* id est: dabo illis donum gratiae, sed infra illud donum, quod tu habes Tibi, qui supremus Judex es, plus dari oportuit, quam illis, qui tibi subiecti sunt.

## ANIMADVERSIO.

**Q**uid ad quarum Becani argumentum Anti-Becanus? Multa. 1. ait: ad Sacerdotes non fuisse judicium delatum. Errat autem contra Deut. 17. *Qui superbi erit nolens obediere Sacerdotis imperio, &c.* 2. Cum hoc non succederet, ait: Sacerdotes non judicasse de doctrina, & religione. Errat autem contra 2. Paralip. 19. Pontificem jussit in iis, quae ad DEUM sunt praesidere. 3. Cum & hic ictus eum se felicitet, ait: eos non de Lege, sed secundum Legem, vel ex Lege debuisse judicare; de qua re: utique de religione per Scripturam; & ubi obscura erat Lex, vel non attingebat controvseriam, quid tunc? nonne de Lege judicabant? Frivola igitur effugia querit Prædicans. Hinc 4. ait: non sequitur à veteri Testamento ad novum, nisi probatio alii accedit. Imò sequitur à Figura ad figuratum, si manetnr in analogia; ergo. 5. Ait: à Moysi ad Pontificem non est consequentia. Ecce non? Ridicule affert ea, in quibus convenit Moysi, & Pontifici; & negligit ea, in quibus discrepant, veluti circumcisum esse, in Ægypto natum esse, &c. O acutum! 6. Ad infallibilitatem Pontificis in veteri Testamento, ut easa evertat Anti-Becanus, nihil solidi affert; nequidem apparenter, nisi quod ait: Pontifices veteris Testamenti aliquoties aberrasse, ut Aaronem Exod. 32. Uriam 4. Reg. 16. Caipham Matth. 26. sed pridem responsum fuit: errores facti, non dogmatum fidei fuisse ab eis commissos.

## Quintum Argumentum ex usu, &amp; praxi novi Testamenti.

**40.** **S**icut in veteri Testamento, ut jam ostendi, non Scriptura, sed Pontifex, & Concilium Seniorum fuit Judex controversiarum; sic etiam in

novo hactenus servatum est. Hoc ostendam brevi inductione. Ac primò: tempore Apostolorum fuit orta controversia de circumcisione: An scilicet novi Christiani, qui tunc fidem Evangelii recipiebant, non possent salvati, nisi etiam circumcidarentur, & legalia servarent? Quæ controversia potissimum intelligebatur de gentilibus ad fidem conversis. Erat autem duplex de hac re sententia: Una quorundam, qui ex Iudeis facti erant Christiani, qui dicebant: gentiles per fidem Christi non posse salvati, nisi circumcidarentur, & ceremonias Legis Mosaicæ observarent. Altera Pauli, & Barnabæ, qui ascribant: non opus esse circumcisione, & observatione legalium. Act. 15. v. 1.

41. At quomodo decisæ, & finita est hæc controversia? An ad solam Scripturam, tanquam ad communem Judicem delata est? Nihil minus. Sed potius ex consensu utriusque partis delecti sunt aliqui, qui Hierosolymam irent ad Apostolos, ut ipsi in solemni Concilio de tota re cognoscerent, & definitivam sententiam pronunciarent; quod & factum est: nam ex una parte designati sunt Paulus, & Barnabas; ex altera alii, qui simul Hierosolymam profecti, Apostolos, & Seniores adierunt. Hi coacto Concilio, & invocato Spiritu Sancto; responderunt his verbis: *Vixum est Spiritui Sancto, & nobis; nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Quæ verba per modum Epistolæ missa sunt ad gentiles Christianos, de quibus agebatur. Et sensus est: Non volumus vobis imponere onus circumcisionis, & legalium, quod grave est; sed abstinere ab iis, quæ jam dicta sunt, quod grave non est.

42. Hic duo, quæ ad rem faciunt, notanda sunt. Primum est: quod hæc controversia de circumcisione, & legalibus, sufficienter potuisse determinari per Paulum, & Barnabam; qui & ambo erant Apostoli, & Prophetæ, & Doctores. Act. 13. v. 1. Ambo à Spiritu Sancto speciatim delecti, ut Evangelium Gentibus prædicarent. Act. 13. v. 2. Et jam reipsa illud prædicaverunt

in multis locis, ac provinciis. Act. 14. 2. 25. 26. Neuter tamen voluit hoc officium usurpare, ut suō exemplō docerent, hujusmodi controversias, quā fidem, ac religionem concertrunt, ad ordinarios Ecclesiæ Prelatos, vel ad Concilia Prælatorum deferri oportere.

43. Alterum est: quod in Concilio Apostolorum, in quo controversia illa proposita, & definita est; nullum Scripturæ testimonium, quod directè ad circumcidionem pertineret, allatum sit; cùm tamen in utramque partem non defutura fuissent testimonia, si ex illis solis oportuisset litem finire, ac terminare; nam pro circumcisione adduci potuisses illud, Gen. 17. v. 10. 11. 12. Hoc est pactum meum, quod obseruantis inter me. Et vos, Et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Et circumcisionis carnem præputium vestrum, ut sit in signum fœderis inter me, Et vos, Et cetero. Tam vernaculus, quam emptius circumcidetur. Et quiunque non fuerit de stirpe vestra; Eritque puctum meum in carne vestra in sacerdos aeternum. At si pactum est aeternum, ut hic dicitur: semper servari necesse est, etiam in lege Evangelica; nec solum a Judæis, sed etiam ab aliis, qui non sunt de stirpe Judæorum. Contra vero occurrebat illud, Deut. 30. v. 6. Circumcidet Dominus DEUS tuus cor tuum, Et cor seminis tui. Ubi insinuat, circumcisionem carnis non duraturam in novo Testamento, sed ei successuram circumcisionem cordis. Sicut etiam Jerem. 4. v. 4. Circumcidimini a Domino, Et auferite præputia cordium vestrorum. Quas dicat: Non requiro circumcisionem carnis, sed cordis, quae consistit in interna contritione, & dolore de peccatis. Haec, & similia utrimque adduci poterant ex Scriptura. At factum non est; sed Apostoli in Concilio congregati ex directione, & assistentia divina, quam Christus promiserat illis, & eorum successoribus, sententiam protrulerunt.

44. Post tempora Apostolorum, aliae, atque alias controversiae, diversis locis, & ætatibus exortæ sunt; quas similiter a Pontifice Romano, vel a Conciliis ab eo approbatis, decitas, ac diremptas esse, notum est ex histo-

historiis Ecclesiasticis. Et qui illorum sententiae noluerunt acquiescere, pro hereticis habiti, & damnati sunt. Producam exempla aliquot illustriora, quae primum occurserunt.

45. *Prima* controversia fuit: An Pascha deberet celebrari cum Judæis die decima quarta primi mensis, ut volebant multi in Asia, qui propterea Quartadecimani appellati sunt. An vero tantum die Dominica, sicut nunc fit: Hæc tandem post multa Concilia Episcoporum decisa, ac finita est à Victore Papa, anno Christi 198. Vide Euseb. lib. 5. hist. Eccles. cap. 23. & seq.

46. *Secunda*: An Ecclesia possit illos absolvere à peccatis, qui post Baptismum lapsi essent? Negavit Novatianus. Sed damnatus est in Concilio Romano sub Cornelio Papa, anno Christi 255. Vide Baronium circa eundem annum.

47. *Tertia*: An in Deo sint tres Personæ realiter distinctæ? Negavit Sabellius afferens: unam tantum esse Personam, quæ habeat tria officia: Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis. Sed damnatus est in Concilio Alexandrino, tempore Sylvestri Papæ, anno Christi 319. juxta Baronium.

48. *Quarta*: An Christus sit purus homo, sive cæteri mortales, & nihil amplius habeat in natura. & hypostasi, quam nos habemus? Affirmavit Paulus Samosatenus. Sed damnatus est in Synodo Antiochenæ tempore Dionysii Papæ, anno 266. juxta Baronium. Vide Eusebium lib. 7. cap. 27.

49. *Quinta*: An Christus sit Verbum Patris æternum, & ejusdem cum Patre substantiæ? Negavit Arius afferens: esse Verbum Verbi non ab æterno, sed in tempore à Deo ex nihilo creatum, & alterius à Deo substantiæ: ac proinde DEUM non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse, cum non esset Pater. Sed damnatus est in Concilio Nicæno I. sub Sylvestro Papa, & Constantino Imperatore; anno 325. Vide duas Epistolas Alexandri Episcopi Alexandrini, quarum una exstat apud Socratem lib. 1. cap. 3. Altera apud Thodoretum lib. 1. cap. 4.

50. *Sexta*: An in Christo sint duæ Personæ, sicut sunt duæ naturæ, divina, & humana? Affirmavit Nestorius Episcopus Constantinopolitanus. Sed damnatus est in generali Concilio Ephesino, sub Cœlestino Papa, & Theodosio Imperatore, anno 434. & priùs à Cyrillo in Concilio Alexandrinæ, anno 431. Vide Baronium.

51. *Septima*: An in Christo sint duæ naturæ? Eustyches, & Diocorus dixerunt: ante unionem hypostaticam fuisse duas naturas, divinam, & humanam; post unionem, duas in unam coalescere, & unam factam esse. Sed damnati sunt in generali Concilio Chalcedonensi sub Leone Papa, & Marciano Imperatore, anno 454. Vide Gabrielem Vasquez tom. 1. in 3. partem Divi Thomæ, disp. 14.

52. *Ottava*: An in Christo sit una tantum voluntas? Macarius Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus, & quidam alii, tametsi agnoscerent in Christo duas naturas, dixerunt tamen unam tantum esse voluntatem, nempe divinam; ut refert D. Thom. in 3. quæst. 18. art. 1. Ideoque Monothelitæ appellati sunt. Eorum sententia damnata est in generali Concilio Constantinopolitano III. sub Agathone Papa, & Constantino IV. Imperatore, anno 679. juxta Baronium. An autem nomine voluntatis intellexerint potentiam, ac operationem? videri potest apud Gabrielem Vasquez tom. cit. disp. 73. cap. 1.

53. *Nona*: An Spiritus Sanctus sit Deus? Negarunt Macedoniani, de quibus Augustinus in libro de Hexaeresibus cap. 52. sic scribit: Macedoniani sunt à Macedonio Constantinopolitano Ecclesia Episcopo, quos Ὑπερυματομάχοις Græci dicunt; id, quod de Spiritu Sancto litigent. Nam de Patre, & Filio rectè sentiunt, quod unitus fuit, ejusdemque substantia, vel essentia. Sed de Spiritu Sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hi damnati sunt in Generali Concilio Constantinopolitano I. sub Damaso Papa, & Theodosio Imperatore, anno 383.

54. *Decima*: An Baptismus repeti, seu reiterari possit? Quæ controverbia dupliciter potest intelligi.

**Prīmū:** An Baptismus, si semel validē collatus sit, repeti possit? Affirmavit Marcion, teste Epiphanio *ha-  
refi* 42. paulò pōst principium. **Secundū:** An Baptismus, qui ab hæreticis collatus est, repeti possit? Affirmarunt Donatistæ, qui baptizatos à Catholicis rebaptizabant, teste Augustino in lib. de Hæresibus *cap: 69.* eò, quod Catholicos haberent pro hæreticis, & Baptismum ab hæreticis collatum putarent esse invalidum, ut explicat Vasquez *disp. 146. cap. 4.* Hi damnati sunt in Concilio Romano sub Melchiade Papa, anno 313. apud Ba-  
ronium.

**55. Undecima:** An homo sine gratia DEI per so-  
las naturæ vites possit implere Legem, si velit? Affir-  
marunt Pelagius, & Cœlestius. Sed damnati sunt in  
Concilio Carthaginensi, & Milevitano sub Innocentio I.  
anno 416. juxta computum Baronii.

**56. Duodecima:** An Parvuli nascantur in peccato  
originali, & ad illud peccatum abolendum indigeant  
Baptismū? Negarunt iidem authores, Pelagius, & Cœ-  
lestius; teste Augustino in lib. de hæresibus *cap. 88.* ubi  
de illis sic habet: Hic error damnatus est in Concilio  
Milevitano *cap. 2.* & postea à Zosimo Papa, ut testatur  
idem Augustinus in lib. de peccato originali *cap. 6.* & seq.

**57.** In his, & similibus controversiis, quas brevi-  
tatis causā omittō, tria consideranda sunt; **Prīmū:**  
Quod altera pars litigantium clare, & perspicue damna-  
ta sit. **Secundū:** Quod hæc condemnatio facta sit ab  
Ecclesia Catholica, tanquam à Judice, quæ aliquando  
tulit sententiam per Pontificem, qui est Caput, seu Pa-  
stor Ecclesiæ; aliquando per Concilia, quæ repræsen-  
tant Ecclesiam. **Tertīū:** Quod Lutherani, & Calvinistæ  
agnoscant hanc damnationem legitimè factam esse.  
Fatentur enim Novatianum, Sabellium, Samosatenum,  
Arrium, Nestorium, Eutychen, & Diocorum, Mono-  
thelitas, Macedonianos, Donatistas, Pelagianos, me-  
ritò damnatos esse, & pro hæreticis haberi oportere.  
Nec aliunde, quam ex Ecclesiæ Catholicæ decisione.  
Quod si sola Scriptura esset Judex, & Ecclesia suam sen-  
tentiam non interposuisset, in hodiernum usque diem  
du-

durarent istae controversiae; nec adhuc clare, & palam omnibus constaret, supradictos authores pro hæreticis habendos esse. Nunc cum ab Ecclesia damnati sunt, res certa, & in dubitata est.

§8. Dices: Quid si Ecclesia errasset in serenda sententia? Respondeo. Hoc tantundem est, ac si dicas: Quid si Christus, Apostoli, & Prophetæ mentiti essent. Nam illi testati sunt, Ecclesiam errare, aut desicere non posse. Est enim, ut loquitur Christus, fundata super petram; & porta inferi non prævalebunt adversus eam. Matth. 16. v. 18. Est columna, & firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3. v. 15. Nunquam confundetur, neque erubescet. Isaiae 54. v. 4. Jaspis est propugnaculum ejus. Ibid. v. 12. Et omnis lingua resistens illi in iudicio condemnabitur. Ibid. v. 7. de hac re dixi cap. 3.

### ANIMADVERSIO.

**Q**uid ad quintum Becani argumentum Anti-Becanus? tricas ipse sibi facit; & denique concedit verum esse, quod Becanus hic docet. Qas oro tricas? Has, 1. ait: ab Apostolis infallibilibus non valere argumentum ad posteros eorum, & Papam. Sed cur non? si Christus privilegia eadem Papæ concessit, que Petro; uti alibi faxis declaratum est. 2. ait: Becanum non probare, quod debebat. Quid igitur debebat probare? Crocius ait: Scripturam non esse judicandi normam. O homo! hoc Becanus non debebat, sed hoc: Ecclesiam semper Judicem controversiarum scire, non vero Scripturam. Non id facit? at aliquis Prædicans hoc non negat. Esto: alii nagent; Crocius alibi configit; si non ibi. Sed quid ad exempla singula à Becano allata Anti-Becanus? Probare nolle, & improbare non potest evidentiâ lucis historicæ, & pp. testimoniis perstrictus. Gattit tamen quedam ad singula, ne gloriam damnatarum hæresum Papæ Romano relinquat; sed deliria sunt ex iisdem historiis peripicue refutata. Deinde ait: in damnandis hæresibus Scripturam esse adhibitam, ut normam. Esto, sed nec uti Judex ipsa, nec ut norma adæquata, ut ostendunt ipsæ Actæ Conciliorum. Denique scrupulos habet Anti-Becanus circa confirmationem, & approbationem Conciliorum; ait enim: si Conciliz non approbata possunt errare, etiam approbata. Quare? Quia Papa non habet potestatem, vel mandatum confirmandi; uti nec Concilia petendi confirmationem à Papa. Quomodo hoc probas Anti-Becane? Nihilo. Itaque tibi nihil etiam credimus.

Sextum

*Sextum Argumentum ex Analogia Judicis  
Controversiarum Civilium.*

59. **H**oc argumentum, quod rem maximè illustrabit, proponi potest hoc modo: Inter res fidei, ac religionis ex una parte, & inter res civiles, ac politicas ex altera, potest spēdari multiplex analogia. *Prima:* Sicut in politicis, ac civilibus sāpē oriuntur lites, ac controversiae, quæ requirunt aliquem Judicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes; sic etiam sit in fide, ac religione. *Secunda:* Sicut in controversiis civilibus distinguuntur hæc tria: *Judex*, *Lex scripta*, & *consuetudo*; sic etiam in controversiis fidei hæc tria: *Judex*, *Scriptura utriusque Testamenti*, & *Traditio*. *Tertia:* Sicut Princeps, vel *Magistratus secularis* fungitur officiō *Judicis* in decisione *controversiarum civilium*; sic etiam Princeps Ecclesiæ, vel *Synodus Ecclesiastica* fungitur officiō *Judicis* in decisione *controversiarum fidei*. *Quarta:* Sicut *Lex scripta* est quasi norma quædam, seu regula, quam sequitur *Judex secularis* in decidendis *controversiis civilibus*; sic etiam *Scriptura utriusque Testamenti* est, quasi norma quædam, seu regula, quam sequitur *Judex Ecclesiasticus* in decidendis *controversiis fidei*. *Quinta:* Sicut sola *Lex scripta* non est sufficiens, & *integra norma omnium controversiarum*, sed *Lex scripta*, & *consuetudo* simul; sic etiam sola *Scriptura utriusque Testamenti* non est sufficiens, & *integra norma omnium controversiarum fidei*; sed *Scriptura*, & *Traditio* simul.

60. Hæc clara sunt: nihilominus, ne quis dubitet, singula breviter explicabo. Ac *primò:* Quod Princeps, vel *Magistratus secularis* fungatur officiō *Judicis* in *controversiis civilibus*, non eget longa probatione. Hoc enim testatur quotidiana experientia in omnibus regnis, ac provinciis; nam ubique contentiones, & causæ civiles deferuntur ad Principem, vel *Magistratum secularēm*, quem partes litigantes agnoscunt pro legitimo suo *Judice*; quod etiam ex utroque jure, tam *civili*, quam *Canonico* notissimum est; nam in utroque existans

*Tituli:*

**Tituli:** De officio Judicis ordinarii, & delegati. Nee ullus in hac re tam peregrinus, accipitidus est; ut per Judicem ordinarium, aut delegatum intelligat Legem scriptam; cum constet illum esse ordinarium, qui ordinariam habet jurisdictionem, & potestatem; illum vero delegatum, qui accepta ab Ordinario potestate, vicem illius gerit.

61. Deinde, quod Lex scripta non possit esse Judex, facile probari potest. Et quidem in his tribus casibus.  
**Primo:** Quando ipsa obscura, aut ambigua est, tunc enim opus est alio Judice, seu Interpreti, qui mentem illius explicet. **Secundo:** Quando una Lex videtur alteri repugnare, quod frequentissime contingit; tunc etiam Judex adhibendus est, qui eas inter se conciliet. **Tertio:** Quando verba Legis, quae generalia sunt, restringenda essent in aliquo casu, & ramen restricta non sunt; quod tunc sic, quando occurrit aliquis casus particularis, quem Legislator, cum Legem condideret, non prævidit eventurum; & si prævidisset, non voluisse illum sub Lege sua comprehendere. In tali igitur casu contra verba Legis judicandum est. Et quis erit tunc Judex? non Lex ipsa; nam illa seipsum non destruit, aut judicat. Alius ergo distinetus à Lege.

62. Postremo: Quod sola Lex scripta non possit esse sufficiens norma pro decisione quarumcunque controversiarum civilium, sed præter Legem scriptam admittenda sit etiam consuetudo, certissimum est apud Juris consultos; ac potissimum in duplice casu. **Primo:** Quando movetur aliqua controversia, de qua nulla existat Lex scripta; tunc enim consuetudo, si adsit, vim Legis obtinet; juxta illud: *Ea, quae longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita ciuium conventione, non minus, quam ea, quae scripta sunt iura, servantur.* (L. 35. ff. de Legibus.) **Secondo:** Quando exstat quidem Lex scripta, sed ambiguitate sensu illius; nec aliunde, quam ex consuetudine, & Traditione de ea constare potest. Tunc enim habet locum illud: *Optima Legum interpretis est Consuetudo.* (L. 37. ibid.)

63. *Dices: Quid si occurrat aliqua controversia, quæ nec ex Lege scripta, nec ex consuetudine finiti posset, quæ tunc erit norma, quam Judex sequi debet? Respondeo. Tunc ex naturali æquitate debet rem compонere. Hoc tunc potissimum fit, quando occurrit aliquis casus, qui comprehenditur quidem sub verbis Legis, non tamen sub mente Legislatoris, ut supra dictum est. Tunc enim Judex ex æquo, & bono debet sententiam prouinciare. Idem fieri potest in controversiis fidei, aut religionis; nam si occurreret aliqua controversia, quæ neque aperiè ex Scriptura, neque ex Traditione decidi posset, recurrendum esset ad auxilium Spiritus Sancti; qui tamen in omni casu implorantibus adesse solet, in hoc tamen speciatim doceret nos omnem veritatem, ut Christus promisit. Et hoc remedio usi sunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano, ubi agebatur de circumcisione, & observatione legalium. Atque hæc sunt argumenta, quibus hactenus probatum est: Judicem controversiarum fidei non posse esse Scripturam, sed Ecclesiam. Nunc superest, ut objections Adversariorum diluamus.*

### ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becanus in re parissima tamen aliquid querit imparitatis, & queritur de Becani fallacia. Videamus: Argumentum Becani sextum est tale. In illis statibus, inter quos est specialis analogia: convenit servari eandem controversiarum decidendarum rationem; atqui inter statum politicum, & Ecclesiasticum est specialis analogia; ergo convenit eandem servari rationem. Atqui in statu politico hac servatur ratio, ut Lex scripta non judicet; sed sit alius à Lege distinctus Judex, propter ingentes rationes; ergo convenit etiam in Ecclesia, ut Scriptura non sit Judex, alius distinctus à Lege Judex. Quid hinc fallaciam, nisi quodd fallaci cuncta videantur fallaciam?

### Objecțio I.

64. *Prima sumitur ex illo Isaiae 8. v. 19. 20. Ad legem magis, & ad testimonium. Hinc colligunt Adversarii, Judæos in veteri Testamento, quando oriebatur aliqua controversia, missos fuisse ad legem, & testimonium; id est: ad Scripturam, tanquam ad*

ad Judicem. Sed valde errant: Primi: Quia jam offensum est, Judicem controversiarum in veteri Testamento non fuisse Scripturam, sed Pontificem. Secundi: Quia illa verba: *Ad legem, & testimonium*, multo alteri accipienda sunt, quam putant Adversarii; ut patet ex praecedentibus, quae sic habent: *Cum dixerint ad nos: Quarite a Pythonibus, & a divinis, qui stridens in incantationibus suis: Numquid non populus a DEO suis requiret pro vivis? & mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.* Quid si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Ubi disertè agitur contra illos, qui de futuris eventibus solent consulere Pythonissas, & Ariolos; & remittuntur partim ad Legem, quae id prohibebat Deut. 18. v. 9. partim ad testimonium Prophetarum, qui a Deo constituti erant, ut futura prædicerent. 3. Regum 22. v. 7.

65. Igitur sensus illorum verborum: *Ad legem magis, & ad testimonium*, est hic: Si vultis fieri certiores de futuris eventibus, non debetis consulere Pythonissas, sicut fecit Saul 1. Reg. 28. v. 7. Quia hoc Deus per Legem suam fieri prohibuit, ad quem vos remitto: Sed consulite Prophetas Domini, quorum officium est de futuris prænunciare. Quid hoc facit ad Judicem controversiarum? Nihil penitus; nisi Adversarii velint hoc modo ratiocinari; de futuris eventibus non sicut consulere Pythonissas; ergo sola Scriptura est Judei controversiarum. Ineptissime. Et tamen, quod miseris, principi illorum Rabbini sic ineptiunt,

### ANIMADVERSIO.

**O**bjectionem de Legi, & Testimoniis ex Isaiae 8. v. 19. 20. ita perspicue repulerat Beccanus, ut fracta videretur; Anti-Becanus tamen conatus est refutare sic: Ad quod Judæi in rebus fidei sub gravi comminatione non habendæ lucis matutinæ, nisi juxta illud sint visituri, remittuntur, hoc est, unica norma fidei; atque Judæi sub ista comminatione ad Scripturam remittebantur, Isaiae 8. ergo. Ita Anti-Becanus, sed gratis; nam Beccanus ostendit illis Isaiae verbis non probari Judicem controversiarum; Anti-Becanus vero ex illis verbis excusavit normam, sed neque normam adæquatam. Aliud peccatum; ja-

minore truncavit Anti-Becanus medium Syllogisticum, omis-  
sendo ly in rebus Fidei. Nihil ergo fecit hic Anti-Becanus.

### Objec<sup>tio</sup> II.

66. Secunda sumitur ex illo, Joan. 5. v. 39. Scrutamini Scripturas. Ecce inquiunt Adversarii eis Christus remittit nos ad Scripturam, tanquam ad Judicem controversiarum. Hoc certe non dicent, si intelligerent mentem Christi. Christus in illo capitulo disputat cum Judaeis, qui negabant ipsum esse Filium Dei. Ipse autem probat se esse quatuor testimoniis.

Primo: Testimonio Joannis Baptiste: Vos, inquit, misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati. Erat autem hoc ipsius testimonium: Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. Et iterum: Ego testimonium perhibui, quia hic est Filius DEI. Joan. 1. v. 34.

Secundū: Testimonio miraculorum, quae patrabat: Ego, inquit, habeo testimonium maius Joanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.

Tertiū: Testimonio Patris: Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. Nempe cùm dixit de cœlo: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite. Matth. 3. v. 17. & Luc. 9. v. 35.

Quarto: Testimonio Scripturarum veteris Testamenti: Scrutamini, ait, Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Quasi dicat: Si non vultis recipere tria priora testimonia, quæ tamen efficacissima sunt (alioqui illa non produxissem) saltè non potestis rejicere testimonium Scripturarum, de quibus tantopere gloriamini. Illæ ipsæ, si attentè scrutamini, perhibent testimonium de me, quod um Mellias à Deo promissus. Quare ergo non creditis?

67. Hinc concludo: Adversarios ex hoc loco se ipsos potius, quam nos oppugnare. Nam ipsi contendunt, solam Scripturam esse Judicem controversiarum; & Christum ad solam Scripturam nos remittere: as-  
con-

contrarium verum est: nam Christus in controversia, quam habebat cum Judæis, an ipse esset Filius DEI? non remisit illos ad solam Scripturam, sed primò ad testimonium Joannis Baptiste: deinde ad testimonium miraculorum, quæ ostendebant ipsum esse Deum; postea ad testimonium Dei Patris, qui voce de cœlo de-lapsa idem confirmabat. Denique, ut omnia experientur, ad testimonium Scripturarum.

68. Nos Catholici in hac re Christum imitamus. Nam in controversiis, quas habemus cum Adversariis, non solum uitimur testimonio Scripturæ, sed etiam Sancto um Patrum, & Marris Ecclesiæ, & miraculorum, quæ sèpè sunt pro confirmatione nostræ fidei. Adversarii autem, quasi Christo prudenteres essent, nihil volunt audire, nisi ex solis Scripturis. In quo similes sunt Judæis, contra quos Christus agit: nam Judæi, repudiato quocunque alio testimonio, solam Scripturam admittebant. Et hanc ipsam neque tunc intelligebant, neque adhuc intelligunt: ut testatur Apostolus 2. Corinth. 3. v. 14. cùm ait: *Obtusi sunt sensus eorum.*

### ANIMADVERSIO.

**A**nti-Becanus hanc 2. objectionem fractam volens restituere, sic concludinavit: quam regulare Christus in controversiis fidei decidendis secutus est, ex merito agnoscitur una fidei regula; at Christus Scripturam in controversiis fidei decidendis secutus est; ergo. *Resp.* 1. ad maj. negando ejus suppositum, quod est ly *Solam*, alias ly *ura* fallaciter inferetur. *Resp.* 2. ad min. distinguendo *Solam* secutus est Scripturam, nego, uti ostendit Becanus hic; aliquando fecisse nihil ad Anti-Becani intentum. Inde enim nihil conficietur, nisi aliquando nos Scripturam rectè sequi. Scilicet: quando res controversia clara in ea exprimitur, & Traditio consentit.

### Objetio III.

69. **T**ertie sumitur ex illo Act. 17. v. 11. *Quotidie scrutantes Scripturas, si bac ita se haberent.* Hic iterum clamant Adversarii, Berœenses non temerè credidisse, quæ ab Apostolis dicebantur, sed omnia examinasse juxta normam Scripturæ. *Æquum igitur*

Igitur esse, ut nos illorum exemplum imitemur, & sed  
iam Scripturam pro norma, ac Judice agnoscamus. Sed  
frustra. Quod facile constabit, si constet de re ipsa,  
de qua tunc agebatur. Ea fuit hujusmodi: Paulus  
Apostolus, ut expressè habetur in eodem capite; pri-  
mum quidem Thessalonice, deinde apud Beroenses  
differebat ex Scripturis, adaperiens, & insinuans; quia  
Christum aportebat pati. & resurgere à mortuis; & quia  
hic est JESUS Christus, quem ego annuncio vobis. Quid  
vero Beroenses? Sequitur ibidem: Suscepserunt ver-  
bum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas,  
si hac ita se haberent.

70. Igitur hic est sensus illios loci: Beroenses,  
cum auditent Paulum citare quædam testimonia Scri-  
pturæ veteris Testamenti, quibus astruebat Christi mor-  
tem, & resurrectionem: scrutabantur, an ea testimonia  
inessent Scripturæ, & iis ipsis testimoniis consentanea  
essent, quæ à Paulo dicebantur. Non quidem eo ani-  
mo, quasi dubitarent de morte, & resurrectione Christi;  
quippe, quæ satis confirmata erat ab Apostolo per vir-  
tutem miraculorum; 2. Thess. 1. 2. 5. sed ut magis in  
fide confirmarentur, si viderent ea, quæ Paulus prædi-  
cabant, multò ante per Prophetas fuisse prævisa, & præ-  
significata, & duplii via ipsis innotuissent.

71. Ex hoc sensu, quid obsecro, concludent Ad-  
versarii: Nihil ad rem, de qua agitur; nisi forte sic  
velint concludere: Beroenses scrutabantur testimonia  
Scripturæ à Paulo citata; ergo sola Scriptura est Judex  
controversiarum. Quod perinde est, ac si dicas: Lu-  
therani scrurantur testimonia Augustini à Bellarmino  
citata; ergo solus Augustinus est Judex controversiarum.  
Vel sic: Rustici scrutantur testimonia Lutheri à Præ-  
dicantibus citata; ergo solus Lutherus est Judex con-  
troversiarum. Vel sic: Kemnitius in Examine Con-  
cilii Tridentini scrutatur Traditiones à Catholicis alle-  
gatas; ergo sola Traditio est Judex controversiarum.  
Vel denique sic: Discipuli scrutantur testimonia Cice-  
ronis à Præceptore citata; ergo solus Cicero est author  
latinitatis. Apud eum istis consequentiis. Et tamen  
apud

apud adversarios, quia meliores non habentur, in  
pretio sunt.

## ANIMADVERSIO.

**H**oc 3. argumentum ita perspicue Recensus pertrahavit, ut  
Anti-Becanus solum querat, quare Recenses scrutati es-  
sent Scripturas, si non eas agnovissent, ut normam tota-  
lem? Resp. Ex scrutando non sequitur aliquid esse normam,  
vel Judicem. Catholici indies scrutantur Scripturas, & tamen  
negant eam esse Judicem, vel normam unicas fidei, aut con-  
troverfiatum.

Objec*tio* popularis IV.

72. **P**lerique simpliciores sic objiciunt: *Judex con-*  
*troversiarum in rebus fidei debet esse infalli-*  
*bilis, qui errare non possit; quia si ipse erra-*  
*ret, reliqui etiam errarent, qui illius sententiam se-*  
*querentur.* Jam verò: constat ex una parte, Scriptu-  
ram esse infallibilem, cùm sit verbum Dei, quod er-  
rare non potest; & ex altera, homines non esse infal-  
libiles, sed mendaces, & errori obnoxios, juxta illud  
ROM. 3. v. 4. *Est autem DEUS verax, omnis autem ho-*  
*mo mendax.* Ergo Scriptura potest esse infallibilis Ju-  
dex; homines, cùm sint mendaces, non possunt; at  
Pontifex est homo, & Ecclesia nihil aliud, quam col-  
lectio hominum; ergo Pontifex, & Ecclesia sunt men-  
daces, & errare possunt. *Nemo igitur tutus, ac securus*  
*in negotio fidei, qui illorum sententiam sequitur.*

73. Hæc objec*tio*, si quid roboris, ac momenti ha-  
bet, non minùs valet contra Adversarios, quam contra  
nos; nam si omnis homo mendax est, & errare potest  
necessariò sequitur: Moysen, Prophetas, Apostolos,  
Evangelistas Lutherum quoque, & Calvinum, itēmque  
omnes Prædicantes Lutheranos, & Calvinianos menda-  
ces esse, & errare posse, quia homines sunt. Nil igitur  
credendum illis, aut fidendum esse; sed omnia, quæ  
ab illis dicuntur, suspecta, & incerta haberi oportere.  
Ubi ergo fides? Nec resert, si dicant: se non hominis,  
sed Dei verbum annunciare; nam si mendaces sunt,  
etiam in hoc punto mentiri possunt. Nihil ergo  
certi est.

74. Sed absit, ut nos ita loquamur, aut sentiamus. Longe aliter res habet: ac primò quidem fatemur, Scripturam certam, ac infallibilem esse; quia verbum Dei est. Sed addimus, cum saepè obscura sit, non facilè unicuique constare posse de legitimo illius sensu. Itaque alio Judice opus esse, qui infallibiliter decernat, quis legitimus Scripturæ sensus sit. Hic autem Judex non potest esse quilibet homo privatus; quia alioqui tot essent diversi Judices, quot diversa capita, & sententiae, & ipsi litigantes essent Judices, & sic nulla controversia componi posset. Quisque enim diceret, se bene sentire, reliquos malè. Necesse igitur est, ut sit alius publicus Judex, qui cum auctoritate decernendi, & definiendi inter partes litigantes potestatem habeat.

75. Deinde asserimus, homines dupliciter sperari posse. primò: Quatenus sunt filii Adam, & obnoxii variis naturæ corruptionibus. Sic sine dubio proni sunt ad mendacium, & falsitatem. Gen. 3. v. 21. & Psalm. 38. v. 6. Secundò: Quatenus à Spiritu Sancto diriguntur, & gubernantur ad aliorum instructionem, & de hoc ipso regimine, & gubernatione Spiritus Sancti conatur; sic infallibles, & sine mendacio sunt. Talis in veteri Testamento fuit Moyses cum Senatu Seniorum, Num. 11. v. 17. Tales alii Pontifices, qui deinde secuti. Deut. 17. v. 9. & Aggai 2. v. 12. & Malachia 2. v. 7. Tales Prophetæ, Isaías, Jeremias, Ezechiel, Daniel, & alii. Jeremias 1. v. 7. Tales in novo Testamento Apostoli, quibus dictum est Joan. 14. v. 26. Misericordiam vestram vobis à Patre Spiritum veritatis. Et cap. 16. v. 13. Cum auctoritate generis ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. At ubi omnis veritas, ibi nullum mendacium. Talis denique semper fuit, & nunc etiam est Ecclesia, quæ propter perpetuam Spiritus Sancti assistentiam, & directionem à Christo ipsi promissam, nunquam haec tenus erravit, nec deinceps errare poterit.

76. Sed an omnes, & singuli, qui in Ecclesia sunt, habeant hanc assistentiam, & directionem Spiritus Sancti, ut in fide errare non possint? Facilis responsio. Singuli quidem habent, sed dependentes ab ipsa Ecclesia.

Quam-

Quamdiu ergo manent conjuncti cum Ecclesia, suum illi conformando judicium errare non possunt; si disseniunt ab Ecclesia, jam errant. Quod duplice similitudine declarari potest. Una sumitur ex proportione humani corporis; nam si quæras, an singula membra, quæ sunt in humano corpore, habeant in se spiritus viales, & sensitivos, quibus vita conservatur; respondendum est: singula quidem habere, sed dependentes à capite, & corde. Nam à capite, & corde, tanquam à duplice principio, derivantur hujusmodi spiritus in reliqua membra. Unde si intercipiantur, aut occludantur meatus illi, seu canales, per quos fit illa spirituum derivatio & distributionis; necesse est, reliqua membra destitui spiritibus, & officium suum exercere non posse. Sic etiam in Ecclesia: Singuli fidèles, qui sunt quasi membra Ecclesiae, habent quidem assistentiam, & directionem Spiritus Sancti, sed dependenter à Pontifice, qui est veluti Caput Ecclesiae; & à Concilio, quæ sunt quasi cor Ecclesiae. Quamdiu ergo singuli manent colligati cum doctrina Pontificis, & Conciliorum; participant de assistentia, & gubernatione Spiritus Sancti, nec in fide errare possunt. Sin per discordiam, & pertinaciam iam discedant à capite, & corde, jam occludunt sibi omnes meatus, ut assistentia, & directio divina ad eos derivari non possit. Et sic à veritate abducuntur, & erroribus obnoxii sunt; quod contigit Arrio, Nestorio, Macedonio, Pelagio, & sexcentis allis.

77. Altera similitudo sumi potest à grege ovium; qui optimè repræsentat Ecclesiam, attestante Christo Joan. 10. Nam sicut totus gressus in uno stabulo, vel loco collectus, habet perpetuam assistentiam Pastoris, qui furca, & canibus defendit illum à ferocia luporum; sic etiam tota fidelium Ecclesia in una fide, & spiritu collecta, habet perpetuam assistentiam divini illius Pastoris, qui dixit: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas.* Joan. 10. v. 14. Et iterum: *Ecce ego vobisicens sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Matth. 28. v. 20. Item: sicut singulaeoviculae, quamdiu manent conjunctæ cum grege sub custodia Pastoris,

immunes, ac tutæ sunt à morsu luporum; sic etiam singuli Christiani, quamdiu manent conjuncti cum Ecclesia id est, cum doctrina, & consensu Ecclesiae, immunes, ac tuti sunt à periculo erroris, & infidelitatis. Denique sicut oviculae, quæ aberrant à grege, destituuntur protectione Pastoris, ac proinde luporum insidiis expositæ sunt; sic Christiani, qui discedunt a communali consensu, & doctrina Ecclesiae, destituuntur assistentiâ Spiritus Sancti; ideoque erroribus expositos esse, recessisse est.

### ANIMADVERSO.

**A**D 4. argumentum nihil potuit opponere Anti-Becanos, sed novis, uti putat argumentis, tanquam molariibus lapidibus conatur obruere Ecclesiam, & Papam; ut deficiant esse Judices. Sic igitur dicit: 1. Summus Judex debet declarari in Scriptura, at nullibi ut talis declaratur Ecclesia, vel Papa; ergo. Resp. Nego major. sat est Traditione declarari etiam minor negatur. 2. Summus Judex non est alligatus ad regulam; at Ecclesia est alligata ad regulam; ergo. Resp. Distinguendo ly *summus*, in absolute sumnum, qualis est DEUS, & accommodate summum, qualis est homo soli DEO, & non alteri subditus, quomodo Calvinistæ solebant olim loqui in Syndicis suis de Rege Anglie? et si postea aliter re ipsa egerint, uti Calvinianus Salmasius de suis Fratribus conqueritur; talis vero secommodate summus bene potest salva summitate, & maiestate ad regulam esse astriatus. 3. Summi Judicis sententia est regula fidei; at Ecclesiae sententia non est regula fidei; ergo. Resp. ut ante: prout enim summus fuerit, sic & regula erit ejus sententias absolute summi Judicis est summa regula; alterius, accommodate summa; & priore modo summi Judicis erit prima regula fidei; alterius, proxima dependens à prima, vel per Scripturam, vel Traditionem, vel novam revelationem; prout placet absolute summo. 4. Qui habet fundamentum doctrinam Apostolorum, cui astringatur, non est summus Judex; at Ecclesia habet id; ergo. Resp. ut ante, quia est crambé alio iuscule recorda. 5. Supremi Judicis sententia non debet à se ipsa discrepare; at Ecclesiae sententia à se ipsa discrepat, quia judicavit communieandum olim sub utraque specie laicis, nunc non, &c. ergo. Resp. In dogmate fidei non debet discrepare à se, verum est; in dogmate moris aliquis pro diverso tempore, & loco, & personis non debet discrepare à se, tam falsum est, quām quod discrepet Prædicans à se, si estate bibat frigidam, & hyeme calidam, vel ex uno ore spires frigidum, & hales calidum, illud pro refutando.

gerando iuscule, hoc pro calefacienda manu. 6. Summus Judex est infallibilis, at Ecclesia non est talis: 1. quia recipit falsa: nempe magos ab Oriente venientes fuisse Reges: Catharinam, Georgium, Christophorum fuisse homines sanctos, &c. 2. Definit falsa, cum Concilium errat, quod Pontificis concedunt fieri posse, & factum. *Resp.* Ad 1. partem minoris, negando quoddam recipiat falsa, quia falsum est, Magos non fuisse Reges, uti de alteros non fuisse sanctos homines. Ad 2. partem, Ecclesia definit falsa, absque Papa subinde fieri, verum est; cum Papa, falsum est, nec potest probari Anti-Becanus oppositum. Imo vero probat sic: potest Papa errare in facto; ergo & in fide. *Resp.* Negando consequentiam. 7. Si Ecclesia habet assistentiam Spiritus Sancti in dogmate fidei definiendo: ergo & in factis, ne errer, quia est pars ratio, & necessitas. At prius habet, uti dicitur, ergo & posterius. *Resp.* Non est pars ratio, nec necessitas; Ecclesia enim adunatur per unam fidem, & unum Baptisma ad unum DEUM, non per uniforme aliquod factum. 8. Concilia aliquot recepta errarunt, nempe 1. Neo-Cæsariense in prohibendis secundis nuptiis. Canone 72. 2. Constantinopolitanum III. in definiendo, quoddam matrimonia cum hereticis sint irrita. 3. Romanum sub Stephano VII. Formosum damnando, quem postea Concilium aliud Ravenum sub Joanne IX. restituit, & Stephano simili damnavit. *Resp.* Ad 1. Neo-Cæsariense prohibuit, vel nuptrias secundas in polygamiam scante priore matrimonio; vel secundas non fieri cum solennitatibus iis, quibus prime sunt. Et hoc utrumque adhuc servatur in Ecclesia. Ad 2. Constantinopolitanum III. Canone 72, vel posuit heresim pro impedimento dicimenter, ut Tridentinum Clandestinitatem; vel quod probat Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 8. illos esse spundo causones non sextae Synodi Generalis sed alterius. Ad 3. *Resp.* fuisse questionem facti, dum de Formoso disceptatum est, non autem fides dogma. 9. Papa etiam erravit, ut Marcellinus immolando sub Diocletiano; Liberius subscribendo damnationi Athanasii & Vigilius, Paschalis II. &c. omnes. *Resp.* In q. facti, esto in dogmate aliquo fidei publicè docendæ, & publicè docendo, nego, pernego; nunquam probabunt mille Anti-Becani. 10. Sic argumentatur Anti-Becanus: Papa habet assistentiam Spiritus Sancti, ut non possit errare, vel ergo dependenter ab Ecclesia, vel independenter ab ea; non dependenter, quia tunc non erit Caput ejus, sed ipsa illius Caput; non etiam independenter ab ipsa, quia si Papa esset extra Ecclesiam. *Resp.* Sit argumentum tale: vel Prædicantis caput habet vitam dependenter à corpore suo, vel independenter ab eo; si dependenter, ergo non est caput; si independenter, ergo non est pars corporis. Quomodo Prædicantes solvunt hoc argumentum de capite suo? sic nos, & melius illud de Pontifice. Denique Coriolanum paugit Anti-Becanus, quam si

Iaspicias, sunt fuci, & mendacia; uti 1. Catholicos, maximis  
Jesuitas, esse impudentes Papæ assertatores; constantes assertio-  
nes debuit dicere. 2. Suæ causæ diffidens, quis nequeunt ferre  
DEI judicium in Scriptura loquentis, scilicet, juxta explicatio-  
nes Prædicantium, & querunt domesticum Judicem, eumque ho-  
minem in sua causa pronuntiantem, nempe Papam à Christo  
constitutum. Quid sequiū? 3. Certam normam controversia-  
rum, nempe Scripturam in contemptum adduci. Ohe! non  
Scripturam, sed expositiones Prædicantium, quibus falso, & frau-  
dulenter prætexunt nomen Scripturæ. Videant Mülmanoi my-  
sterium fraudis. 4. Pro principio certo, id est, Scriptura, ob-  
vridi inevertam definitionem Papæ. Iterum ohe! pro falsis glossis  
Prædicantium verbo DEI fucum facientium teneri autoritatem  
à Christo constituti Pastoris, *Ioan. 21*. At quis securitas est in  
Papatu, cùm sedent Romæ Pseudo-Pontifices? *Resp.* In Pseudo-  
Pontificibus nulla, sicuti nec in Pseudo-Ministris. Nullius ho-  
rum definitionem suscipimus, donec moraliter constet, quis sit  
legitimus Papa, vel legitimè missus; tunc ei inhæremus nisi  
verbo Christi. Sed toto seculo aliquando Pseudo-Pontifices se-  
dere. *Resp.* Falsum est: nam euolentissimò seculò decimo,  
quod Prædicantes oggerunt, non nisi duos exhibet Pseudo-Papas  
Historia Ecclesiastica; nempe Leonem anno 969. uno vix anno,  
& Bonifacium quemdam anno 974. XIII. mensium Papas factos,  
præter quos aliqui alii eo seculo fuere quidem Invalores Sedi  
Apostolice, sed tamen legitimè sedentes, Cleo Romano malente  
ferre improbum, quām habere nullum, vel fœdo schismate tur-  
bare mundum, quo casu consilium Christi valuit: *Super Casbe-*  
*dram Moysis.* Qua in patientie recte potuissent Calvinistæ, seu  
Reformati imitari Romanos tollerando Caput Ecclesiae suæ Re-  
gem Carolum tot Synodis à se stabilizum.



## C A P U T VI.

### *De Antichristo.*

1. **A** Dversarii conantur simplici populo persuaderet,  
Papam esse Antichristum. Quo consilio id  
faciant, facilis conjectura est. Nimirum: ut  
suam defectionem à Catholica fide possint tegere, &  
excusare sub prætextu defectionis ab Antichristo, &  
socios defectionis habere.

## ANIMADVERSIO.

**I**mmaniter haec in materia se gerunt Prædicantes, quasi præcincte Lutero, manus suas sint loturi in sanguine Papæ, & Cardinalium. Quid igitur agunt? quid dicunt? Quid agent? Historia narrant, quid dicant, huc pertinet. Publicè damnatos hereticos, schismaticos, etiam quosdam, si possint, male intellegentes, vel prave animatos in Papam aliquem Catholicos producunt in aciem, ut secum pasquillie, famosis libellis, mendaciis, & imposturis pugnent; imò nolentes pugnare etiam compellunt mortuos, uti Okamum, Savanarolam, & alios. Brevi tamen conficto aciem tam minacem Becanus fugat; nam detegit fundamentum, cui iunctuntur; quo nndc inspecto evanescit metus & tumulte tanto inscussus. Quod igitur est Anti-Papistarum fundatum? Resp. Scriptura, uti ipsis placeat, explicata, Quod 2. Thess. 2. v. 7. *Mysterium operatur iniquitatis.* Hoc uti volunt, explicant de Missa, & multis aliis, atque tuac Papæ applicant, & concludunt, quod volunt. Itane omnes? omnes, nisi pauci, quos fratum suorum pudet; dum vident vecordiam eorum in argumentando. Quomodo igitur isti pauci rem suam agunt? Ex Becano syllogismum describunt, quo suæ causæ optiorem nec reperire ipsi, nec pangere posunt, nempe hoc: cui convenient omnes Antichristi nota in Scriptura fundantur, est Antichristus; atqui Pontifici Romano convenient omnes nota illæ; ergo. Notæ autem omnes sunt; utriusque: quas Becanus sum. §. ponit. Sic illi, qui se plū sapere arbitrantur. Quantum vero valet horum sapientia? Resp. Nihil plū ceterorum imprudentiæ; nam minor falsa est, nec eam possunt probare veram esse de Papa, nisi rursum Scripturam explicitent, uti volunt, & tunc ejus explicationem è suo cerebro depropria ostendant convenire Papæ. Hac vero probandi ratione quidvis probare potest insipientia humana. Deinde: nota, quas ex Becano, & aliis Catholicis suffirati sunt, & ipsi recensent; non sunt omnes nota Antichristi, nec clarissimæ, sed obscuriores, omisis clarissimis, quas idem Becanus posuit, sed non ad gustum zæbras amantium. Has autem videre licet num. 3. & 4. Beccani in hac Epitome, quibus conviucentur heretici, nondum advenisse Antichristum illum famosum, & propriè dictum; idcirco sentientes se in probando deficere, desiliunt ad latè dictum Antichristum, nempe quemvis viriosum. Et cum de tali multa gariverint falsa, concludunt Papam esse Antichristum simpliciter dictum, quæ praxis tota spectat ad mysterium traxidis Prædicantice à Mülmanno detectum. Sed & ipse Becanus detegit hoc eorum mysterium, dum querit ex Anti-Papistis, quo tempore venerit Antichristus ille, de quo somniant? in qua questio de anxiis se versant, & non inventantes fundamentum plane dic.

discordant in maximo articulo fidei suæ, ita ut integris seculis, hi citius, illi serius eum venisse dictitent. Planè uti senes Sunnæ castæ accusatores, hic sub schino, ille sub pino male agentem mentiebantur. Huicnamen dissensioni tantæ emplastrum grande imposuit Anti-Becanus, nempe ex rati dissensione non recte concludi, falsum esse dogma eorum. Et quare non? Quia ait de Christi natali anno etiam esse discordiam quoad Coniules Romanos, sub quibus sit natus; non tamen inde recte inferri, quod falsum sit dogma de Christo nato. Sed hoc emplastrum non est aptum regendæ heterodoxorum discordiæ, sed confessio aperta, illos discordare, qui semper sunt certi, semper verbum DEI primum, clarissim quoque se jactant prædicare, cui jactatione talis pugna contradicit. Dissensio de anno natali Christi inter orthodoxos est, illos scilicet, qui dicunt se solùm certitudinem habere in illis, quæ per Apostolicam Sedem definita sunt; quæ cùm de anno nataliis Domini nondum definiērunt, hunc esse controversum nihil obstat, & tamen mysterium Nativitatis, ut pote quod definitum est, esse certum. Multò verò magis pugnans inter se heterodoxi, cùm debent nominare Papam, qui primus Antichristum agere cœperit. Nam alii S. Gregorium M. illum Ecclesiæ Doctorem primô loco constituunt, alii verecundiores eum ab hac nota sorpissima exemptum faciunt. Verbo: Samsonicas videoas velpeculas.

2. Catholici sic sentiunt: Nomen Antichristi significat hostem, seu adversarium Christi. Et sumitur duplíciter. Primi: Generatim pro quoque Christi adversario, cuiusmodi sunt omnes hæretici. Et hoc sensu dictum est ab Apostolo, 1. Joan. 2. v. 18. *Nunc Antichristi multi facti sunt, id est: multi hæretici maledicti de Christo sentientes, de quibus sequitur: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Eodem sensu intelligitur illud, 1. Joan. 4. v. 3. *Omnis spiritus, quis solvit JESUM, ex DEO non est;* & hic est Antichristus, *de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est.* Secundi: Speciatim pro præcipuo, ac principali Christi adversario, cuius reliqui omnes Præcursorres sunt. Et de hoc loquitur Paulus 2. Thessal. 2. v. 3. 4. *Nisi redolatus fuerit homo peccanti, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur DEUS.* Hanc distinctionem tradit August. lib. 2. contra adversarium legis cap. 12. Damascenus lib. 4. cap. 27. & alii. Posita hac distinctione duo asserimus.

3. Prior assertio: Antichristus quatenus socius sumitur pro primario Christi hoste, nondum dum scribo, venit in hunc mundum. Probatur primò: Quis non veniet nisi priùs eversum, & desolatum fuerit Romanum Imperium; ut passim tradunt antiqui Patries, tam Græci, quam Latini. Et confirmant ex cap. 2. & 7. Danielis, & cap. 17. Apocal. Atqui Romanum Imperium nondum eversum, & desolatum est; ergo &c. Secundò: Quia tempore Antichristi venturi sunt duo testes, qui amicti saccō, seu ciliciō: prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, & habebunt potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus Prophetia ipsorum, & potestatem conversandi aquas in sanguinem, &c. Apoc. 11. v. 3. At hi duo testes nondum venerunt; ergo.

## ANIMADVERSIO.

**A**versus primum Becani argumentum Anti-Becanus r. ausus est measurari, quod Romanum Imperium eversum sit, & desolatum. Contrarium tota Europa vider, & audit, & loquitur. Audax Prædicans, imò atrox! 2. negat Romanum Imperium debere penitus eversum esse ante adventum Anti-Chrīsti, contra SS. PP. à Moguntinis reproductorum disertam sententiam. Sic malus homo, modò idem factum afferit, modò negat, sibi ipsi hostis. Sed quomodo Anti-Becani probant assertionem suam tam patenter falsam de Romano Imperio iam everso? Dicunt: Christi adventum respondere temporis, quo Regnum quartum in ruina jacere vaticinati sunt Prophetæ; ergo Romanum Imperium debuit esse sublatum Christo nascente in terris. Resp. De adventu secundo Christi, verum est, omnia regna sublatiora, non de primo adventu; nihil ergo probat Anti-Becanus ex his prophetiis male intellexis. Ruris Anti-Becanus sibi contrarius ait: in Regnum evertendorum numero, non debere posse Romanum Imperium, quod Christo nascente cœpit; ergo nihil probant Catholicæ ex eo, quod Romanum Imperium non sit eversum. Resp. Negando explicationem Anti-Becanum.

4. Posterior assertio: Papa non est Antichristus iste famosus. Hæc sequitur ex dictis: Primò: Quia Antichristus nondum venit, nec venturus est, nisi everso Romanò Imperiō; at Pontifex pridem venit florente Imperio Romano. Secundò: Antichristus occidet duos illos Prophetas, de quibus dictum est, Apocal. 11. v. 7.

Hoc

Hoc Pontifex non fecit. Accedunt tria alla Argumenta:  
 ea: *Primum*: Antichristus non regnabit, nisi tribus  
 annis cum dimidio, Daniel. 7. v. 25. *Ad tempus, &*  
*tempora, & dimidium temporis.* Et Apocal. 11. 2.  
*Mensibus quadraginta duobus.* Et ibidem v. 3. *Diebus*  
*mille ducentis sexaginta.* At Pontifex regnavit jam  
 multis seculis. *Secundum*: Antichristus à Judeis pro  
 Messia recipietur, Joan. 5. v. 43. At Pontifex non re-  
 cipitur ab illis pro Messia. *Tertium*: Antichristus fa-  
 ciet ignem de cœlo descendere. *Apocalyp. 13. v. 13.*  
 Hoc non facit Pontifex. Vide, quæ diximus tom. 2.  
*Opusculorum, opus. 3.*

### ANIMADVERSIO.

**A**D argumentum Hecani, quid ajunt Anti-Bezani? 1.  
 unum, aiterūm ve Catholicum torrenti SS. PP. de Enoch,  
 & Elia venturis contra Antichristum differentium, oppo-  
 sident nugatorie. 2. His in subdium substituant Prædicantes  
 aliter docentes de Enoch, & Elia, quām Tertull. lib. de An.  
 Christi 50. S. Hyppol. Mart. Orat. de Consummat. mundi. S.  
 Justinus dial. cum Tryphone &c. plurimi à Moguntiis pag. 214.  
 recitati docuerunt. At tantis viris opponere Prædicantes aliquos,  
 vel etiam omnes, est grillos componere elefantis, & noctilue-  
 eas soli.

**5. Objetio.** Notæ Antichristi convenient Papæ  
*Prima* est, deficere à fide, 2. *Theßsal. 2. v. 3.* At Papa  
 defecit à fide, qua defendit Purgatorium, Invocatio-  
 nem Sanctorum, Sacrificium Missæ, & similia. *Secun-  
 da* a, sedere in templo DEI. *ibid.* At Papa sedet Ro-  
 manæ in Ecclesia Christi. *Tertia*, ostendere se tanquam  
 DEUM. *ibid.* Hoc facit Papa, quia exhibet se pro-  
 visibili Capite Ecclesiae. *Quarta*, extollere se supra  
 omnem DEUM. *ibid.* Hoc facit Papa, quia extollis  
 se supra omnem Ecclesiasticum, & politicum ordinem.  
*Quinta*, negare Christum. 2. *Joan. 2. v. 22.* Hoc facit  
 Papa, quia corruptit doctrinam de Christo Mediatore.  
*Sexta*, facere falsa miracula Laureti apud Statuam B.  
 Virginis. *Septima*, imprimere subditis characterem.  
*Apoc. 13. v. 16.* At Papa hoc facit, quando unctione  
 chrismatis signat frontes Christianorum in susceptione  
*Confirmationis.*

**s.** *Resp.* Meræ quisquiliæ sunt, quod ostendo pec  
cangulas notas discurrendo: **At primò:** defendere Pur-  
gatorium, Invocationem Sanctorum, & Sacrificium  
Missæ, non est deficere a fide, quia antiqui Patres ea  
defenderunt. **Potius dicam:** Adversarios deficere a fi-  
de, qui ista oppnunt. **Secundò:** Aliud est, sedere  
in templo Dei Hierosolymæ, aliud in Ecclesia Christi  
Romæ. Antichristus sedebit in templo Hierosolymæ,  
& a Judæis adorabitur. Pontifex sedet Romæ in Ecle-  
sia Christi, quam Adversarii deseruerunt. **Tertiò:** Ex-  
hibere se pro visibili Capite Ecclesiæ, non est idem,  
quod exhibere se Deum. Petrus exhibuit se priori  
modo; Antichristus exhibebit se posteriori. **Quartò:**  
Etiam Moyses fuit supra omnem ordinem Ecclesiastis-  
cum, & politicum, & tamen non extuli se supra DEUM.  
**Quintò:** Nondum probarunt Adversarii, Papam corru-  
pisse doctrinam de Christo Mediatore. Ipsi potius cor-  
ruperunt, ut alibi ostendo. **Sextò:** Papa non facit mi-  
racula Lauretana, sed DEUS. Deberent Adversarii  
ostendere, Papam facete ea miracula, quæ Scriptura di-  
cit facturam Antichristum. Cujusmodi sunt hæc duo:  
**Primum:** Ignem de cœlo deducere. **Secundum:** Effi-  
cere, ut imago bestiæ loquatur *Apocal. 13. v. 15.* Neu-  
trum adhuc legitimus factum à Papa. **Septimò:** Chara-  
cter Antichristi debet habere tres conditiones. **Prima:** Ut  
sit communis omnibus, pusillis, & magnis, divi-  
tibus, & pauperibus, liberis, & servis. **Secunda:** Ut  
possit imprimi, vel in fronte, vel in dextra manu. **Tera-  
tia:** Ut nemo, nisi habens characterem, possit emere,  
aut vendere. *Apoc. 13. v. 16. 17. & cap. 14. v. 9.* At  
istæ conditiones non convenientiunt unctioni chrismatiss.  
Frustra ergo litigant Adversarii.

## ANIMADVERSIO.

**Q**uomodo Anti-Becani notas illas obscuriores Antichristi  
applicant Papæ? *Resp.* Nihil melius, verboius tamen,  
quam Becanus ipsorum vice egit, qui etiam eandem  
telam retexuit in sua reducens falsa principia. Qui vero fuisus  
hæc recte voler, Moguntinas animadversiones consulat.

# C A P U T VII.

## *De Invocatione Sanctorum.*

1. **Q**uestio est, an liceat invocare Sanctos in cœlo existentes sub hac formula, quam usurpant Catholici ? *Sancta MARIA, ora pro nobis : Sancte Petre, ora pro nobis : Omnes Sancti DEI, intercedite pro nobis.* Nos affirmamus. **P**rimò: Quia antea qui Patres suô exemplô id nos docuerunt, ut Nectarius, Ephrem, Nazianenus, Nyssenus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, & quotquot postea secuti sunt. **S**ecundò: Quia hæc invocatio totius Ecclesiæ consensu approbata est: tota autem Ecclesia errare non potest. **T**ertiò: Quotidie fructum inde experimur; nam multi invocatione hujus, vel illius Sancti consequuntur sanitatem corporis: alii donum castitatis: alii illustrationem intellectus: alii alia beneficia. **R**es certa est, quæ, nisi temerè, nagari non potest. **Q**uartò: Constat ex Scriptura, pium, ac utile esse, invocare Sanctos in hac vita mortali existentes. Hoc enim fecit Apostolus Coloss. 4. v. 2. 3. *Orationi instate, orantes simul. & pro nobis.* Et 2. Thess. 3. v. 1. *Fratres orate pro nobis, ut sermo DEI currat, & clarificetur, sicut & apud eos.* Ergo etiam pium, & utile est, invocare Sanctos cum Christo regnantes; præsertim cum horum intercessio non minùs efficax sit, quam istorum.

2. Adversarii, qui more suo contemnunt antiquos Patres, consensum Ecclesiæ, & fructum pietatis, multa objiciunt. **P**rimò: Quod invocatio Sanctorum sit injuriosa DEO, qui solus vult adorari. **S**ecundò: Quod sit injuriosa Christo, qui solus est Mediator DEI, & hominum. **T**ertiò: Quod sit signum dissidentiae; quia, quando confugimus ad Sanctos, videmur dissidere DEO, & Christo. **Q**uartò: Quod sit res inutilis, quia Sancti in cœlo non audiunt nostras orationes, neque sciunt, quid hic apud nos agatur, idèque frustra illos invocamus.

3. Sed hæc argumenta nullius momenti sunt: Et sanè, si tria priora valerent contra nos, valerent etiam contra Apostolum. Aequè enim oppugnant invocationem Sanctorum in terra militantium, quam Apostolus usurpavit; ac invocationem Sanctorum in cœlo triumphantium, quam nos usurpamus. Nam si hæc consequentia bona est: Solus DEUS vult adorari; ergo non licet invocare Sanctos in cœlo, etiam hæc erit: Solus DEUS vult adorari; ergo non licet invocare Sanctos in terra; nam particula *Solus*, non minus excludit hos, quam illos. Item, si hæc est bona: Solus Christus est Mediator; ergo peccant Catholici invocando Sanctos in cœlo; etiam hæc erit: Ergo peccant Adversarii, invocando Sanctos in terra. Denique si sequitur: Catholici invocant Sanctos in cœlo; ergo diffidunt DEO, & Christo. Sequitur etiam: Adversarii invocant Sanctos in terra; ergo diffidunt DEO, & Christo.

4. In quarto supponunt: Sanctos in cœlo non audire nostras orationes, neque scire, quid apud nos agatur. Et quomodo id probant? Ineptissime, ex his Scripturæ locis, Job 14. v. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Et Ecclesiast. 9. v. 5. *Videntes sciunt se esse morituros: mortui vero nihil noverunt amplius.* Et Isaiae 63. v. 16. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* Quæ testimonia nihil ad rem faciunt; non enim disputamus huc de hominibus, qui tempore veteris Testamenti erant in Limbo, vel in inferno; sed de Sanctis, qui tempore novi Testimenti sunt in cœlo. Esto, priores ignoraverint, quæ hic sunt; non sequitur inde, etiam posteriores ignorare: Nihil ergo efficiunt Adversarii.

5. Sed instant, quomodo Sancti in cœlo possunt cognoscere nostras orationes, & interna desideria? Ego vicissim quærō, quomodo Sancti in hac vita possunt cognoscere arcana aliorum consilia, & molitiones? Samuel cognovit omnia, quæ erant in corde Saulis. 1 Reg. 9. v. 19. Elisæus scivit omnia, quæ à famulo absente erant perpetrata: 4. Reg. 5. v. 26. Item omnia secreta consilia Regis Syriæ. 4. Reg. 6. v. 9. Daniel sci-

vit occultum somnium Nabuchodonosoris, & interpretationem illius. *Daniel. 2. v. 26.* Petrus Apostolus scivit occultam fraudem Ananiae, & Saphirae. *Acto. 5. v. 1.* Denique, quæ non cognoverunt Prophetæ: quæ ab oculis hominum erant abscondita. Si hæc potuerunt fieri in terra, cur similia non possunt fieri in cælo?

### ANIMADVERSIO.

**V**eteribus argumentis heterodoxorum à Beccano decoctis, ab Anti-Becanis recoctis, etiam nova in subsidium suum advocant; nempe: Nullum habemus de invocatione Sanctorum mandatum, promissionem, exemplum in Scriptura Canonica; ergo non invocantur piè, & utiliter. 2. Invocationem Sanctorum antiquitus, & in primitiva Ecclesia non fuisse usurpatam, sed tempore Augustini cœpisse, ut Kemnitius, vel tempore Gregorii, ut Melanchthon discordantissime assertunt; hæc Anti-Becani. Quid Moguntini his opponunt: Ad 1. argumentum missio antecedente, negant consequentiam; quia Scriptura non est adæquata fidei, & morum regula, si absque Traditione sumatur. 2. Negatur antecedens, 1. quia sæpius jubemur DEUM laudare in Sanctis ejus. 2. exempla invocationis Sanctorum etiam post mortem eorum, vel SS. Angelorum, habes Gen. 48. Exod. 32. v. 13. Jobi 19. v. 21. iuncta explicatione S. Augustini Not. in Job. 19. 3. Promissiones de ope affutura per Santos, Exod. 23. & alibi. Exempla, & testimonia de invocatione Sanctorum in primitiva Ecclesia per singula saecula vide apud Gualterium in Tabula Chronologica, & alias. Denique ait Anti-Becanus: Qui recedit à forma invocationis à DEO præscriptæ, male facit; invocans Santos, recedit à forma invocationis à DEO præscriptæ, nempe à Pater noster, &c. ergo. *Resp.* Recedit à forma adæquata invocationis, nego; à forma inadæquata, qualis est Pater noster, &c. concedo. Si autem à forma inadæquata recedentes peccant, sanè quoties Psalmos cantant heterodoxi, adversus formam à Christo præscriptam peccabunt. Ex his, similibusque vanitatibus Anti-Becanorum, adeò aperte displosis æstimare licet vanitatem cæterorum, quæ nihil his sunt solidiora cum in præmissis, cum sequentibus materiis controversiarum, adeò ut labori parcere possint, si Crocio, & Hunekino, &c. Anti-Becanis non sint prolatuti.

## CAPUT VIII.

*De Sacramentis.*

**D**uplicia distingui solent Sacra menta: alia vetera, seu Mosaica: alia nova, seu Evangelica. Vetera sunt hæc. *Primum*: Circumcisio. *Secundum*: Agnus Paschalis. *Tertium*: Purificationes ab externis immunditiis. *Quartum*: Expiationes à peccatis. *Quintum*: Consecratio Sacerdotum. *Sextum*: Eius panum propositionis. Ita *D. Thomas* 1. 2. quæst. 102. art. 5. Nova sunt: Baptismus, Confirmationis, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Vetera fuerunt umbræ, seu figuræ novorum. *Ac primò*: Circumcisio fuit figura Baptismi. *Secundò*: Agnus Paschalis, & eis panum propositionis, figura Eucharistiæ. *Tertiò*: Purificationes, & expiationes, figuræ Pœnitentiae. *Quartò*: Consecratio Sacerdotum, figura Ordinis. Nulla tamen fuit figura Confirmationis, Extremæ Unctionis, & Matrimonii; causam assignat *D. Thomas* loc. cit. Nos hic agimus de Sacramentis novis, seu Evangelicis. *Ac primò* de nomine Sacramenti. *Secundò*: De definitione. *Tertiò*: De causis. *Quartò*: De effectu. *Quintò*: De numero. *De quibus inter nos, & Adversarios disceptatio est.*

*De Nominis Sacramenti.*

**N**omen Sacramenti aliter sumitur apud profanos Anthores, aliter in Scriptura. In Scriptura idem significat, quod Mysterium. Et sumitur dupliciter. *Primò*: Pro re arcana, seu abscondita. *Secundò*: Pro signo rei arcanæ, seu absconditæ. *Priori modo*: Incarnatio verbi, & vocatio Gentium ad fidem, vocantur Sacra menta, seu mysteria; id est, res in arcano Dei consilio absconditæ, quas nemo potuit agnoscere, nisi quando Deus per Prophetas, & Apostolos dignatus fuit eas revelare. *Ephes. 3. v. 3. Coloss. 1. 26. & 1. Timoth. 2. v. 16.* Posteriori, Matrimonium Adam,

& Eva, & somnium Nabuchodonosoris dicuntur Sacra-  
menta, seu Mysteria; id est, signa rerum arcanarum,  
seu absconditarum. *Ephes. 5. v. 32. Daniel. 2. v. 19.*  
Nam matrimonium Adæ, & Eva significat conjunctio-  
nem Christi cum Ecclesia; & somnium Nabuchodono-  
soris, successionem quatuor regnum. Hoc posteriori  
sensu nos dicimus: Baptismum, Eucharistiam, & re-  
liqua jam recensita, esse Sacra-  
menta, seu mysteria; id  
est, signa rei arcanæ, seu absconditæ; non cujuscunque,  
sed internæ gratiæ, seu sanctitatis; ut jam explicabi-  
tur.

### De Definitione Sacramentis.

1. **C**atholici sic definiunt: *Sacramentum est signum,*  
& causa gratiæ. Vel: *Est res sensibilis, qua ex*  
*DEI institutione habet vim significandi, & effi-*  
*cendi gratiam.* Quæ definitio convenit novis tantum  
Sacramentis, non veteribus. Nam vetera significabant  
quidem gratiam, sed non efficiebant. Nova & signi-  
fiant, & efficiunt: non ut causæ principales, sed ut  
instrumentales.

4. Adversarii & à nobis, & à se mutuò discrepant;  
nam aliqui sic definiunt: *Sacramentum est promissio gra-*  
*tia, qua externo signo annexa est;* ut Lutherus. Alii è  
contrario sic: *Est exterum signum, cui promissio gratia*  
*annexa est;* ut Melanchthon. Alii sic: *Est symbolum,*  
seu sigillum, quo applicatur promissio; ut Herbrandus.  
Alii sic: *Est sigillum, quo ob-signatur promissio;* ut Cal-  
vinus. Alij aliter. Qui omnes dupliciter refelluntur.  
Primò: *Quia nomine gratiæ non intelligunt internam*  
gratiæ, seu justitiam inhærentem, sicut nos intelli-  
gimus; sed gratiarum peccatorum remissionem, quam  
putant in eo consistere, quod Deus non imputet nobis  
peccata nostra, sed quasi pallio tegat, & dissimulet.  
Quod infra cap. 16. refutabitur. Deinde: nulla ista-  
rum definitionum convenit Eucharistiæ. Hæc enim non  
est instituta, ut remittat peccata; sed ut in homine  
justo soveat, conservet, & augeat gratiam, seu justi-  
tiam inhærentem, nam Eucharistia nihil aliud est  
quam

quam cibus, & potus spiritualis, quo anima reficitur, & vegetatur. *Jean. 6. v. 55.* Sicut ergo cibus, & potus corporalis non prodest corpori mortuo, sed vitam habenti; ita Eucharistia non prodest animæ per peccatum mortuum, sed per gratiam viventi.

### *De Causis Sacramentorum.*

¶ **C**atholici agnoscunt quatuor causas; materiam formam, efficientem, finalem. Materia Sacramentorum est res sensibilis; forma, est vis significandi, & efficiendi gratiam, quam ex DEI institutione habet res sensibilis, ut supra dixi. Efficiens, seu principalis author, qui instituit Sacra menta, est nostra sanctificatio. Ideo enim instituta sunt, ut confirant nobis gratiam sanctificantem, quam significant. Hoc ultimum negant Adversarii; Ajunt: ideo instituta esse, ut excitent in nobis fidem, per quam justificemur. Non ita est, nam fides requiritur ante susceptionem Sacramenti, tanquam prævia dispositio. *Marci 16. v. 16.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, etiamsi baptizatus fuerit, condemnabitur. Fides præcedit, Baptismus sequitur. Et *Matt. 28. v. 19.* Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Prius instruendi sunt omnes homines in doctrina fidei, ut credant in Christum Redemptorem, ac deinde baptizandi.

6. Et confirmatur exemplis Scripturæ; nam Philippus non voluit baptizare Eunuchum, nisi prius crederet in Christum. *Act. 8. v. 36. 37.* Ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibebit me baptizari. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, læcerit. Et Petrus in concione, quam habuit ad Iudeos in die Pentecostes, prius excitavit illos ad fidem in Christum, ac deinde ad Baptismum suscipiendum cohortatus est. *Act. 2. v. 36.* Et ratio est: quia si Baptismus ideo institutus esset, ut excitaret actum fidei, non processeret infantibus, quia in illis non potest excitari actus fidei propter defectum rationis. Vide infra lib. 2. cap. 2.

*Objicitur primò.*

**S**criptura dicit hominem justificari per fidem; ergo non justificatur per Sacra menta, nisi quatenus excitant fidem, quae justificat. *Resp.* Non sequitur; quia potest homo justificari per varias causas in diverso genere. Justificatur enim per fidem, tanquam per præviam dispositionem; per gratiam, seu justitiam inhærentem, tanquam per causam formalem; per Deum, tanquam per causam efficientem principalem; per Sacra menta, tanquam per causas instrumentales; per Christum, tanquam per causam meritoriam. Vide Concil. Trident. *Seff.* 6, cap. 7.

*Objicitur secundò.*

**A**postolus docet; Abrahamum non fuisse justificatum per Circumcisitionem, quæ erat Sacramentum veteris Testamenti, sed per fidem, *Rom. 4, v. 20.* Ergo similiter nos non justificamur per Sacra menta novi Testamenti, nisi quatenus excitant in nobis fidem. *Resp.* In antecedente supponitur, Circumcisitionem excitasse fidem in Abrahamo, quod falsum est. Non enim excitavit fidem in illo, sed fuit signaculum fidei jam antea habitæ. *Prius enim Abraham credidit Deo, ac deinde circumcisus est, Genes. 15, v. 6. & Genes. 17, v. 24.* Deinde; consequentia non valet; quia non est eadem ratio veterum, ac novorum Sacramentorum. Vetera non conferabant gratiam, nova conferunt. Non ergo sequitur: Abraham non fuit justificatus per Circumcisitionem; ergo neque nos justificamur per Baptismum.

*De Effectu Sacramentorum.*

**E**x dictis constat, quid adversarii sentiant, & quid nos. Illi dicunt: Sacra menta ideo instituta esse, ut excitent fidem. Ex quo sequitur: effectum illorum esse fidem; hoc jam refutavi, quia fides est dispositio prævia. Nos dicimus, ideo instituta esse, ut conferant gratiam justificantem. Unde sequitur: effectum illorum esse gratiam. Quod aperte docet Seri-

Scriptura Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.* Hinc enim colligimus. per Baptismum nos renasci, sicut regenerari; quod sine gratia iustificante fieri non potest. Item ex illo Act. 2. v. 38. *Baptizatu unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum.* Et Act. 22. v. 16. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua.* At peccata non remittuntur, aut ablouuntur, nisi per infusionem gratiae justificantis. *Infrā cap. 16.*

### *De Numero Sacramentorum.*

10. **N**Os docemus cum Concilio Tridentino, & consensu totius Ecclesiae, septem esse Sacra menta novae Legis Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, Extremam Unctionem, Matrimonium. Adversarii, ut alibi semper, ita etiam hic inconstantes sunt. Nam aliqui agnoscunt, solum Baptismum, ut Lutherus in libro de captivitate Babylonica circa initium. Alii Baptismum, & Eucharistiam, ut Philippus in locis communibus. Alii Baptismum, & Eucharistiam, & Pœnitentiam, ut multi Lutherani in suis Catechismis. Alii Baptismum, Cœnam, & Matrimonium, ut Zwinglius in libro de vera, & falsa religione. Alii Baptismum, Cœnam, & Ordinationem, ut Calvinus lib. 4. *Instit. cap. 19. §. 31.* Itaque nihil apud illos certi est.

11. Neque illi possunt ullo modo, vel ex Scriptura, vel ex Traditione suas discrepantes sententias confirmare; nam Traditione, quam rejiciunt, pro nobis est. Ex Scriptura, quam admittunt, nihil haec tenus pro se attulerunt, nec deinceps allaturi sunt. Nusquam Scriptura dicit duo, vel tria tantum esse Sacra menta. Imò, quod majus est, nusquam vel Baptismo, vel Eucharistia tribuit nomen Sacramenti; nusquam definit, quid propriè sit Sacramentum novae Legis. Quid ergo præsidet ex sola Scriptura sperare possunt? nihil penitus. Nos perpetua Ecclesiæ Traditione nos tuemur. Semper in Ecclesia traditum, & creditum est, septem esse novae Legis Sacra menta. In hac Traditione acquiescimus,

Suadente Apostolo 2. Thess. 2. v. 14. Itaque fratres statim & tenete Traditiones, quas didicistis. Stamus, & tene-

mus.

12. Ut autem constet de Traditione, consulendi sunt antiqui Patres. Ego Augustinum, qui omnium instar est, hoc loco consulam. Is igitur agnoscit Baptismum, & Eucharistiam. Lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 9. Paucæ (inquit) pro multis, eademque facili facillima, & conservatione castissima ipse Dominus, & Apostolica tradit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis, & Sanguinis Domini. Agnoscit Confirmationem lib. 2. contra litteras Petiliani c. 104. In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. Agnoscit Penitentiam lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 26. & 28. Eadem est causa Baptismi, & Reconciliationis, fine quibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore. Agnoscit Ordinem lib. 2. contra Epistolam Armeniani cap. 13. Utrumque Sacramentum est, & quendam consecratione utrumque homini datur: illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur. Ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare. Agnoscit Extremam Unctionem, serm. 215. de Tempore. Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus, & Sanguinem Christi: ille, qui agrotat, accipiat; ac deinde corpusculum suum ungat; ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: infirmatur aliquis & inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo. Agnoscit Matrimonium lib. 1. de Nuptiis, & concup. cap. 10. Hujus Sacramenti res est, ut mas, & femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.

13. Objicit Kemnitius: Scriptura nusquam dicit, septem esse Sacraenta. Resp. Nusquam etiam dicit, duo, vel tria esse. Objicit 2. Scriptura negat septem esse Sacraenta; nam Apocal. 17. v. 7. Angelus vocat Sacramentum bestiam, quæ semptem capita habebat; ergo septenarius Sacramentorum numerus pertinet ad Antichristum, qui per illam bestiam significatur. Resp.

Kem-

Kemnitius calumniatur; quia si septem nostra Sacra-  
menta sunt septem capita Antichristi, necesse est, etiam  
Baptismum, & Eucharistiam esse capita Antichristi,  
quod est contra ipsum Kemnitium. Deinde: per septem  
capita intelliguntur septem Reges, non septem Sacra-  
menta. Videatur textus.

## C A P U T IX.

### *De Communione sub utraque specie.*

1. **A**dversarii duplice nomine accusant nos in hoc  
puncto. *Primo*: Quod contra apertam Christi  
institutionem, & præceptum porrigamus laicis  
Eucharistiam sub una tantum specie. *Secundū*: Quod  
hac ratione fraudemus illos altera parte hæreditatis à  
Christo sibi relictos; nam Christus in ultima Cœna con-  
didit Testamentum, quo omnibus fidelibus, tam laicis,  
quam Sacerdotibus legavit suam Carnem, & Sanguinem  
per modum hæreditatis. *Lucæ 22. v. 20. Hic est Calix*  
*novum Testamentum in Sanguine meo.* At nos privamus  
laicos altera parte hujus hæreditatis, quia non damus  
illis Sanguinem, sed solam Carnem. Verum hæc omnia  
sunt falsa. Nam *primo* falsum est, extare præceptum  
Christi, quo laici obligentur ad utramque speciem.  
*Secundū*: Falsum est, Eucharistiam sub utraque specie  
esse hæreditatem, quam Christus in novo Testamento  
nobis legaverit. *Tertiū*: Falsum est, nos laicis non dare  
Sanguinem, sed solam Carnem. Hæc omnia probabo  
per sequentes conclusiones.

## C O N C L U S I O I.

2. **N**ullum exstat præceptum Christi, quo laici ob-  
ligentur ad utramque speciem. *Quod dupli-  
citer probo. Primo*: Quia Adversarii nullum  
possunt invenire in Scriptura. Sunt autem triplices Ad-  
versarii: Hussitæ, Lutherani, Galvinistæ. Omnes qua-  
tung

runt præceptum, sed nullibi inveniunt. Hussites quæ runt in illis verbis, Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis. Non bibetis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* At reclamant Lutherani: negant toto illo capite vel unum esse apicem, qui de Sacramento Eucharistie intelligatur. Ipsi ergo querunt in illis, Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite.* Sed repugnat Calvinus: solis Sacerdotibus, non laicis id dictum esse à Christo contendit. Calvinus querit in ipsis, Matth. 26. v. 27. *Bibite ex eo omnes.* Sed ad solos Apostolos ea pertinere declarat Marcus, cum addit: *Et bibent ex eo omnes.* Hinc conclusio: Adversarios non convenire inter se de præcepto; imò, quod amplius est, est ita discrepare, ut ubi alii putant se invenisse præceptum, alii negant ibi esse.

**3. Secundò:** Nos è contrario sufficienter convincimus, unam speciem licet usurpari posse. Hoc autem convincimus auctoritate Patrum, & consensu Ecclesiæ. Patres, qui ita sentiunt, sunt isti. **Primiò:** Qui afferunt, Christum duobus discipulis in Emmaus porrexisse Eucharistiam sub una specie, ut Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Theophylactus, & multi alii. **Secundò:** Qui ajunt: tempore Apostolorum usitatam fuisse unam speciem. Et probant ex illo, Act. 2. *Erunt autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Vel, ut Styrus vertit: *Communicabant in precibus, & fractione Eucharistie.* Et ex illo, Act. 20, v. 7. *Una autem Sabbathi, cum convenissimus ad frangendum panem.* **Tertiò:** Qui dicunt, post tempora Apostolorum unam speciem fuisse in uso, ut Tertullianus, Basilios, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Sozomenus, Nicephorus, & alii, quos citavi in Manuali.

## CONCLUSIO II.

**4. C**hristus in novo Testamento non reliquit nobis Eucharistiam sub utraque specie per modum hæreditatis, sed Legati testamentarii, ut singunt Adversarii. Ratio est: quia sicut Deus in veteri Testa-

Testamento promisit Hebreis terram Chanaan per modum hæreditatis. *Psal.* 140. v. 11. & *Levit.* 20. v. 24. Ita in novo protulit nobis vitam æternam per modum hæreditatis, *ad Titum* 3. v. 7. & *Hebræor.* 9. v. 15. non autem Eucharistiam. Nec usquam legimus in Scriptura, nos esse hæredes Eucharistiæ, seu Carnis, & Sanguinis Christi; sed hæredes vitæ æternæ, seu regni cœlorum. *Roman.* 8. v. 17. & *ad Titum* 3. v. 7. & *Iacob.* 2. v. 5. Et confirmatur: quia Manna fuit figura Eucharistiae; at Manna non fuit hæreditas Hebræorum, sed cibus, seu viaticum, quo reficiebantur Hebrei, dum irent in terram Chanaan, quæ erat illorum hæreditas; ergo similiter Eucharistia non est hæreditas nostra, sed est viaticum, quo reficimur in itinere, dum tendimus ad vitam æternam, quæ est hæreditas nobis promissa.

5. Nec obstat, quod objicitur ab Adversariis: *Lucæ* 22. v. 20. & *1. Corinth.* 11. v. 25, *Hic Calix novum Testamentum est in meo Sanguine.* Non enim sensus illorum verborum est iste: *Hic meus Sanguis*, qui est in hoc Calice, est novum Testamentum; id est, hæreditas testamentaria à me relata; sed longè alias, quem explicant *Matth.* & *Marcus*; cùm ajunt: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti*, id est: *Hic est Sanguis meus, quo sanctificatur novum Testamentum.* Ubi Christus novum Testamentum opponit veteri, & suum Sanguinem sanguini hircorum, & vitulorum. Sicut enim vetus Testamentum fuit sanctum sanguine animalium; ita novum Sanguine Christi; & sicut de veteri dixit Moyses, *Exodi* 24. v. 8. *Hic est sanguis fæderis, quod pepigit Dominus vobiscum;* & *Apostolus Hebræor.* 9. v. 19. 20. *Moyses accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, dixit: Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos DEUS.* Ita Christus de novo: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti.* Secundum Adversarios sic dicendum esset: *Hic Sanguis Christi est novum Testamentum, id est, hæreditas novo Testamento relata.* Item: *Hic sanguis hircorum, & vitulorum est vetus Testamentum, id est, hæreditas veteri Testamento relata.* Quod absurdissimum est.

CON.

## CONCLUSIO III.

6. **L**aici sub una specie non accipiunt solam Carnem, sed Carnem, & Sanguinem simul; immo totum Christum. Et hoc sensu docent Theologi nostri, sub una specie non minus contineri totum Christum, quam sub utraque. Ratio est: quia Christus est Immortalis, juxta illud Rom. 6. v. 9. *Christus resurgent ex mortuis jam non moritur.* Ergo Caro, Sanguis, Anima, & Divinitas Christi semper manent conjuncta; ac proinde, cum sub specie panis sit Caro Christi, necesse est, etiam Sanguinem, Animam, & divinitatem, atque adeo totum Christum adesse. Ex quo ulterius sequitur: non minorem fructum percipi ex una specie, quam ex utraque. Totus enim fructus percipitur a presentia Christi, qui non minus sub una, quam sub utraque specie praesens est. Cur ergo, inquires, Sacerdotes non sunt contenti una specie, sicut jubent Laicos contentos esse? *Resp.* Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam Sacrificium, ut Capite sequenti demonstrabitur; igitur ratio Sacramenti salvare potest in una specie: ratio Sacrificii requirit utramque speciem. Laici ergo, qui Eucharistiam accipiunt, quatenus Sacramentum est, una specie contenti sunt. Sacerdotes autem, qui illam, ut Sacrificium offerunt, utramque speciem usurpare debent:

*Prima obiectio ex Scriptura:*

7. **H**uiusmodi, ut dixi, objiciunt illud: *Nisi mandua caveritis Carnem Filii hominis, & bibere Sanguinem ejus non habebitis vitam in nobis.* *Resp.* Hæc verba continent quidem præceptum de sumenda Eucharistia, non tamen de utraque specie. Nulla enim fit mentio specierum, panis, & vini, sed Carnis, & Sanguinis; at Caro, & Sanguis Christi potest sumi sub una specie, ut jam explicatum est.

8. Lutherani objiciunt illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* *Resp.* Hoc dictum est post sumptionem panis, non autem post sumptionem calicis. Inde ergo non potest colligi præceptum de sumptione calicis.

9. Calvinistæ objicunt illud: *Bibite ex hoc omnes.*  
 Resp. Hoc solis Apostolis dictum est, qui erant præsentes. Cùm enim Christus divisisset panem Eucharisticum in varias partes, & singulis Apostolis singulas porrexisset; calix autem eo modo dividi non posset, uni ex Apostolis integrum porrexit cum hac cautione, ut non putaret totum sibi ebibendum esse, sed aliquid inde degustandem, ac deinde reliquis ordine porrigidendum. Itaque verba illa: *Bibite ex hoc omnes*, perinde valent, atque illa Luc. 22. v. 17. *Accipite, & dividite inter vos*, id est. Unus non exhaustat totum calicem, sed singuli aliquid bibant. Quod & factum, ut testatur Marcus: *Ebiberunt ex eo omnes.* Utique illi omnes ex eo bibebant, quibus dictum erat à Christo: *Bibite ex hoc omnes.* Res clara est.

### Secunda objectio ex Patribus.

10. **P**rimò objicitur Cyprianus, qui in sermone de Cœna Domini sic habet: *Lex eum Sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur.* Resp. Cyprianus, ut probet præceptum bibendi Sanguinem, citat illud: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in nobis.* Hoc autem præceptum, ut supra dixi, non requirit utramque speciem, sed manducationem Carnis, & bibitionem Sanguinis, quæ fieri potest sub una specie panis, ut jam sapere dictum est. Et hoc insinuat Cyprianus, cùm addit: *Potus, & ejus ad eandem pertinent rationem.* Quasi dicat: Idem est manducare Christum, & bibere Christum. Qui ergo manducat illum sub una specie, non solum manducat Carnem, sed etiam bibit Sanguinem ipsius; ac proinde satisfacit præcepto Evangelico, de quo loquitur Cyprianus.

11. Secundò: Objicitur Chrysostomus hom. 18. in posteriorem Corinth. ubi ait: *Est autem, ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ubi? quando fruendum est horas rendis mysteriis.* Similiter enim omnes, ut illa percipiunt, digni habemur. Non sicut in lege, partem quidem

Sacerdos comedebat, partein autem populus; & non licet  
bat populo participem esse eorum, quorum particeps erat  
Sacerdos. Sed nunc non sic: verum omnibus unum Cor-  
pus proponitur, & unum poculum. Resp. Nulla hic fit  
mentio præcepti sub utraque specie. Nec Chrysostomus  
disputat ibi de tali præcepto, sed solum assignat  
differentiam inter sacrificia veteris, ac novæ Legis.  
Nam in veteri Sacerdos unam sacrificii partem, populus  
alteram comedebat. In nova totum sacrificium, quod  
ad victimam, quæ offertur, accinet, æquè à populo,  
atque à Sacerdote participatur. Utique, tam populo,  
quam Sacerdoti, totus Christus secundum Carnem, &  
Sanguinem manducandus, & bibendus proponitur. Ne-  
mo hoc negat. Nec aliud vult Chrysostomus; quod  
autem addit: *Omnibus unum Corpus proponitur, & po-  
culum unum.* Non debet intelligi de speciebus Sacra-  
mentalibus, sed de Carne, & Sanguine Christi. Non  
enim sensus est: omnibus, tam Laicis, quam Sacerdo-  
tibus proponi eandem speciem panis, & eandem spe-  
ciem vini; quia hoc falsum est, cum singuli accipient  
partes panis, & vini consecrati inter se realiter distin-  
etas: sed omnibus proponi eandem Christi Carnem, &  
eundem Sanguinem; ita ut Sacerdos nihil Carnis, aut  
Sanguinis percipiat, quod non etiam percipient Laici.  
Et in hac re ponit discrimen inter utriusque Legis po-  
pulum, & Sacerdotes.

12. Tertiū: Objicitur Leo Papa serm: 4. de Quadragesima, ubi de Manichæis ita scribit: *Ore indigno Christi Corpus accipiunt, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant.* Resp. Leo non damnat com-  
munionem sub una specie in Catholicis, qui eam legi-  
timè tunc usurpabant; sed in Manichæis, qui ex sa-  
cerdotali superstitione abstinebant à calice etiam in con-  
secratione tum, quia putabant vinum esse filum draco-  
nis: tum, quia negabant Christum esse verè mortuum,  
& verum Sanguinem effudisse. Vide, quæ diximus in  
Manuali.

13. Quartò: Objicitur Gelasius Papa, qui apud Gra-  
tian. cap. compérimus de Conf. dist. 2. sic habet: Com-  
périmus, quod quidam sumpta tantummodo Corporis sacri  
portione, à calice sacri Cruoris abstineant. Qui præcul  
dubio, quoniam necio, qua superstitione docentur oosfrin-  
gi, aut Sacra menta integra percipient, aut ab integris  
arceantur: quia divisio unius & ejusdem mysterii sine  
grandi sacrilegio non potest provenire. Resp. Hæc obje-  
ctio est similis præcedenti. Gelasius non reprehendit  
Catholicos à calice abstinentes, sed Manichæos, qui  
ex superstitione abstinebant in sacrificeione.

### Tertia objectio ex ratione.

14. Quae talis est: Omnes Hebræi in deserto bibe-  
runt aquam de petra, 1. Corinth. 10. v. 4: Ergo etiam omnes Christiani debent bibere  
de Sanguine Christi; nam aqua illa fuit figura hujus  
Sanguinis. Respondeo. Hoc ipso argumento convictam  
Adversarios; nam si illa aqua fuit figura Eucharistie,  
favet uni speciei, non duabus. Nota: varias fuisse  
figuras Eucharistie. Primò: Panem & vinum Mel-  
chisedech. Secundò: Panes propositionis. Tertiò: Pa-  
nem subcinericum Heliæ. Quartò: Manna. Quintò:  
Aquam de petra. Sextò: Agnum Paschal m. Septimò:  
Sacrificia Mosaica. Omnes hæc, excepta prima, repre-  
sentant Eucharistiam sub una specie. Adversarii au-  
tem non agnoscunt primam figuram; ergo secundum  
ipsos, nulla est figura, quæ representet utramque spe-  
ciem. Cùm autem inferunt: Omnes Hebræi biberunt  
aquam de petra; ergo omnes Christiani debent bibere  
Sanguinem Christi: libenter hoc admittimus. At in-  
de non convincitur necessitas utriusque speciei; nam  
Christiani sub una specie possunt comedere Carnem  
Christi, & bibere ejus Sanguinem; ut sèpè dictum est;

¶. १. शुद्धिता वाचः शुद्धिता वाचः

## C A P U T X.

### *De sacrificio Missæ.*

1. **S**acrificium est exterius cultus, qui ex interno affectu soli Deo exhibetur. Ad hunc cultum requiruntur quinque. **P**rimò: Minister, qui offerit sacrificium. **S**econdò: Materia. **T**ertiò: Forma. **Q**uartò: Locus. **Q**uintò: Finis. Minister, est Sacerdos. Materia, est res sensibilis, quæ offertur Deo. Forma, est consumptio, vel mutatio rei oblatæ. Locus, in quo fit sacrificium, est Altare. Finis potest esse quadruplex. **P**rimò: Recognitio supremi dominii, quod Deus in nos habet. **S**econdò: Cratiarum actio pro beneficiis ab eo acceptis. **T**ertiò: Novorum beneficiorum petitio. **Q**uartò: Expiatio peccati. Hinc solet distingui quadruplex sacrificium. **P**rimò: Latreuticum, quo testamur nos esse servos Dei, cui omnia debeamus. **S**econdò: Eucharisticum, quo ostendimus nos gratos pro acceptis beneficiis. **T**ertiò: Impetratorium, quo petimus nova beneficia. **Q**uartò: Propitiatorium, quo studemus placare Deum, ut nobis condonet peccata nostra.

2. **P**orrò: cum triplex hominum status spectari possit ab orbe condito ad nos usque, nempe, status naturæ, status Legis Mosaicæ, & status gratiæ, seu Evangelii; hinc sit, ut distinguantur etiam triplicia sacrificia: *Alia* legis Naturæ; *alia* legis Mosaicæ; *alia* legis Evangelicæ. In lege Naturæ fuerunt sacrificia Abel, Noë, Abrahæ, Melchisedech, Isaac, Jacob, Job. In lege Mosaica, victimæ, libamenta, immolationes; item holocausta, hostiæ pro peccato, hostiæ pacificæ. In lege Evangelica duplex est sacrificium: *Unum* cruentum, quo Christus in ara Crucis Deo Patri oblatus est pro expiatione peccatorum nostrorum. *Alterum* inccruentum, quo idem Christus quotidie sub specie panis, & vini offertur in altari in memoriam sacrificii cruentis. Utrumque præfiguratum fuit per sacrificia legis Naturæ, & Mosaicæ.

3. His

3. His positis quæstio est: An sacrificium incruentum, quod nos sacrificium Missæ appellamus, sit propriè. & verè sacrificium? Adversarii, qui rem ipsam negare non audent, suo more de nomine altercantur. Concedunt celebrationem Eucharistiae, quæ à Christo instituta est; negant, propriè vocari posse sacrificium. Nos affirmamus: Sententia nostra variis modis probari potest. *Primi*: Ex typis, seu figuris veteris Testamenti. *Secundi*: Ex vaticinio Malachiae. *Terti*: Ex colloquio Christi cum Samaritana. *Quarti*: Ex Apostolo Paulo. *Quinti*: Ex consensu Sanctorum Patrum. Hinc sumo totidem argumenta.

4. *Primum*: In veteri Testamento fuerunt tres potissimum figuræ, seu umbræ celebrationis Eucharistiae. *Prima*: Oblatio panis, & vini à Melchisedech facta. *Secunda*: Celebratio Agni Paschalidis. *Tertia*: Juge sacrificium. Atqui illæ tres figuræ erant vera sacrificia; ergo etiam celebratio Eucharistiae est verum sacrificium. Consequentia probatur: quia umbra, seu figura, quæ talis, in suo genere imperfectior est, quam id, cuius est umbra, seu figura; ergo quidquid perfectionis est in umbra, seu figura, multò eminentius debet esse in eo, cuius est umbra, seu figura; sicut quidquid perfectionis est in rudi delineatione imaginis, multò eminentius est in ipsa imagine jam perfecta. Jam vero esse sacrificium, est quedam perfectio, quæ fuit in umbra, seu figura celebrationis Eucharistiae; ergo multò magis debet esse in ipsa celebratione Eucharistiae.

5. *Secundum*: Malachias Propheta cap. 1. v. 7. & sequentibus prædictis fore, ut in novo Testamento offeratur DEO mundum sacrificium in omni loco, quod præferendum sit sacrificiis Mosaicis, quæ saepè erant immunda. Nam de his in persona DEI sic loquitur: *Offeratis super altare meum panem pollutum. Item: Offertis cœcum, claudum, & languidum ad immolandum.* De illo autem: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ illa munda oblatio? Corpus, & Sanguis Christi sub specie panis, & vini, uti interpretantur Sancti Patres.

6. *Tertium*: Christus in colloquio cum muliere Samaritana ait hoc discrimen esse inter sacrificium iudaicum, Samaritanum, & Christianum; quod duo priora fuerint certo loco alligata, tertium in omni loco offerri possit. Deinde, quod duo priora fuerint vitiata, tertium non item. Loquitur autem de sacrificio proprie dicto; ergo Christiani habent aliquod sacrificium propriè dictum, quod in omni loco offerri potest. Hoc vero non est sacrificium Crucis cruentum, quod semel tantum, & uno loco oblatum est; ergo est sacrificium Eucharistiae in cruentum, quod quotidie in variis locis offertur. *Ioan. 4. v. 19.* Vide Maldonatum ibid.

7. *Quartum*: Apostolus 1. *Corint. 10. v. 15.* agnoscit triplicem mentam, seu triplex altare. *Unum*, in quo Gentiles sacrificant idolis, seu dæmoniis. *Alterum*, in quo Judæi offerunt Deo victimas ex animalibus. *Tertium*, in quo Christiani offerunt Corpus & Sanguinem Christi sub specie panis, & vini. At quorsum? Ut probet Corinthios debere abstinere ab idolothytis, id est, a carnis, quæ idolis, seu dæmoniis oblatæ sunt. Hoc sic probat: Qui comedit de victimis, quæ in altari idololatrico immolatæ sunt idolis, ille est particeps altaris, & sacrificii idololatrici, & consequenter est cultor idolorum; sed vos, cum sicut Christiani, non debetis esse participes sacrificii idololatrici, neque cultores idolorum: *Fugite, inquit, ab idolorum cultura.* Ergo non debetis comedere de victimis, quæ immolatæ sunt idolis. Majorem confirmat à simili, quia Christiani, qui sumunt Corpus, & Sanguinem Christi, sunt participes altaris, & sacrificii Christi; & Judæi, qui comedunt de victimis Mosaicis, sunt participes altaris, & sacrificii Mosaici; ergo similiter, qui comedunt de victimis idololatrici. At nemo potest simul esse particeps altaris Christi, & idolorum; ergo si vultis esse participes altaris Christi, debetis abstinere ab altari idolorum.

8. *Quintum*: Antiqui Patres tam clare loquuntur de sacrificio Eucharistiae, ut nemo de ipsorum sententiis dubitare possit. Quod variis modis ostendo: *Primo;* Quia usurpant has voces: *Sacrificium, Oblatio, Hostia,*

Vidēna, Offerre, Sacrificare, Immolare. Secundò: Requirunt altaria ad celebrandum Eucharistiam. Alta iacuēm non eriguntur, nisi ratione sacrificii. Tertiò: Ministros, qui Eucharistiam offerunt, vocant Sacerdotes. Proprium autem munus Sacerdotum est, offerre sacrificium. Hebr. 5 v. 1. & Hebr. 8 v. 3. Quatùd: Ajunt Melchisedechum fuisse verum Sacerdotem. & obtulisse panem, & vinum in sacrificium: Et hoc modo præfigurasse incruentum sacrificium, quod Christus sub specie panis, & vini instituit in ultima Cœna, eamque ob causam. Christum in Scriptura vocari Sacerdotem secundūm ordinem Melchisedech. Denique variarium Malachij, de quo suprà dixi, interpretantur de sacrificio Eucharistiae. Testimonia Patrum invenies apud Bellarminum lib. 1. de Missa cap. 15. & sequentibus. Nec opus est hue transcribere, quia Adversarii fatentur, Patres nobiscum sentire, præsertim Lutherus in lib. de Missa privata. Calvinus lib. 4. institut. cap. 18. §. 1. & 12. Kemnitius in Examine Concil. Trid. & alii.

### Objectiones Adversariorum.

9. **P**rima: Sacrificium debet offerri Deo, non autem comedi ab hominibus. At Eucharistia comeditur ab hominibus; ergo non est sacrificium.  
**R**esp. Major, quoad posteriorem partem; falsa est; nam Agnus Paschalis erat verum sacrificium, & tamen comedebatur ab Hebræis. Similiter hostiæ pacificæ erant sacrificia, & tamen pars earum cedebat in ulum Sacerdotum, & offerentium.

10. **S**econda: Id, quod est Sacramentum, non potest simul esse sacrificium. At Eucharistia est Sacramentum; ergo non potest simul esse sacrificium. Major probatur: Quia Sacramentum, & sacrificium opponuntur; nam in Sacramento accipimus aliquid à DEO, in sacrificio damus aliquid DEO. At ratio accepti, & ratio dati non possunt simul in una, eadémque re consistere. **R**esp. Major falsa est, etiam ex Adversariorum concessione; nam Plessæus Calvinista l. 12. de Euch. c. I.

expressè ait: Agnum Paschalem fuisse simul Sacramen-  
tum & sacrificium. Quod etiam ex Scholasticis docet  
D. Thomas, & alii plures. Nec obstat, quod in Sacra-  
mento accipimus aliquid à Deo, & in sacrificio aliquid  
offerimus Deo; quia hæc duo possunt simul consistere,  
ut jam ostensum est in Agno Paschali. Et sane, si id,  
quod à Deo accipimus, non liceret offerre Deo, nul-  
lum foret sacrificium, juxta illud I. Paralip. 29. v. 14.  
*Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedi-  
mus tibi.*

11. *Tertia*: Christus, quando instituit Eucharistiam,  
non dixit: *Offerte*, sed *comedite, & bibite*. Ergo Eu-  
charistia de institutione Christi non est sacrificium, sed  
Sacramentum tantum. *Resp.* Tametsi non sit usus illo  
vocabulo, *Offerte*, usus tamen est alio æquipollente,  
cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, id  
est: posthac celebrate Eucharistiam, quam nunc insti-  
tuo pro gratiarum actione, in memoriam meæ mortis,  
quam pro vobis & coto humano genere subiturus sum.

12. *Quarta*: Christus est Sacerdos in æternum;  
ergo nullum habet Successorem, aut Vicarium in Sacre-  
dotio. Nulli ergo nunc sunt Sacerdotes in terris, ac  
proinde nec sacrificia. Et confirmatur ex Apostolo,  
*Hebr. 7.* ubi dicit: ideo in veteri Testamento fuisse  
plures Sacerdotes, quorum unus alteri succedebat, quia  
singuli erant mortales; Christus autem est immortalis,  
ideoque non indiget Successoribus, & Vicariis. *Resp.*  
Aliud est, esse Successorem alterius: aliud esse Minis-  
terium, seu Vicarium; nam Successor est ejusdem digni-  
tatis, & potestatis cum eo, cui succedit; non autem  
Minister, aut Vicarius cum eo, cuius Minister, aut Vi-  
carius est. *Rursum*, Successor nonnisi post mortem,  
aut depositionem alterius constituitur; at Minister, seu  
Vicarius solet constituī, dum adhuc vivit is, cui sub-  
servit. Utrumque patet in Rege: Is, quamdiu vivit,  
& in officio manet sine abdicatione, non habet Succes-  
sorem; potest tamen habere Ministros, aut Vicarios,  
qui ipsi subserviant. Idem est de Christo: Non habet  
Successorem in Sacerdotio cum pari potestate, quia  
semper

semper vivit, uti recte argumentatur Apostolus. Habet tamen Ministros, seu Vicarios, qui ipsi subserviunt in officio sacerdotali, nec pe Diversatores Mysteriorum Dei.

13. *Quinta*: Sacrificium Crucis habet vim infinitam; ergo non indigemus alio sacrificio; ergo multiplicare tot sacrificia Missæ, nihil aliud est, quam negare virtutem. & sufficientiam sacrificii Crucis. *Resp.* Sacrificium Crucis habet infinitam vim sanctificandi homines, nec opus est alio sacrificio Crucis, aut ejusdem sacrificii repetitione. *Vel* (quod idem est) non est opus, ut alius Christus pro nobis moriatur, aut ut idem Christus sibi moriatur; nam semel moriendo sufficientissimè satisfacit Deo Patri pro nobis. *Hebr* 9. v. 28. & *cap.* 10. v. 14. Duo tamen necessaria sunt: *Unum*, ut simus memores illius tanti beneficij. *Alterum*: ut fructus illius beneficij nobis applicetur. Utrumque fit per Sacrificium Missæ, & alia media à Deo ordinata.



## C A P U T XI.

### *De Purgatorio.*

1. *Q*uestio est: An sit aliquis locus, in quo animæ Justorum, quæ in hac vita sufficienter purgatas non sunt, purgentur post hanc vitam, antequam ad cœlestem gloriam admittantur. Lutherani, & Calvinistæ negant. Catholici astruunt. Et probant 4. potissimum argumentis. *Primum* sumitur ex suffragiis viventium pro mortuis. *Alterum* ex eo, quod remissa culpa mortali, non semper remittatur tota pœna illi debita. *Tertium* ex eo, quod justi aliquando moriantur cum peccatis venialibus. *Quartum* ex Scriptura, & Patribus. Singula explicanda sunt, ac deinde objections Adversariorum diluendæ.

2. *Primum* igitur argumentum est tale: Fideles in hac vita recte, ac utiliter orant pro defunctis; at non orant pro illis, qui sunt in cœlo, vel in infer-

no; ergo pro illis, qui sunt in Purgatorio; ergo datur Purgatorium; Major probatur dupliciter. Primo: Ex Scriptura. Deinde ex praxi, & consuetudine Ecclesiae. Ex Scriptura habemus luculentum testimonium. lib. 2. Machab. cap. 12. v. 4;. ubi Judas Machabaeus iussit offerri sacrificium pro defunctis. Et factum ejus ibi approbatur his verbis: Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. De praxi, & consuetudine Ecclesiae scribit S. Augustinus in lib. de Cura pro mortuis, cap. 1. In Machabaeorum (inquit) libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed et si nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva tamen est universa Ecclesia, quae in hac consuetudine claret, authoritas; ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino DEO ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Et ibidem c. 4. Non sunt prætermittenda supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate defunctis suscepit Ecclesia.

3. Secundum: Sæpè fit, ut homo, qui peccavit mortaliter, liberetur à culpa mortali, & consequenter à reatu pœnæ æternæ, & tamen maneat obnoxius aliqui pœnæ temporali; ergo, si antequam exsolvat illam pœnam, decadat ex hac vita, debebit illam exsolvere post hanc vitam; quod alibi fieri non potest, nisi in Purgatorio. Hic discursus fundatur in eo, quod Deus remittat aliquando peccatum mortale, & reatum pœnæ æternæ; ita tamen, ut velit hominem, cui remissio facta est, punire aliqua pœna temporali, non solum in cautelam, sed etiam in vindictam peccati præteriti, ut Justitia aliquomodo satishat. Sicut Rex aliquando condonat reo offendit, & pœnam capit, quam meritus est; & tamen, ne omnino videatur neglegta Justitia publica, vult illum per aliquod tempus exiliō, vel carcere puniri. Quod variis Scripturæ exemplis probari solet. Primo: Quia Moyses. & Aaron, ob peccatum incredulitatis, quod illis remissum erat, adhuc puniti sunt morte corporali, ante ingressum in Terram promissionis. Num. 20. v. 12. & Deut. 34. v. 4. Secundum:

Quia

Quia David post impetratam veniam adulterii. & homicidii punitus est morte filii. 2. Reg. 12. v. 14. *Tertium:* Idem David, cum rogasset Deum pro remissione peccati superbæ, obtainuit quidem remissionem, sed tamen proposita est illi triplex pena, ut unam eligeret in vindicam peccati jam antea condonati. 2. Reg. 24. v. 12. Omitto similia exempla. Vide Augustinum Tract. 124. in Joannem. Et in enarratione Psalmi 50. circa illum versiculum: *Ecce enim veritatem dixisti.*


*4. Tertium:* Aliquando etiam contingit, ut homo justus moriatur cum peccatis quibusdam venialibus (præsertim si subitanea morte præveniatur, neque habeat spacium cogitandi, aut dolendi de hujusmodi peccatis) & sic maneat obnoxius penæ temporali, quæ illis peccatis debita est. Certè in tali casu non potest admitti ad cœlestem gloriam, nisi priùs liberetur à peccatis venialibus, & reatu penæ temporalis, quæ illis debetur. Apocal. 21. v. 27. Non liberatur autem in hac vita ex suppositione, ergo post hanc vitam: non in cœlo, nec in inferno, ergo in Purgatorio.

*5. Quartum:* Varia sunt testimonia Scripturæ, ex quibus Sancti Patres probant Purgatorium. *Primum:* Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ex quo colligitur aliqua esse peccata, quæ remittuntur in futuro seculo, ut argumentatur S. Augustinus lib. 12. de Civitate DEI cap. 24. *Secundum:* Luc. 23. v. 42. *Dicebat latro ad Iesum: Domine memento mei, cum derneris in regnum tuum.* Quod sanè non dixisset, nisi putasset Christum posse ipsi post hanc vitam peccata remittere; ut ait idem Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 15. *Tertium:* 1. Corinth. 3. v. 15. *Ipsè autem salvus erit: sic tamen, quæ si per ignem.* Quod de igne Purgatorio interpretatur idem Augustinus in Psalm. 37. statim post initium, & alibi saepius. *Quartum:* 1. Corinth. 15. v. 29. *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgent?* Ubi baptizati pro mortuis idem est, quod spontaneas afflictiones pro illis suscipere, ut e Purgatorio liberentur, ut expllicant magni Authores. M 5 Obje-

*Objectiones Adversariorum.*

**6. P**rima: Scriptura docet duo tantum esse loca animalium post hanc vitam: unum beatitudinis in celo, alterum damnationis in inferno. Matth. 25. v. 46. *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Resp. Post diem judicii erunt tantum duo ista loca pro adultis, ut patet ex citato textu. At nunc, sicut etiam in veteri Testamento plura sunt. Et certe, si duo tantum essent, dicant. obsecro, Adversarii, ubi fuerint animae eorum, qui post mortem iterum resuscitati sunt ad vitam? Quo pacto ab Elia resuscitatus est filius viduae Sareptanae; ab Eliaco, filius Sunamitidis; a Christo, filius viduae in Naim; filia Jairi, Principis Synagogae; Lazarus in Bethania; ab Apostolo Petro. Tabitha; a Paulo, Eutichus adolescens; Ubi, inquam, animae horum fuerunt, antequam ad vitam revocarentur? Non in inferno, quia ibi nulla est redemptio; nec in celo, quia alioqui non fuisset beneficium, sed poena. Si ex coelesti beatitudine debuissent redire ad hanc vitam mortalem. Superest ergo fuisse in alio loco, qui ab utroque distinguebatur.

**7. Secunda:** Scriptura docet, justos post hanc vitam statim admitti ad coelestem gloriam, nulla facta mentione Purgatorii. Luc. 22. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradyso.* Et Phil. 1. v. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Resp. Scriptura ibi non loquitur de omnibus justis, sed de aliquibus. Nam, qui nihil purgandum habent, statim post hanc vitam admittuntur ad celum, verum est. Qui autem habent aliquid expiandum, admittuntur suo tempore, sed quasi per ignem; ut ex Apostolo, & August. dictum est. Nec obstant testimonia ex Scriptura citata; nam illud *Hodie mecum eris in Paradyso*, fuit singulare privilegium concessum latroni, cui Christus liberalissime condonavit omnia peccata sine ulteriori obligatione poenae temporalis post mortem; quod non sequitur omnibus concedi. Ex illo etiam: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo;* nihil aliud potest colligi, quam Apostolum habuisse magnum desiderium vivendi cum Christo, quod & nos habere possumus; praesertim, si cum eodem Apostolo veraciter asseramus: *Castigo corpus meum, & in servitatem redigo.*



## C A P U T XII.

### *De vocatione Ministrorum Ecclesiae.*

1. **P**Opulus Dei, tam in veteri, quam in novo Testamento duobus modis regi, ac gubernari solet.

*Primò*: In rebus politicis. Hoc fit per Reges, Principes, & alios Magistratus seculares. *Secundò*: In rebus Ecclesiasticis. Hoc fit per Ministros Ecclesiae de quibus nunc agimus. In utroque gubernandi genere necessaria est legitima vocatio; nam neque in rebus politicis, neque in Ecclesiasticis potest aliquis usurpare regimen, nisi legitimè ad hoc vocatus, & deputatus sit. Et si qui aliter faciant in politicis, appellantur tyranni: si in Ecclesiasticis, fures, & latrones, juxta illud Joan. 10. v. 1. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est, & latro.*

2. Hoc loco, relicta Regum, ac Principum seculariorum vocatione, solum agam de vocatione Ministrorum Ecclesiae, quæ duplex est: Una *ordinaria*, quæ fit à Deo mediante consensu, & cooperatione hominum. Altera *extraordinaria*, quæ immediatè fit à solo Deo. Agam *primò* de vocatione Ministrorum veteris Testamenti. *Secundò*: De vocatione Ministrorum novi Testamenti. *Tertiò*: Ostendam ministros Lutheranos, & Calvinianos non esse legitimè vocatos.

### *De vocatione Ministrorum veteris Testamenti.*

3. **I**gitur Ministri veteris Testamenti, qui ordinariè vocabantur ad ministerium Synagogæ, erant triplices. *Primò*: Pontifex, seu summus Sacerdos. *Secundo*: Alii Sacerdotes inferiores. *Tertiò*: Levitæ. In illorum vocatione quinque spectari poterant. *Primò*: Electio, seu designatio certæ personæ. *Secundò*: Purificatio præcedens Consecrationem. *Tertiò*: Ipsa Consecratio. *Quartò*: Applicatio ad usum, seu exercitium ministerii. *Quintò*: Potestas, & officium.

4. *Electio*, seu designatio personæ siebat per carnalem successionem; nam filii succedebant parentibus, ut Aaroni Eleazar, Eleazar Phinees, & sic deinceps. *Eccles.* 45. v. 7. *Purificatio* siebat certis ritibus a Deo præscriptis, cuiusmodi erant: *Aspersio aquæ lustralis*, *rasio pilorum*, *lotio corporis*, & *vestium*, *oblatio sacrificii pro peccato*. *Num.* 8. v. 6. *Exodi* 29. v. 4. *Consecratio* Pontificis, & Sacerdotum erat hujusmodi. *Primo*: Pontifex ornatus Pontificali & Sacerdotes sacerdotali induebantur. *Secundo*: Pontifex ungebatur oleo unctionis in capite, non item Sacerdotes. *Tertio*: Tam Pontifex, quam Sacerdotes in extremo auriculae dextræ, & in pollice manus, ac pedis dextri tingebantur sanguine arietis immolati. *Quarto*: Vests eorum aspergebantur sanguine arietis, & oleo unctionis. *Quinto*: Ex canistro panum, & ex ariete immolato dabantur illis al qua in manus, ut ea levarent coram Deo. Quo signo non solum dabatur illis potestas sacrificandi, sed simul applicabantur ad usum ministeris. Hæc omnia habentur *Exodi* 29. v. 4. & sequentibus. Cæterum, ut major esset solennitas hujus actionis, triplex offerebatur sacrificium: *Holocaustum*, *hostia pacifica*, & *hostia pro peccato*. *Exodi* 29. v. 1. & *Levit.* 9. v. 2.

5. Supereft potestas, & officium: Pontifex habebat quædam officia communia cum aliis Sacerdotibus quædam propria. Hujusmodi erant quatuor: *Primum*: *Sermel* in anno, nempe in solennitate expiationis, introire in Sanctuarium, seu in Sancta Sanctorum. *Hebr.* 9. v. 7. & instituere publicam totius populi expiationem ab omnibus peccatis toto anno contractis. *Levit.* 19. *Alterum*: *Consecrare* Sacerdotes, & Levitas. *Exodi* 29. *Levit.* 8. & *Numer.* 8. *Tertium*: In controversiis legalibus agere supremum Judicem, *Deut.* 17. v. 12. & 2. *Paralip.* 19. v. 11. *Quartum*: In rebus magni momenti consulere Deum, quid agendum. *Num.* 27. v. 21.

6. Hæc de ordinaria vocatione. Extraordinariæ vocabantur illi, qui a solo Deo sine ministerio aliorum hominum, mittebantur ad docendum, reformatum,

&amp;

& arguendum populum. Quo pacto missi sunt Moy-ses, Helias, Helisæus, & alii Prophetæ. Erat autem necesse, ut qui hoc modo dicebant se missos esse à Deo certis, & evidentibus signis confirmarent suam missio-nem, alioqui populus non credidisset ipsis, sed pro-impostoribus habuisset. Quod fatetur Moy-ses de seipso. Cùm enim Deus dixisset illi: *Veni, & mittas te;* Re-spondit Moy-ses: *Non credent mihi, neque audient vo-cem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Exodi 3. v. 10. & cap. 4. v. 1.

7. Dupliciter autem probabant, se à Deo missos esse. Primo: Per miracula. Sic probavit Moy-ses, quando virginem in serpentinam mutavit, & aquam in sanguinem convertit. Sic Samuel, Helias, Helisæus, & alii. Secundo: Per veracem prædictionem futurorum, quæ brevi erant eventura. Quo pacto Helias prædictum, tribus proximis annis non fore pluviam. 3. Reg. 7. v. 1. Michæas Reg. m Achab infeliciter pugnaturum in Ramoth Galaad. 3. Reg. 22. v. 17. Elisæus post unum diem fore magnam annonæ vilitatem. 4. Reg. 7. v. 1. Isaïas, proximō anno fore abundantiam frugum; se-quenti. pomorum copiam; tertio, plenam missem, & vindemiam. cap. 37. v. 30. Et quia hæc omnia evenierunt eo modo, quo Prophetæ prædixerant; ideo magnam autoritatem apud populum sibi conciliabant; & i.e. verè à Deo missos esse persuadebant. Sicut è con-tratio, quia non eveniebant ea, quæ à falsis Prophetis prædicabantur, nulla illis fides habebatur. Et hoc signo discernendum esse inter veros, & falsos Prophetas con-stat. Deut. 18. v. 22.

### *De vocatione Ministrorum novi Testamenti.*

8. PRÆCIPUI Ministri novi Testamenti sunt Pontifex, Episcopi, Presbyteri, seu Sacerdotes, quorum nomine intelliguntur etiam Pastores, seu Parochi. Igitur, quod ad ordinariam eorum vocationem attinet, eadem sere in aspectari debent, quæ in vocatione Ministrorum Legis Mosaicæ. Primo: Elec-tio, seu designatio certæ personæ, quæ fit per suffragium Clericorum.

Cleri, cuius est, idoneas personas eligere ad ministerium Ecclesiasticum. Secundò: Purificatio, quæ potissimum consistit in puritate animi, in probitate vitae, in doctrina fidei, & aliis virtutibus, quas Apostolus requirit in Episcopis. Tertiò: Consecratio, seu ordinatio, quæ fieri debet ab Episcopo per manum impositionem, sicut semper in Ecclesia fuit usitatum. Quartò: Applicatio ad usum ministerii, quam nos in nova Lege vocamus Missionem. Hæc fit à Prælatis Ecclesiæ, qui Ministris jam consecratis assignant subditos, quos gubernent. Quintò: Potestas, & officium. Et quidem Episcopi habent quædam officia communia cum Sacerdotibus, ut baptizare, Eucharistiam confidere, absolvere à peccatis, Extremam Unctionem dare, Evangelium prædicare, quædam propria, ut Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, & similia.

9. Extraordinariè vocati sunt Apostoli ad prædicandum Evangelium, & Sacraenta administranda. Qui etiam, ut suprà dixi de Moyse, & Prophetis, suam vocationem multis signis, ac miraculis, toti mundo debuerunt contestari. Marc. 16. v. 20. *Prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Imò, quod amplius est, nec Christus potuit aliter persuaderè, à Deo Patre se missum esse, nisi per miracula. Habebat quidem pro se vaticinia Prophetarum, Luc. 24. v. 27. Habebat testimonium Joannis Baptiste: *Ecce Agnus DEI.* Habebat vocem Patris cœlestis: *Hic est Filius meus dilectus.* Et tamen inter tot missionis suæ præsidia, adhuc opus erat miraculus. Joan. 10. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite,* &c.

*Quòd Lutherani, & Calviniani Ministri non  
sint legitimè vocati.*

10. **H**oc primò ostendam de ipso Luthero, qui est quasi Parens omnium Ministrorum adversæ partis in præsenti. Deinde de alijs, qui illum secuti sunt, & adhuc sequuntur. Igitur de Luthero sunt

sunt discrepantes sententiae. Aliqui assertunt ordinariè vocatum a Deo, mediante potestate, & consensu Praelatorum Ecclesiæ. Alii extraordinarie a solo Deo. Alii partim ordinariè, partim extraordinarie. Ordinariè quidem, ad prædicationem Evangelii: Extraordinariè autem, ad reformationem Ecclesiæ. Hinc triplex emergit quæstio,

11. *Prima*: An Lutherus ordinariè vocatus sit? Aliqui Lutherani affirmant, quia in Ecclesia Catholica sicut legitimè ordinatus in Sacerdotem & admissus ad prædicationem Evangelii, quæ duo sufficiunt ad ordinariam vocationem. Hi supponunt, Ecclesiam Catholicam habere legitimam potestatē ordinandi veros Sacerdotes, & mittendi ad executionem ministerii. Hoc accipimus, nam inde sequitur, Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam, in qua est verum sacerdotium, & cui à Christo data est potestas ordinandi, & mittendi; Ego de Luthero sic statuo, ordinariè, & legitimè vocatum esse ad ministerium, quod exercuit in Ecclesia Catholica ante defectionem; non tamen ad ministerium, quod exercuit in Ecclesia Lutherana post defectionem. Tunc enim cœpit oppugnare Ecclesiam Catholicam, in qua antea vixerat; cœpit aliter docere, quam antea docuerat; cœpit obrogare festa, jejunia, vota monastica, orationem pro defunctis, sacrificium Missæ, quæ antea approbaverat. Hæc non potuit facere per potestatem, quam accepérat in Ecclesia Catholica; quia Episcopus non dedit illi potestatem in destructionem Ecclesiæ, in qua erat Episcopus; ergo vel non habuit talem potestatē, vel si habuit, aliunde debuit accipere. At à quo? Explicant hoc Lutherani, qui volunt ordinariam ipsius vocationem defendere.

12. *Secunda* quæstio: An Lutherus extraordinariè vocatus sit? Aliqui affirmant, quia vident ordinariam ipsius vocationem defendi non posse. Sed contra: nam qui haec tenus in veteri, vel novo Testamento extraordinariè a solo Deo vocati, & missi sunt: debuerunt suam Missionem evidenti signo, vel miraculo apud Populum comprobare, sicut fecerunt Apostoli, & Prophetæ;

phetæ; & qui id facere non potuerunt, pro falsis Prophétis, & impostoribus habiti sunt, ut supra ostensum est. At Lutherus nunquam potuit evidenti miraculo probare, se extraordinariè à solo D<sup>e</sup>o missum esse: ergo, &c.

13. Aliqui respondent, non opus esse novis miraculis: quando non adfertur nova doctrina. Lutherum non attulisse novam doctrinam, sed antiquam, & Apostolicam; ergo non fuisse necessarium, ut illam novis miraculis confirmaret. Sed frustra. Primi: quia nec Christus adferrebat novam doctrinam, quando proponebat Judæis doctrinam Moysis, & Prophetarum de Messia; & tamen ad eam populo persuadendam opus erat novis miraculis. Idem dico de Helia, Jeremia, & aliis Prophetis. Nihil novi adferebant, sed revocabant populum ab idolatria ad verum Dei cultum, qui erat antiquissimus. Secundi: Falsum est: Lutherum nihil novi attulisse. Attulit novam Ecclesiæ reformationem, ut Lutherani fatentur. Attulit nova dogmata, quæ tempore Ecclesiæ primitivæ fuerunt inaudita. Certè novum est, affirmare omnes Traditiones repudiandas esse, cùm dicat Apostolus: *Tenete Traditiones.* Novum est, duo tantum esse Sacra menta; non esse orandum pro mortuis; infantes in Exorcismo habere actum fidei; Corpus, & Sanguinem Christi esse ubique; totam Ecclesiam jam multis leculis errâsse; antiquos Patres multa falsa docuisse; Lutherum suam doctrinam habere de cœlo; liberum arbitrium esse titulum sine re. Hæc nova sunt, non Apostolica. Ad ea populo persuadenda, novis miraculis opus est.

14. Alii respondent, sufficiens miraculum esse, quod statim à principio infiniti propè homines Lutheri doctrinam amplexi sunt. Hinc etiam colligi posse, doctrinam fuisse efficacem, & à D<sup>e</sup>o inspiratam. Nihil minus. Nam etiam infiniti propè homines olim secuti sunt doctrinam Ariji. An ideo efficax fuit, & à D<sup>e</sup>O inspirata? Non certè. Nota, ex triplici capite provedere posse, quod aliquis Doctor habeat multos sedatores:

Primi:

**Primiò:** Quia doctrina ipsius est divina, & miraculis confirmata. **Secundò:** Quia grata est carni, & sanguini. **Tertiò:** Quia est subdola, & ingeniosa. Ex primo capite, Prophetæ, & Apostoli traxerunt ad se homines: Ex secundo, Lutherus. Ex tertio, Arrius, & Calvinus.


15. **Tertia** questio: An Lutherus partim ordinariè, partim extraordinariè vocatus sit? Ordinariè quidem ad prædicationem Verbi, extraordinariè vero ad reformationem Ecclesiae. Ita sentit Meisnerus Lutheranus. Sed jam ostensum, nec ordinariè, nec extraordinariè vocatum esse. Deinde hic author sibi ipsi contradicit, nam Lutherus non alio modo putavit se reformatum Ecclesiam, nisi prædicatione Verbi. Si ergo ordinariè vocatus est ad prædicandum, etiam ordinariè vocatus est ad reformatum. Aut, si ad hoc extraordinariè, etiam ad illud extraordinariè vocatus est.

16. Hæc de Luthero. Reliqui Ministri sunt duplicates: nam aliqui ante defectionem fuerunt legitime ordinati Sacerdotes in Ecclesia Catholica. *Alii* non. De prioribus idem dicendum: quod de Luthero nec ordinariè, nec extraordinariè vocatos esse. Non extraordinariè, quia nullo miraculo probare id possunt; nec ordinariè, quia, qui ordinariè vocantur in Ecclesia Catholica, non vocantur ad ministerium, quod eidem Ecclesiæ contrarium est. De posterioribus sic statuo. **Primiò:** Non esse extraordinariè vocatos à solo DEO, propter rationem sæpè allatam, quæ sumitur ex defitu miraculorum. **Secundò:** Nec ordinariè, mediante consensu, & cooperatione hominum. Quod tripliciter probo: **Primo:** Ex concessione eorum Lutheranorum, qui docent ordinariam Lutheri vocationem consistere in sacerdotio, quo in Ecclesia Catholica initiatu*s* est. Ex quo sequitur, qui tali sacerdotio initiati non sunt, ordinariè vocatos non esse. **At** Ministri, de quibus sermo est, non sunt initiati tali sacerdotio, ut supponimus; ergo nec ordinariè vocati.

17. **Deinde** ex perpetua praxi Ecclesiæ, nam à tempore Apostolorum usque ad ortum Lutheri, nullus ordinariè vocatus, & ordinatus est; nisi ab Episcopo pet-

manuum impositionem. *Actor.* 14. v. 22. & 1. *Timoth.* 4. v. 14. & 2. *Timoth.* 1. v. 6. & alibi. At Ministri, de quibus agimus, non sunt ita ordinati; ergo.

18. Denique ex consensu eorum, contra quos agimus. Nam ipsi velint, nolint, fateri debent, se non esse vocatos eo ritu, qui in Ecclesia Catholica usitatus est, sed alio longè diverso. Si ergo noster ritus legitimus est, ut fatentur Lutherani, qui defendunt ordinariam Lutheri vocationem; alterum subreptitium esse, necesse est. Aut si noster subreptitius est, quomodo Lutherus, qui nostro ritu ordinatus est, potuit legitimè vocatus esse? Dicant Lutherani,



## CAPUT XIII.

### *De Cælibatu Ministrorum Ecclesiæ.*

1. **Q**uestio est, an Ministri Ecclesiæ obligentur ad Cœlibatum? Negant Adversarii. Nos sic statuimus. **P**rimò: Sacerdotes veteris Testamenti divino jure obligatos fuisse ad continentiam, non quidem perpetuam, sed pro iis diebus, quibus in templo, vel tabernaculo ministrabant; hoc ex Scriptura, & Patribus fuse probatum est in Analogia veteris, ac novi Testamenti. cap. 7. quæst. 7.

2. **S**ecundò: Apostolos servasse perpetuam continentiam, & eandem aliis sualisse. *Marth.* 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* *Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis.* Et infra: *Omnis, qui reliquerit dominum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam eternam possidebit.* Ex quo loco constat: Apostolos reliquisse omnia, quæ habebant; ac proinde, qui habebant uxores, reliquisse illas, & servasse continentiam. Ad quam Paulus hortatur omnes, *i. Corin.* 7. v. 7. *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum.* Et ibidem: *Dico autem non nuptis, & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Nempe in statu continentiae.

3. Tertiò: Successores Apostolorum servasse etiam continentiam, cùmque postea non semel, sed potius Ecclesiastica lege præscriptam esse; & quidem dupliciter: Primò: Ut non liceret ipsis uxores ducere post susceplos Ordines. Secundò: Ut, si ante susceplos Ordines duxissent uxores, & postea suscepissent Ordines, non liceret uti uxoribus, sed deberent perpetuam servare continentiam. Hujusmodi lex constituta est prima à Concilio Illemitano, Can. 33. Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis positis in ministerio, abstinere sè à conjugibus suis. Deinde à Concilio Carthaginensi II. Can. 2. Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacra menta contrectant, pudicitia custodes etiam ab uxoribus se abstinent; ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoque custodiamus. Similia habent Siricius Papa in epistola ad Himerium Tarragonensem Episcopum, cap. 7. Innocentius I. in epistola ad Exuperium, cap. 1. Concilium Agathense Can. 9. Concilium Aurelianense 3. Can. 7. & ita deinceps.

4. Quartò: Hanc legem Ecclesiasticam de Cœlibatu semper viguisse in Ecclesia Occidentali (nisi quod in quibusdam locis particularibus aliquantulum fuerit neglecta) non tamen viguisse æquè in Orientali. Nam Græci, tametsi post susceplos Ordines non soliti sint uxores ducere; tamen, si antea duxerint, possunt Ordines suscipere, & simul uxores retinere; nec tenentur ab eorum consortio abstinere, nisi tempore vices suæ, sicuti in veteri Testamento factum est. Vide Vasquez 3. part. quest. 248. cap. 2.

5. Dices: Ecclesia non potest statuere legem, quæ certò hominum statui generatim adimat libertatem contrahendi matrimonium. Resp. Verum quidem est, quod antecedenter ante consensum explicitum, vel implicitum absolute loquendo non possit hoc facere; sed falso est, quod non possit facere eo modo, quo nunc facit; nempe sub hac conditione: ut, si quis velit esse Sacerdos, aut Episcopus, debeat servare continentiam. Nam per hujusmodi legem non cogit quem-

quam ad continentiam ; sed relinquit unicuique liberum , ut possit , si velit . amplecti statum Ecclesiasticum , cum hoc tamen onero , ut si illum amplectatur , servet Cœlibatum . Sicut nullus mercator cogere potest absolutè ad emendam mercem ; si tamen aliquis emeretur , cogere potest ad dandum pretium , & magis , si jam emerit .

## C A P U T XIV.

*De peccato originali , mortali veniali .*

1. **D**uplex est controversia : *Una* : Quid sit peccatum originale ? Adversarii docent , esse concupiscentiam , quod nos negamus . *Altera* : An peccatum mortale , & veniale ex natura sua inter se distinguantur ? Adversarii negant , afferentes : omnia peccata ex natura sua esse mortalia , nullum veniale . Nos contrà asserimus quædam ex natura sua esse mortalia , alia venialia .

## C O N C L U S I O I .

2. **P**eccatum originale , quod ex Adamo contrahimus , non est concupiscentia , seu pronitas , & inclinatio ad malum , quam nos vocamus concupiscentiam in actu primo ; sed est privatio justitiae originalis . Prior pars patet : quia quidquid habet rationem peccati , hoc tollitur per Baptismum . (*infra cap. 16.*) Concupiscentia non tollitur per Baptismum , quia baptizati sentimus in nobis pronitatem , & inclinationem ad malum , juxta illud Roman . 7. v. 23 . Video aliam legem in membris meis , repugnantem legi mentis mea . Posterior etiam patet : quia omne malum consistit in privatione alicujus boni ; sed peccatum originale est malum ; ergo consistit in privatione alicujus boni ; non autem consistit in privatione alterius boni , quam justitiae originalis , qua privati sunt posteri Adami propter ipsius transgressionem ; ergo .

3. Objiciunt Adversarii 1. apostolus concupiscentiam vocat peccatum. Rom. 6. v. 12. Non regnet peccatum in corpore vestro mortali. Resp. Nomen peccati sumitur 4. modis in Scriptura. Primi; Proprietate, pro peccato. Joan. 1. v. 29. Ecce Aenid DEI, ecce qui tollit peccatum mundi. Secundi: Impropriete, pro causa peccati. Et sic concupiscentia loco citatis vocatur peccatum, quia incitat ad peccatum. Terti; Impropriete, pro effectu, vel poena peccati. Zach. 14. v. 19. Hoc erit peccatum Aegypti, id est, poena. Quarti; Impropriete, pro sacrificio, quo expiatum peccatum. Sic Christus vocatur peccatum, 2. Corinth. 5. v. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Ubi bis ponitur nomen peccati, semel proprietate, & semel impropriete hoc sensu: Deus Pater voluit Filium suum, qui non peccaverat, esse hostiam pro peccato.

### Objiciunt secundò:

4. Quidquid non est ex Deo, peccatum est; sed concupiscentia non est ex Deo; 1. Joan. 2. v. 16. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vestra; qua non est ex Patre. Ergo. Resp. Concupiscentia, seu pronitas ad malum non est a Deo creante, sed a Deo puniente. Deus enim, quando creavit primos Parentes, creavit illos in iustitia originali, sine omni concupiscentia, seu pronitate ad malum. Quando vero primi Parentes peccarunt, tunc privavit illos iustitia originali; qua ablata, cœpit concupiscentia insurgere per modum poenæ. Gen. 3. v. 7.

### CONCLUSIO II.

5. Praeter peccata mortalia, quæ mortem animæ adserunt, & æternâ poenâ per se digna sunt, Rom. 6. 23. & Galat. 5. 21. Dantur aliqua venialia, quæ nec mortem animæ adserunt, nec æternâ poenâ digna sunt. Prov. 24. v. 16. Septies in die cadit justus. Quod intelligitur de venialibus, quæ non tollunt iustitiam, & charitatem ab homine. Sicut & illud,

Jacob. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Et confirmatur prīmū: ex illo, Luc. 6. v. 41. *Quid nides festu-*  
*gam in oculo fratris tui? trahem autem, quæ in oculo*  
*tuo est, non consideras?* Ubi peccatum mortale comparat cum trabe, quæ extinguit oculum; Veniale cum  
 felix ea, quæ leviter tantum afficit, non extinguit. Deinde ex illo, Matth. 5. v. 22. *Qui irascitur fra-*  
*tri suo, reus est iudicio;* qui dixerit fratri suo *Raca,* reus erit concilio; qui autem dixerit *Fatue,* reus erit  
*gehennæ ignis.* Ubi distinguuntur tria peccata iracun-  
 diæ, quorum tertium æternâ pœnâ dignum est; ac  
 proinde mortale, reliqua duo non item.

6. Sunt autem duplia peccata venialia: *Aliis*  
 sunt talia ex suo genere, ut verbum otiosum. *Aliis*  
 ex imperfectione operis, cujusmodi sunt partim illa,  
 quæ fiunt ex subreptione, ut subiti, & non omnino  
 deliberati motus concupiscentiæ, iræ, odii, superbie;  
 partim illa, quæ censentur venialia ex parvitate ma-  
 teriæ, ut furtum unius oboli, quod neminem nota-  
 biliter lœdit.

7. Objicitur prīmū illud Ezech. 18. v. 4. *Anima,*  
 quæ peccaverit, ipsa morietur. Et Rom. 6. v. 23. *Sti-*  
 pendium peccati mors. Utrumque generatim asseritur  
 de quovis peccato; quia nulla sit exceptio; ergo quod-  
 vis peccatum est mortale. *Resp.* Neutrum generatim  
 asseritur; nam Ezechiel expreſſè loquitur de certis tan-  
 tum peccatis; nempe de idololatria, adulterio, homi-  
 cido, usura, & rapina; quæ ex genere suo mortalia  
 sunt. Apostolus verò de immunditia, & iniquitate,  
 e. 19.

8. Objicitur secundū illud Jac. 2. v. 10. *Qui offen-*  
 dit in uno, factus est omnium reus. Ergo homo per  
 quodvis peccatum incurrit reatum æternæ mortis;  
 ergo quodvis peccatum est mortale. *Resp.* Jacobus lo-  
 quitur de peccato contra legem Decalogi, ac nomina-  
 tim de adulterio, & homicidio, quæ ex natura sua  
 mortalia sunt. Sic enim ait: *Quicunque totam legem*  
*servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium*  
*reus.* Qui enim dixit: *Non mactaberis, dixit, & non*  
occiso-

*occides. Quod si non machaberis, occides autem, factus es transgressor legis. Quali dicat: Qui committit unum peccatum mortale contra legem Decalogi, etiamsi plura non committat, reus est mortis. Sicut qui accipit unum vulnus lethale, etiamsi plura non accipiat, obnoxius est morti corporali.*

9. *Objicitur tertio: Omne peccatum offendit Deum, qui est infinita bonitas; ergo omne peccatum dignum est infinita poena; ergo mortale. Resp. Duplex est offenditio. Una gratia, quae est contra charitatem, & amicitiam; de qua loco citato: Qui offendit in uno, factus est omnian reus. Altera levis, quae non dissolvit charitatem, & amicitiam; de qua alibi: In multis offendimus omnes. Et iterum: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Itaque non omne peccatum offendit Deum tam graviter, ut dissolvat amicitiam cum Deo.*



## C A P U T XV.


### *De Libero Arbitrio.*

1. **U**sus liberi arbitrii consistit in his tribus. Primo: Ut possis agere, vel non agere. Secundo: Ut possis bene, vel male agere. Tertio: Ut ex duobus possis alterum praeter altero eligere. Eccl. 15. v. 14. Hunc usum habuit homo in statu innocentiae. Quæstio, an etiam nunc habeat? Lutherus, & Calvinus absolute negant. Sic enim scribit Lutherus in asserto artic. 36. *Liberum arbitrium est figuratum in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quidquam cogitare mali, aut boni; sed omnia sub DEO sunt, contra quem nihil possumus.* Quod & Poëta voluit, quando dixit: *Certa stant omnia lege.* Similiter Calvinus lib. 3. inst. cap. 25. s. 3. ponit hæc duo principia: *Unum: nihil fieri DEO permittente, sed quæcumque sunt,*

fieri Deo volente. Alterum: voluntatem Dei esse rerum necessitatem. Unde infert, omnia fieri necessariò, nihil libere. Lutherani hoc tempore moderatores sunt.

2. Nos utimur distinctione: Sunt enim duplices actiones hominis, de quibus disputari potest. Aliae morales, seu politicæ, quæ pendent à viribus naturæ: ut comedere, ambulare, mercari, matrimonium contrahere, bellum gerere, agros colere, litteris operam dare. Aliae supernaturales, quæ pendent à viribus gratiæ; ut credere mysteria fidei, sperare vitam æternam, diligere Deum ex toto corde. Igitur in prioribus actionibus habemus usum liberi arbitrii, ut experientia docet. Habemus etiam in posterioribus suo modo. Ut hoc intelligatur, hæc tria distinguenda sunt. Primo: Nos nihil boni operis, quod conducat ad vitam æternam, facere posse sine gratia DEI. Joan. 15. v. 5. & 2. Corintb. 3. v. 5. Secundū: Nec esse in nostra potestate, ut habeamus gratiam DEI prævenientem, qua excitemur ad bene operandum. Roman. 9. v. 6. Tertiū: Esse tamen in nostra potestate, ut, quando habemus gratiam DEI, cum illa cooperemur. Hoc tertium est, quod hic assertimus, & infra lib. 3. cap. 5. contra Galvinum demonstrabimus.

3. Objicit Lutherus illud Isaiae 41. v. 23. Bene, aut male, si potestis, facite. Unde colligit: non esse in nostra potestate, bene, vel male operari; sed nimis crassè id colligit, nam Isaías non loquitur de hominibus, sed de idolis gentium, quibus exprobaret imbecillitatem, quodd, cum Dii habeantur à stultis hominibus, non possint tamen bene, aut male facere, id est, non possint cultoribus suis prodesse, nec contemptoribus nocere. Quid hoc ad liberum arbitrium hominis extendum? Non magis, quam si dicam: idola non habent cerebrum; ergo nec Lutherus.



# CAPUT XVI.

## *De Justificatione.*

2. **M**utatio illa, qua quis ex peccatore fit justus, vocatur *justificatio*: sicut *mutatio*, qua ex *agroto* fit *sanus*, vocatur *sanatio*, & qua ex *frigido* *calidus*, *calefactio*. Est igitur *questio*, quomodo fiat hæc *mutatio*? id est, quomodo, qui *antea erat peccator*, fiat *justus*? Vel, quomodo ex *statu peccati*, & *potestate tenebrarum* transferatur in *statum gratiae*, & *adoptionis filiorum Dei*? Hoc potest explicari ex *analogia*, & *similitudine sanationis corporalis*.

2. Igitur nos sic explicamus: Sit pauper aliquis plenus scabie, ulcere, & putredine, qui Medicum audeat, ut *sanari* possit. Quid Medicus? Tria faciet: *Primo*: *Præscribet* illi quasdam *præparationes* ad *feliciorem morbi curationem*; ut *sectionem* *venæ*: vel *purgationem internam corporis*, vel *balneationem*, vel aliquid simile, prout morbus exigit. *Secundo*: *Dabit* illi *salutarem*, vel *vivificam medicinam*, qua & *vires redintegrantur*, & *pristica sanitas recuperetur*. *Tertio*: *Adjunget* *præservativum*, ne iterum in *morbum* *incidat*. Ita fit in *justificatione*, seu *sanatione animi*. Circa *sanationem peccatoris*, qui *animō æger* est, Deus tria facit. *Primo*: *Præscribit* illi quasdam *dispositiones* ad *sanandum animum*; ut *fidem*, *spem*, *timorem*, *contritionem*, *dilectionem*, & *proprietum emendandi vitam*. *Secundo*: *Infundit* illi *gratiam*, seu *justitiam inharentem*, qua & *verè peccata tolluntur*, & *animus intrinsecè renovatur*. *Tertio*: *Adjungit* *præservativum*, ut *deinceps* *insistat* *piis operibus*, & *observacioni mandatorum Dei*; ne, si aliter faciat, *amittat* *gratiam*, & *sanitatem*, quam *adeptus* est.

3. Adversarii aliter explicant in hunc modum : Sit pauper aliquis plenus scabie , ulcere , & putredine , qui à Medico sanari cupiat . Quid Medicus ? Hoc tabitur illum , ut manu apprehendat pulchrum , & elegans pallium alicujus divitis , idque corpori suo circumponat , scabiem tegat ; ac deinde magna securitate in conspectum Principis sui veniat ; quippe qui seditatem corporis tam eleganti palli obductam adverte non possit . Sic etiam in justificatione . Sit homo peccator , qui propter scelerum suorum horrorem , ac turpitudinem non audeat venire in conspectum DEI , & à Christo , tanquam Medico spirituali subsidium petat . Quid Christus ? ajunt : Offert illi suam justitiam , & satisfactionem , tanquam pretiosam culamydem . Hotatur , ut fide illam apprehendat , eaque sua flagitia , quasi velo quodam tegat , ac deinde confidenter in conspectum DEI se sistat ; à quo sine dubio innocens , ac mundus declarabitur , etiamsi revera non sit .

4. Ex hac Adversariorum sententia sequuntur hæc tria . *Primo* : In justificatione hominis peccatoris non tolli peccata . sed tantum regi , seu occultari , ne in conspectum DEI veniant . *Secundo* : Nec infundi illi gratiam , sep̄ justitiam inherenter , qua interius renoveret , & sanetur , sed solū imputari illi justitiam Christi , qua non in se , sed extra se justus appareat , etiamsi interius maneat peccator immundus , & impurus . *Tertio* : Ut autem hæc justitia illi imputetur , opus esse sola fide , quæ illam apprehendat ; & hoc sensu solam fidem justificare . Quæ omnia absurdâ sunt . Et quidem duo priora hic refutabo per duas conclusiones : tertium in sequenti capite refelletur , ubi de fide justificante agendum est .

### CONCLUSIO I.

5. IN justificatione hominis peccatoris verè tolluntur peccata , non tantum teguntur . Hoc patet ex manifestis Scripturæ testimoniosis . Joan . I . v . 29 . Ecce Agnus DEI , ecce , qui tollit peccatum mundi . Et Act . 3 . v . 19 . Pénitentia , & convertimini , ut deleantur

*tur peccata vestra. Et Hebr. 9. v. 28. Christus semel oblatus est ad multorum exaurienda peccata. Et Micheæ 7. v. 19. Proficiet in profundum maris omnia peccata nostra. Ex quibus ita concludo: Id, quod tollitur, deletur, exhaudatur, & longissime projicitur ab homine, certè non manet in homine; sed in justificatione peccatum tollitur, deletur, exhaudatur, & longissime projicitur ab homine; ergo non manet in homine.*

6. Accedit efficax ratio ex metaphoris, quibus natura, & fœditas peccatorum in Scriptura explicatur. Sunt autem tres metaphoræ. *Prima:* Qua peccata vocantur maculæ, fôrdes, inquinamenta, quibus homo maculatur, inquinatur, & fôrdidus efficitur. *Josue 22. v. 17.* & *Jerem. 2. v. 22.* & *Apocal. 22. v. 11.* & *Mattb. 15. v. 1.* *Altera:* Qua vocantur vincula, funes, & compedes, quibus homo ligatur, constringitur, & captivus detinetur. *Psalm. 115. v. 7.* & *Prov. 5. v. 22.* *Tertia:* Qua vocantur vulnera, livores, & plagæ, quibus homo sauciatur, vulneratur, & æger efficitur. *Isiae 30. v. 26.* & *Micheæ 1. v. 9.* Jam vero constat, in justificatione peccatoris, maculas ablui, vincula disfumpi, vulnera sanari. *Psalm. 50. v. 9.* *Asperges me hyssopô,* & *mundabor, lavabis me,* & *super nimem dealbabor.* Et *Ezech. 36. v. 25.* *Mundabitini ab omnibus inquitamentis vestris.* Et *1. Corinth. 6. v. 11.* *Abluti esitis, sanctificati esitis.* Et *1. Joan. 1. v. 7.* *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Et *Psalm. 115. v. 16.* *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

7. Objiciunt Adversarii illud *Psal. 31. v. 1.* *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum testa sunt peccata.* Ex quo inferunt peccata tegi, non tolli. *Resp.* Hoc posterius non rectè infertur. Nos dicimus, tegi, & tolli. Et utrumque dicit Scriptura. Quod pulchritè explicat Augustinus enarrat. *2. in Psalm. 31.* ex proportione vulnerum corporis; nam hujusmodi vulnera, inquit, duobus modis tegi possunt. *Primò:* Ab ipso vulnerato. *Secundò:* A Medico. Vulneratus tegit ea palliæ, non tollit; Medicus emplastrò tegit, & tollit.

*Idem*

Idem fit in peccatis. Tegi possunt & ab ipso peccatore, & à Dō. Peccator tegit, quando dissimulat. Deus tegit, quando infusione gratiae sanat, & tollit. Quinam ergo Beati secundū Psalmistam? Illine, quem peccata priori, an quorum posteriori modo tecta sunt? Videant Adversarii, quomodo Beati esse velint. Nos certe posteriori modo esse cupimus, ut etiam Augustinus loco citato, cùm ait: DEUS ergo tegat, non tu; nam si tu tegere volueris, erubescens. Medicus non curabit. Medicus tegat, & curet; emplastrō enim tegit. Sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus.


## CONCLUSIO II.

**D**EUS in justificatione infundit homini gratiam, seu justitiam inhārentem, qua homo interius renovatur, & sanctus, mundus, & justus efficitur. Ephes. 4. v. 26. Renovamini spiritu mentis vestrae. Et 1. Corinth. 3. v. 14. Nescitis, quia templum DEI estis. & Spiritus DEI habitat in vobis; nempe per sanitatem, justitiam, & charitatem, juxta illud: Rom. 5. v. 5. Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Porro hæc charitas sortitur varia nomina, ratione diveriorum efficiuntur. Ac primè vocatur gratia, quia nos Dō gratios, & acceptos facit. Ephes. 1. v. 6. Secundò: Vocatur justitia, quia per eam reddit homo unicuique, quod suum est; Dō cultum, & obedientiam; proximo, amorem, & obsequium; sibi ipsi, exclusionem vitiorum, & virtutum incrementa. Roman. 6. v. 18. Tertiò: Vocatur imago, & similitudo Dei. 1. Corinth. 15. v. 49. & Rom. 8. v. 29. Quartò: Vocatur pignus hæreditatis, quia videlicet sanctitas, quam in nobis Spiritus Dō operatur, certam spem futuræ hæreditatis nobis facit. 2. Corinth. 1. v. 22. Quintò: Vocatur semen Dei, quia sicut ex semine proveniunt arbores fructuosi; ita ex charitate opera fructuosa in vitam æternam. 1. Ioann. 3. v. 9. & Jean. 4. v. 14.

9. Præter hanc justitiam inhærentem, agnoscimus etiam justitiam Christi, quæ nobis imputatur; sed non eo modo, quo agnoscunt Adversarii. Nam illi putant, hominem solâ justitia Christi justum esse, nec admittunt justitiam inhærentem. Nos contra, hominem justum esse justitia inhærente, & hanc justitiam inhærentem illi dari propter justitiam Christi; id est, propter ipsius passionem, & mortem, quam pro humano genere sustinuit.

10. Multa objiciunt Adversarii pro justitia imputativa, quæ nullius momenti sunt. Primo: Illud Rom. 4. v. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium, renatur fides ejus ad justitiam.* Resp. Hoc nihil ad rem, nam aliud est, fidem, quæ in nobis est, imputari nobis ad justitiam Christi, quæ extra nos est, imputari nobis ad justitiam. Illud prius afferit Apostolus, hoc posterius non afferit.

11. Secundū: Objiciunt illud Rom. 5. v. 19. *Per unius obediētionem, justi constituentur multi.* Hinc confici putant, ipsam Christi obedientiam nostram esse justitiam, quia per illam justi constituimur. Resp. Fatalem quidem nos meritorie justos constitui per obedientiam Christi, non tamen formaliter. Et hoc sentit Apostolus; opponit enim obedientiam Christi inobedientiæ Adami; & sicut per hanc injustos, ita per illam justos constitui nos afferit. At verò per inobedientiam Adami, non formaliter, sed meritorie constituimur injusti; ergo similiter per obedientiam Christi, non formaliter, sed meritorie constituimur justi. Sicut enim Adam per suam inobedientiam meritus est posteris, ut in seipsis contraherent peccatum originale, quo in se injusti sunt, ita è contrario, Christus per suam obedientiam meritus est, ut in seipsis haberent gratiam, seu justitiam inhærentem, qua in se justi sunt. Vide August. lib. 1. de peccatis, & remiss. cap. 9. Omissio similes objectiones.



## CAPUT XVII.

*De Fide justificante.*

1. **T**ria docent Adversarii: *Primo*: Solam fidem justificare: *Secundo*: Hanc fidem justificantem in eo consistere, ut credas; peccata omnia tibi remitti propter merita Christi. *Tertio*: Distinguunt a fide historica, & miraculorum. Addunt Calvinisæ alia tria. *Primo*: Fidem justificantem donari solis prædestinatis. *Secundo*: Et semel habitam amitti non posse. *Tertio*: Et facere hominem certum, ac securum de sua iustitia, perseverantia, prædestinatione, & vita æterna. Hinc emergunt variæ quæstiones.

## QUÆSTIO I.

2. **A**n sola fides justificet: *Primo*: Certum est, fidem non justificare formaliter; quia forma, à qua homo formaliter est justus, non est fides; sed iustitia, secundum nos iustitia inhærens; secundum Adversarios, iustitia imputativa. *Secundo*: Certum est, non solam fidem justificare dispositivè, sed etiam timorem spem, charitatem, pœnitentiam. Nam sicut de fide scriptum est, Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem iustificari per fidem*. Ità de aliis Eccles. 1. v. 28. *Qui sine timore est, non poterit iustificari*. Et Prov. 28. v. 25. *Qui sperat in Domino, sanabitur*. Et 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte*. Et Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite. Et baptizetur unusquisque œstrum in remissionem peccatorum*. *Tertio*: Dubium manet, an sola fides dici possit justificare, quia sola apprehendit iustitiam Christi? Affirmant Adversarii. Ego distinguo. Verum est, solam fidem apprehendere iustitiam Christi; falsum est, nos iustificari per solam iustitiam Christi fide apprehensam, ac proinde falsum, solam fidem hoc sensu justificare.

3. Objicitur primò: Illud Rom. 3. v. 28. Arbitraurum hominem justificari per fidem sine operibus legis. Et Ephes. 2. v. 8. 9. Salvati estis per fidem, non ex operibus. Hinc colligunt Adversarii, sola fide hominem justificari, quia Apostolus opponit fidem operibus. Cum ergo dicit: hominem justificari fide sine operibus, excludit omnia opera præter fidem; ergo etiam excludit actum timoris, spei, dilectionis, & pœnitentiae. Resp. Duplicia sunt opera: alia præcedunt fidem, alia sequuntur. Priora excludit Apostolus, non posteriora. Cum ergo actus timoris, spei, dilectionis, & pœnitentiae sequantur fidem, & in fide fundati sunt, certum est, non excludi. Hanc autem esse mentem Apostoli inde constat, quia vult ostendere, nec Judeos ex nuda observatione legis Mosaicæ, nec Gentiles propter bona opera ante fidem suscep- tam patrata, justi iam a Deo consequi posuisse, aut consecutos esse, sed ex fide in Christum: fidem esse initium salutis, & justificationis; nec dari ex præceden- tibus operibus, sed esse donum Dei. Vide August. lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 7. & in Praefat. Psalmi 31. & alibi.

4. Objicitur Secundò: ex eodem Apostolo, hominem justificari gratis, ac proinde sola fide. Rom. 3. v. 24. Justificati gratis per gratiam ipsius. Resp. Justificatio di- citur gratuita, non quia sit sola fide, sed quia non me- remur illam per ulla opera sive fidei, sive fidem præ- cedentia. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 8.

5. Objicitur tertio: Scripturam solius fidei mentio- nem facere, quando ait de justificatione. & remissione peccatorum, Lucas 7. v. 50. Fides tua te salvam fecit. Et Joan. 1. v. 12. Dedit eis potestatem filios DEI fieri his, qui credunt in nomine ejus. Et Joan. 3. v. 36. Qui cre- dit in Filium, habet vitam eternam. Resp. Sicut Scrip- tura aliquando meminit solius fidei, ita aliquando meminit solius charitatis, Lucas 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

## QUÆSTIO II.

6. **A**N fides justificans in eo consistat, at quis certò credat peccata omnia sibi esse remissa propter meritum Christi? Affirmant Adversarii, sed male: *Primum*: Quia ipsi docent, nihil fide credendum esse; nisi quod habetur in Scriptura. At ibi non habetur, Lutherus aut Calvinus remissa esse peccata; ergo id fide credendum non est. *Secundum*: Quia si certò credunt, peccata sibi remissa esse, frustra orant, *Dimitte nobis debita nostra*. *Tertium*: Testimonia Scripturarum, quæ ipsi adserunt pro fide justificante, sunt hæc ferè, Matth. 9. v. 2: *Videns JESUS fidem eorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Et infra v. 22: *Confide filia, fides tua te salvam fecit*. Et Lucæ 1. v. 19: *Vade, quia fides tua te salvum fecit*. Hæc, & similis importunè nobis objiciunt Adversarii pro sola fide justificante; & tamen nullo modo intelligi debent de fide, qua quis credit, peccata sibi remissa esse, sed de fide, qua paralyticus, & alii ægroti credebant, à Christo sanari posse, ut ex contextu patet.

7. Objici potest illud ex Symbolo: *Credo remissionem peccatorum*, sed frustra; nam sensus illius articuli non est: *Credo mihi remissa esse peccata*; sed, *credo, & profiteor, in Ecclesia Catholica esse donum remissionis peccatorum, quod per Baptismum, & alia Sacramenta percipitur*. Unde, quod in Symbolo Apostolico dicitur: *Credo remissionem peccatorum*, in Constantinopolitano explicatur: *Confeitor unum Baptisma in remissionem peccatorum*. Et Catechumeni, qui ante Baptismum recidunt, & credunt totum fidei Symbolum, non jam habent, sed expectant remissionem per Baptismum obtainendam.

## QUÆSTIO III.

8. **A**N fides justificans differat à fide historica, & miraculorum? Adversarii distinguunt triplex fidem. *Unam* historicam, qua credimus nihil esse, quod à Deo fieri non possit. *Tertiam* promissam

missionum, qua credimus veras esse promissiones Dei  
de gratuita peccatorum remissione per merita Christi.  
Addunt, nos nec prima, nec secunda, sed sola tertia  
justificari. Hanc iterum ajunt duplicem esse: *Unam*  
generalem, qua generatim credimus promissam esse  
remissionem peccatorum iis omnibus, qui in Christum  
credunt. *Alteram* specialem, qua unusquisque in par-  
ticulari promissionem illam sibi applicat, credendo  
omnia peccata sibi remissa esse. Hanc specialem pro-  
priè esse illam, qua justificamur.

9. De hac triplici fide sic scribit noster Maldona-  
tus in cap. 9. Matth. *Ista triplex fides, quam isti nuper*  
*indenerunt, figmentum est, somnium est, portentum est,*  
*chimera est; Si unam haberent fidem, omnem haberent;*  
*quia triplicem habent, nullam habent.* Aptissime. Pri-  
mò: Quia fides illa specialis jam explosa est. Orendi  
enim, neminem posse certò credere, sibi remissa esse  
peccata, nisi à DEO id speciatim revelatum sit. Se-  
cundò: Falsum est, fidem miraculorum non justificare.  
Certe fides illa, de qua loquitur Christus Marci 16. v. 16.  
*Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, fides*  
*justificans est;* & tamen est fides miraculorum, ut  
patet ex verbis sequentibus: *Signa autem eos, qui cre-*  
*diderint, hæc sequentur: In nomine meo demonia ejici-*  
*cent.* Falsum quoque est, fidem historicam non ju-  
stificare. An non fides historica est, qua credimus Chri-  
stum esse crucifixum, mortuum, sepultum, descendisse  
ad inferos, resurrexisse a mortuis, & ad cœlos ascen-  
disse? Nemo dubitat. Et tamen eadem illa fides ju-  
stificans est, ut patet ex Symbolo fidei, & ex Scriptura.  
Rom. 10. v. 9. *Si in corde tuo credideris, quod DEUS*  
*illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Et I Corinth. 15.  
v. 1. *Notum facio vobis Evangelium, per quod salvamis-*  
*ti; quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris,*  
*& quia sepultus est, & quia resurrexit tertia*  
*die, &c.*

## QUÆSTIO IV.

10. **A**N fides detur solis prædestinatis? Affirmat Calvinus lib. 3. Inst. cap. 21. s. 10. Sed falso; nam etiam Judas proditor, & Simon Magus, & Nicolaus Antiochenus aliquando crediderunt, & tamen non erant prædestinati. De Juda constat, Joan. 6. v. 71. Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus es? De Simone, Act. 8. v. 12. 13. Cum verò credidissent Philippo evangelizanti de regno DEI, & in nomine JESU Christi baptizabantur viri, ac mulieres, tunc Simon, & ipse credidit: & cum baptizatus esset, adhuc rebatur Philippo. De Nicolao, Act. 6. v. 3. 5. Considerate viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia. Et elegerunt Stephanum, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum.

## QUÆSTIO V.

11. **A**N fides amitti possit? Calvinus lib. 3. cap. 2. s. 11. afferit. amitti non posse. Sed aperte contra Apostolum 1. Timoth. 1. v. 19. Quidam circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymeneus, & Alexander. Et cap. 4. v. 1. In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris. Et ratio est, quia si fides amitti non potest, unde tot sunt hæretici in mundo? Oportet hæreses esse, inquit Apostolus. Hoc autem interest inter hæreticos, & paganos? quod hi fidem nunquam habuerunt; illi habuerunt, & amiserunt. Et jam ante ostendi, Simonem Magum, & Nicolaum Antiochenum habuisse fidem, qui tamen postea hæretici facti sunt.

## QUÆSTIO VI.

12. **A**N fides faciat hominem certum de sua justitia, perseverantia, & prædestinatione? Affirmat Calvinus in Antidoto Concil. Trident. Seff. 6. cap. 10. 13. & 14. Et aperte sequitur ex iipius funda-

damentis, quæ hæc sunt. *Primum*: Fidem dari solis prædestinatis. *Secundum*: Eam non amitti. *Tertiū*: Sola fide hominem justificari. *Quartum*: Qui fidem habet, certum esse de sua fide. Hinc sequitur: si is, qui fidem habet, certus est de sua fide, certum quoque esse de sua justitia, quia sola fides justificat, certum de sua perseverantia, quia fides justificans non amittitur; certum de sua prædestinatione, quia fides datur solis prædestinatis. Hæc Calvini opinio refellitur ex iisdem principiis, quibus innicitur. Nam tria priora manifeste falsa sunt, ut probatum est. *Quartum vero*, sive verum, sive falsum sit, nihil ad rem facit. Nam, et si is, qui fidem habet, certus esset de sua fide, non tamen certus esset de sua justitia, si sola fides non justificat; nec certus de perseverantia, si fides amitti potest; nec certus de prædestinatione, si fides communis est reprobis, & prædestinatis.



## C A P U T XVIII.

### *De Observatione Legis.*

**I.** **C**ontroversia est, an homo justus in hac vita, non quidem suis viribus, sed cum auxilio diuinæ gratiæ, possit observare legem Decalogi; Affirmant Catholici, negant Adversarii; quia nec illud præceptum, *Non concupiscas nec illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, nec reliqua servari possunt.* Hinc inferunt justum non obligari ad servandam legem: tum, quia servari non potest, tum quia Christus liberavit illum ab observatione legis; I. Timoth. 1, v. 9. *Justo non est lex posita.* Et Galat. 3, v. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis.*

## CONCLUSIO I.

2. **I**llud præceptum. *Non concupisces*, servari potest in hac vita ab homine justo, cum auxilio divinitatis gratiae. Ratio est, quia illo præcepto non prohibetur motus concupiscentiae indeliberatus, seu consensum præveniens, sed ipse consensus, qui est in nostra potestate. Hoc constat ex Scriptura. Quod enim uno loco ait: *Non concupisces*, alibi explicat Eccl. 5. v. 2. *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.* Et cap. 18. v. 30. *Post concupiscentias tuas non eas.* Et Roman. 6. v. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Unde August. libr. 1. de Nuptiis & concupiscentiis. *Concupiscentia*, inquit, *in renatis non est peccatum, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Et lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Aliud est habere mala desideria carnis, aliud tradi eis consentiendo.*

3. Dices, in duobus illis præceptis Decalogi. *Non mæchaberis*, & *Non furtum facies*, prohibetur consensus in concupiscentiam uxoris, & rei alienæ: Ergo in hoc præcepto, quod in eodem Decalogo sequitur. *Non concupisces*; prohibetur motus concupiscentiae sine consensu; alioqui idem bis prohibetur. Resp. In duabus prioribus prohibetur adulterium, & furtum, quod externo opere committitur; in alio, quod solo consensu perficitur. Volut enim Deus significare, non solum peccari externo opere, sed etiam interno consensu, ut explicat Christus. Matth. 5. v. 28.

## CONCLUSIO II.

4. **E**tiam illud præceptum. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, servari potest.* Certe David, & alii servarunt. Psalm. 115. v. 10. *In toto corde meo exquisivi te.* Et 3. Reg. 14. v. 5. *Non fuisti sicut seruos meus David, qui custodivit manus meas,* & *secutus est me in toto corde suo.* Et 4. Reg. 23. v. 25. de Josia. *Similis illi non fuit ante eum Rex qui*

qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moyis. Idem dici potest de Abrahamo, Moyse, Samuele, Elia, Jeremia, & aliis Prophetis, Idem de B. Virgine, Apostolis. Stephano, Timotheo, Tito, & multis aliis, de quibus prædictum est Deut. 30. v. 6. Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas eum in toto corde, & in tota anima, ut possis vivere.

5. Dices, Diligere DEUM ex toto corde, nihil aliud est, quam totum cor nostrum quantum est, in eo solo diligendo occupari. Hoc autem in hac vita fieri non potest. Resp. Alius est sensus illius præcepti, nimis: ut diligamus DEUM ex toto corde, id est, ut diligamus eum super omnia; ut præferamus illum rebus aliis; ut nullius rei amorem DEI amori anteponamus; ut nullius creaturæ amore vel timore veniamus DEUM offendere, & ab illius amore recedere. Hic verus, ac germanus sensus est. Hunc expressit Apostolus Rom. 8. v. 39. Nulla creatura poterit nos separare à charitate DEI. Et Christus Matth. 10. v. 37. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.

### CONCLUSIO III.

6. Tota lex Decalogi servari potest ab homine iusto. Primo: Quia si duo præcepta, quæ videbantur omnium difficultissima, servari possunt, cur non etiam reliqua? Secundo: Qui diligit DEUM ex toto corde, præsert illum omnibus creaturis, nec intuitu ullius creaturæ vult illum offendere: Ergo servat omnia illius præcepta, quia si vel unum non servaret, jam illum offenderet. At homo justus potest illum diligere ex toto corde, ut probatum est: Ergo potest omnia illius præcepta servare. Imo si propriè loquamur, hæc duo, amare DEUM ex toto corde, & mandata DEI custodire; vel re ipsa idem sunt, vel certe alterum cum altero necessariò connexum; fieri enim non potest, ut quis diligit DEUM ex toto corde,

& non servet omnia ejus præcepta. Hinc in Scriptura ferè semper conjunguntur, ut Exod. 20. v. 6. Deut. 10. v. 12. 13. Iosue 22. v. 5. Joan. 15. v. 10. & alibi.

7 Objici solet illud Actor. 15. v. 10. Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Resp. Apostolus ibi non loquitur de lege Decalogi, de qua hic disputamus, sed tantum de cæremoniali Pharisæorum cæremoniis aggravata. Contendit enim Christianos non esse obligandos ad circumcisio[n]em, & similes cæremonias Judaicas, applici ex causa. Primo: Quod sint jugum grave, & importabile. Secundò: Quod sint ini[us]iles ad justificationem. Non intelligit autem jugum absolute importabile, sed quod aegrè, ac difficulter portari possit. Nam si omnino portari non potuiss[et], falsum esset, quod scriptum est de Zacharia, & Elisabeth Lucæ 1. v. 6. Erant ambo justi ante DEUM incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.

## CONCLUSIO IV.

s. **H**omo justus non est liber ab obligatione legis Decalogi, ut fingunt Adversarii. Nam Christus expressè dicit Matth. 11. v. 29. Tollite jugum meum super vos. Et cap. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et Joan. 15. v. 14. Vos amici mei estis, si saceritis, quæ ego præcipio vobis. Et Apost. Jac. 2. v. 5. Si tamen legem perficitis regalem. An hic dicent Adversarii, Non tollimus jugum tuum super nos, quia importabile est. Volumus ad vitam ingredi, sed per solam fidem, non per observationem mandatorum. Sumus amici tui, etiam si non facimus quod præcipis. Nolumus perficere legem regalem, &c. Hoc planè novum Evangelium.

9. Objicitur illud Galath. 3. v. 13. Christus nos redemit de maledicto legis. Resp. Aliud est, Christum liberasse nos ab observatione legis, quod meritò negamus: aliud redemisse nos de maledicto legis, quod cum

eum Apostolo assertimus. Nam per sua merita obtinuit nobis gratiam, per quam possumus legem implere, & maledictionem evadere.

10. Objicitur & illud 1. Tim. 1. v. 9. *justo non est lex posita, sed iustis, & non subditis.* Resp. Duplex est vis, & potestas legis, ut recte docet D. Thom. in 1. 2. quæst. 96. art. 5. & alii passim. Una: Directiva. Altera: Coactiva. Lex ergo posita est omnibus, tam iustis; quam iustis, quoad vim directivam; quia scilicet dirigit, & prescribit omnibus, quid agere, vel non agere debeant. At quoad vim coactivam resistentium non est posita iustis, sed tantum impiis; quia iusti sponte, libenter, & alacriter ex instinctu charitatis faciunt ea, quæ à lege prescribuntur; nec opus eos est cogere ad legis observationem. Impii contraria, sœpè recalcitrant, & à legis obedientia se subducunt, ideoque quodammodo cogi ad obsequium debent.



## C A P U T X I X.

### *De Merito honorum operum.*

1. **Q**uestio est: An homo justus cum gratia DEI possit facere bona opera, quæ apud DEUM meritoria sint vitæ æternæ? Negant Adversarii, quia putant peccatum originale manere in hominibus iustis, & ejus contagione infici, & contaminari omnia ipsorum opera, ita ut potius mortem mereantur, quam vitam æternam. Vide. *Calvinum* l. 2. *Institut. cap. 1. §. 9.* Et l. 3. cap. 15. §. 1. Nos contraria assertimus. Primo: Quædam justorum opera esse bona, honesta, & DEO grata. Secundo: Eadem esse meritoria vitæ æternæ.

2. Prior pars assertionis probatur ex contrario fundamento. Nam ex fide certum est, omnia peccata tolli in justificatione, & infundi gratiam seu justitiam inhærentem, quæ facit hominem DEO gratum, justum,

& sanctum, ut cap. 6. probatum est. Unde sequitur, sicut ab homine injusto procedunt opera mala, ita à justo procedere bona, & Dzo grata. Quo spectat illud Christi, Matth. 7. v. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere. Et Joan. 15. v. 5. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert frumentum multum. Hinc colligo duo argumenta. Unum: Arbor bona non potest facere malos fructus: sed homo justus est arbor bona. Psalm. 91. v. 13. ergo homo justus, non potest facere malos fructus. Alterum: Omnis palma, qui est in secunda vite potest facere bonum fructum: sed Apostoli erant palmites in Christo, tanquam in secunda vita; Ergo poterant facere bonum fructum. Idem est de aliis.

3. Objicitur 1. illud Isaï. 64. v. 6. Et facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata universa justitia nostra. Resp. Non loquitur Propheta de justis, sed de impiis, nec de omnibus, sed tantum de Judæis; nee de omnibus illorum operibus, sed solum de sacrificiis, & neomeniis, in quibus illi maximè suam justitiam collocabant; quæ tamen Deus execrabatur, juxta illud Isaiae 1. v. 13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatione est mihi, &c.

4. Deinde objicitur illud Eccles. 7. v. 21. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Resp. Hoc non debet intelligi de peccatis mortalibus, quia de illis scriptum est. I. Joan. 3. v. 9. Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, sed de venialibus juxta illud Prov. 24. v. 16. Septies in die cendet justus, & resurget. Et Jacob. 3. v. 2. In multis offendimus omnes.

5. Posterior pars probatur, quia vita æterna in Scripturis vocatur merces, seu præmium bonorum opere, Matthæi 5. v. 12. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis. Et cap. 20. v. 8. Voca operarios, & reddite illis mercedem. Et Rom. 2. v. 6. 7. DEUS reddet unicuique secundum opera ejus: siis quidem, qui secundum patientiam bons operis, gloriam,

siam, & honorem, & incorruptionem quarunt, vitam aeternam &c. Et 1. Corinth. 3. v. 8. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et Galat. 6. v. 8. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Et 2. Timoth. 4. v. 7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitia.

### Objec<sup>tio</sup> I.

**V**ita aeterna est hereditas: sed hereditas debetur filiis, non ex merito, sed ex iure: Ergo &c. Resp. Est hereditas, respectu infantium, qui cum Baptismo moriuntur. Est hereditas, & merces simul respectu adulorum, juxta illud Coloss. 3. v. 23. Quocunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes quod à Domino accipietis retributionem hereditatis. Nec hoc mirum videri debet. Primo: Quia adulti non sunt filii Dei per naturam, sed per adoptionem. Deus autem adoptavit illos cum hac conditione, ut non adirent hereditatem, nisi vellent mandatis Dei obtemperare, & obtemperando hereditatem promereri. Deinde, simile est de Christo. Nam iure hereditatis (supposita unione hypostatica) debebatur illi gloria corporis, & exaltatio nominis; & tamen suis meritis eam obtinuit, Philip. 2. v. 8.

### Objec<sup>tio</sup> II.

**S**criptura dicit, nos esse servos inutiles, Lucæ 17. v. 10. Cum feceritis omnia, quæ praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus. Quid ergo meremur? Nihil. Resp. Hinc appareat, quomodo adversarii abutantur Scripturis. Paulò ante objecserant, nos esse filios, & vitam aeternam deberi nobis titulò hereditatis sine ullo nostro labore. Nunc obsecunt, nos esse servos inutiles, quibus nihil debeatur. Nimis: hoc ajunt, ut veritatem oppugnent, quocunque modo id fiet. Deinde, quare ex ipsis, an Christus vocet illos servos inutiles, qui servant omnia

præcepta, an eos, qui non servant? Si prius, ergo servi DEI possunt omnia præcepta servare; quod est contra adversarios. Si posterius, nihil contra nos concluditur. Fatemur enim eos, qui non servant præcepta, servos esse inutiles, & non mereri vitam æternam; cujusmodi sunt Lutherani, & Calvinistæ.

8. Sed ad rem: verba Christi possunt habere triclinem sensum. *Primus* est, nos ex nobis esse servos inutiles; quia tametsi faciamus omnia, quæ præcepta sunt, non tamen nostris viribus, sed gratiâ DEI facimus. Ita explicat Ambros. lib. 4. in Lucam. Unde dupl citer possumus nos ipsos considerare. *Primo*: Quoad nostras vires, quatenus ex Adamo nascimur; & ita sumus servi inutiles. *Secundo*: Quoad cooperationem divinæ gratiæ, quatenus in Christo renascimur; & ita sumus servi utiles, 2. Tim. 2. v. 21.

9. *Secundus* sensus est, nos esse servos inutiles respectu DEI, etiamsi omnia præcepta servemus; quia nullam utilitatem DEO præstamus, nec ipsa bonorum nostrorum indiget. Ita exponit Beda in *Commentario*. Hinc etiam patet, nos posse vocari servos utiles, & inutiles. Utiles respectu nostri; quia quidquid boni facimus per observationem mandatorum, cedit in nostrum commodum, & utilitatem: nobis servimus, & meritis. Inutiles respectu DEI: quia nihil utilitatis illi accedit ex nostro labore, & industria.

10. *Tertius* sensus est, nos esse servos inutiles, etiamsi omnia præcepta exequamur; quia nisi DEUS liberali pacto nobiscum convenire voluisse, nullam mercedem ex justitia potuissimus à DEO petere. Ita exponit Augustinus serm. 3. de verbis Domini. Unde rursus appetit, quomodo dicamur utiles, & quomodo inutiles. Nam quidquid facimus, inutiles sumus ad mercedem vitæ æternæ, seclusi divinò pacto, & promissione. Utiles interveniente pacto, & promissione.

11. Ex his sensibus eligant Adversarii, quem ve-  
lint, & facile advertent, se nihil contra merita bonorum operum efficere. Hoc minor, cum tam diligenter inquirant testimonia Scripturaræ, quibus vocamur servi

servi inutiles, cur dissimulent ea, quibus vocamur utilles. Matth. 25. v. 23. Euge serue bone, & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

### Objec<sup>tio</sup> III.

12. **A**postolus ait Rom. 8. v. 18. Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Unde sequitur, nullam esse proportionem inter nostra opera, & vitam æternam. At inter meritum, & præmium debet esse proportio. Re<sup>p</sup>. Idem Apostolus ait 2. Thessal. 1. v. 5. Ut digni habeamini regnō DEI, pro quo & patimini. Ubi videtur agnoscere proportionem. Igitur explicandum est quomodo, utrumque verum sit. Ac primū: Si sp̄ctemus durationem temporis, nulla est proportio inter opera præsentia, & futuram gloriam. Nam hæc æterna est; illa momentanea sunt. Si vero sp̄ctemus gratiam, à qua procedunt opera meritoria, jam inter illa, & gloriam cœlestem est proportio; quia gratia est semen gloriae, ut loquuntur Theologi. Sicut ergo sufficiens est proportio inter semen, & arborem; ita inter gratiam, & gloriam. Quod autem hæc proportio sufficiat, licet nulla sit proportio durationis, patet ex illo 2. Corinth. 4. v. 17. Id, quod in præsenti est momentaneum, & leva tribulationis nostra, aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Hic utrumque, quod diximus, fatetur Apostolus. Primum: Quod opera nostra sunt momentanea; gloria vero æterna. Alterum: Quod nihilominus opera momentanea operentur, seu mereantur æternam gloriam. Hæc autem vis merendi est à gratia.



## C A P U T X X.


### De Jejunio, & abstinentia.

1. **N**os in Ecclesia Catholica solemus servare varia jejunia, præsertim jejunium Quadragesima, Quatuor temporum, Vigiliarum, & abstinentiam.

etiam à carnis feriâ sextâ, & Sabbathô. Idque propter præceptum Ecclesiæ, quod antiquissima consuetudine introductum est. Sicut enim in veteri Testamento sœpe indicata sunt jejunia, ac nominatim à Rege Saule. 1. Reg. 14. v. 24. & a Josaphat, 2. Paralip. 20. v. 3. & a Rege Niniotarum, Jona 3. v. 5. & ab Esdra, 1. Esdr. 8. v. 21. & ab Espher, Esth. 4. v. 16. Sic etiam statuit Ecclesia, ut Christiani certis anni temporibus jejunarent; tum ad Deum placandum, tum ad exercitium temperantiae, & obedientiae. Quod futurum prædictit Christus, Matth. 9. v. 15. Venient autem dies, cum auferentur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.

2. Adversarii contemnunt præceptum Ecclesiæ, & hoc solum faciendum ajunt. quod a Deo præcipitur. Jejunium autem non præcepit a Deo. Mirantes! Urgent præceptum Dei, & illud ipsum contemnunt. Deus præcipit, ut audiamus Ecclesiam, & illi obtemperemus; Adversarii non volunt. Audiant taltem, quid fecerint Rechabitæ, quibus à parente suo Jonadab mandatum fuit, ut & ipsi, & uxores eorum, & omnes posteri perpetuò abstinerent a vino. Non objecerunt, quod nostri Adversarii objiciunt, nihil faciendum esse, nisi quod Deus præcipit; sed dixerunt: Non bibemus vinum quia Jonadab filius Rechab, pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum, vos, & filii vestri in sempiternum. Et propterea a Deo laudati sunt, & peculiariter benedictione affecti; verba benedictionis sunt hæc: Non deficiet vir de stirpe vestra, stans in conspectu meo cunctis diebus. Jerem. 35. Hinc discant Adversarii, Catholicos non minus rectè, ac laudabiliter facere servando præceptum Ecclesiæ, quam Rechabitæ fecerunt servando præceptum parentis sui Jonadab. Non enim minus laudabile est, obedire communi matri Ecclesiæ, quam obedire privato homini.






# LIBER SECUNDUS.

*De Controversiis Lutheranorum.*

**T**ria sunt propria dogmata Lutheranae religio-  
nis. *Primum*: Quod Corpus, & Sanguis  
Christi sit ubique. Hinc vocantur Ubiquitas  
seu Ubiquetarii. *Alterum*: Quod infantes,  
dum baptizantur, habeant internum actum fidei, quo  
credant in Christum. *Tertium*: Quod in Eucharistia  
maneat substantia panis, & vini cum substantia Corpo-  
ris, & Sanguinis Christi. De quibus hoc libro dispu-  
tandum est.



## C A P U T I.

*De Ubiquitate.*

1. Lutherani docent, Christum secundum humani-  
tatem esse ubique, in celo, in terra, in infer-  
no: in pane, vino, cerevisia, lacte, oleribus,  
carnibus: in culina, macello, foro. Discrepant tamen  
inter se. Nam aliqui dicunt, illum esse ubique ab in-  
stanti conceptionis: alii post Resurrectionem; alii post  
Ascensionem: alii post sessionem ad dexteram Dei  
Patris.

2. Sed errant; quia constat ex Evangelio, Chri-  
stum, cum in terris esset, non fuisse ubique. Marc. 16.  
v. 6. *Iesum queritis Nazarenum, crucifixum, surrexit,*  
*non est hic.* Et Joan. 6. v. 24. *Cum vidisset turba, quod*  
*Iesus non esset ibi.* Similiter constat, scepere locum mu-  
tasse. Ac primò fuisse in utero materno: deinde extra  
uterum in stabulo: mox in Aegypto: iterum ex Aegy-  
pto rediisse in Nazareth, & sic deinceps. Quæ omnia  
de.

declarant, non fuisse ubique. Nam si secundum huma-  
nitatem fuisse ubique, non potuisset de loco in locum  
migrare, sicut nec Deus, quia secundum divinitatem  
ubique est, de loco in locum migrare potest.

3. Dupliciter respondent Lutherani. Aliqui dicunt,  
non fuisse ubique localiter, & visibiliter; fuisse tamen  
ubique illocaliter, & invisibiliter. Sed frustra. Primi:  
Quia inde sequitur, Corpus, & Sanguinem Christi, in  
instanti conceptionis fuisse localiter in utero materno,  
& illocaliter in toto mundo, ac proinde Christum in ute-  
ro conceptum fuisse localiter, & in toto mundo illocali-  
ter. Imò dupli modo passum esse in cruce, semel vi-  
sibiliter, & localiter, & semel invisibiliter, & illocaliter.  
Nam si eo tempore, quo fuit visibiliter, & localiter in  
cruce, fuit ubique invisibiliter, & illocaliter, necesse est,  
fuisse etiam in cruce invisibiliter, & illocaliter. Quæ  
omnia inaudita, & absurdâ sunt.

4. Deinde distinctio illa non habet locum in anima  
Christi, quando in triduo mortis fuit separata à Corpore.  
Tunc enim nusquam fuit localiter, & visibiliter, sed  
ubicunque tunc fuit, ibi fuit illocaliter, & invisibiliter.  
At certum est, non fuisse tunc ubique, quia quando de-  
seruit corpus, & descendit ad inferos, non mansit in  
corpore. Et similiter, quando ab inferis rediit ad cor-  
pus, non mansit apud inferos. Non ergo fuit ubique.  
Si enim invisibiliter, & illocaliter discessit à corpore, non  
potuit invisibiliter, & illocaliter manere in corpore. Et  
tutum, si invisibiliter, & illocaliter rediit ad corpus, non  
potuit invisibiliter, & illocaliter manere apud inferos.

5. Denique hæc distinctio non solvit difficultatem,  
quæ sumitur ex motu locali. Nam si humanitas Chris-  
ti secundum substantiam suam est ubique, certum est,  
quod secundum substantiam non possit de loco in locum  
migrare. Substantia enim, quæ ubique est, locum mu-  
tare non potest. Nec satis est dicere, non posse locum  
mutare, quatenus ubique est invisibiliter, & illocaliter;  
posse tamen, quatenus alicubi est visibiliter, & locali-  
ter. Non enim disputo de modis, & accidentibus hu-  
manitatis Christi, cujusmodi sunt, esse visibile, vel in-

visibile; esse locale, vel illocale; sed de ipsa substantia. Nam haec si reipsa ubique est, non potest reipsa moveri de loco in locum: quod manifeste patet in substantia Domini, quae cum reipsa sic ubique, nullo modo nec visibiliter, nec invisibiliter potest de loco migrare in locum.

6. Alii ergo respondent, Christum non fuisse ubique tempore suæ mortalitatis, & hoc bene hactenus probatum esse; nihilominus cœpisse esse ubique post resurrectionem. Hæc etiam responsio non valet. Primi: Quia constat ipsum post resurrectionem ascendisse ad cœlos, ac proinde locum matasse. Similiter in die judicii venturum ex cœlo ad nos, & sic iterum locum mutaturum. Secundi: Quia plerique Lutherani docent, humanitatem Christi esse ubiques vel vi unionis hypostaticæ, vel per realem communicationem divinæ immensitatis, seu omnipräsentiae, quam ajunt factam esse instanti unionis hypostaticæ. Si ergo nunc est ubique, necesse est, fuisse ubique ab instanti conceptionis, tunc enim hypostaticè unita fuit personæ Verbi; & tunc vi istius unionis, ut Lutherani contendunt, communicata est illi immensitas divinitatis. Est autem impossibile, communicari alicui omnipräsentiam, seu immensitatem, & non esse omnipräsentem: sicut impossibile est, communicari alicui albedinem, & non esse album.

### *Objectiones Lutheranorum.*

7. **P**rima: Quando duæ res inter se unitæ sunt, tunc ubi est una, necesse est, & alteram esse: At humanitas Christi unita est Personæ Verbi, ergo ubi est Persona Verbi, ibi est humanitas Christi. Jam vero Persona Verbi est ubique: ergo & humanitas Christi est ubique. **R**esp. Quando duæ res totaliter, & adæquate inter se unitæ sunt, tunc ubi est una, ibi est altera; quando autem non totaliter, & adæquate unitæ sunt, tunc una potest esse alicubi, ubi altera non est. **P**riori modo uniuntur superficies chartæ, & albedo; materia, & forma Solis; materia, & forma aquæ; intellectus, & voluntas Angeli. **P**osteriori caput hominis, & anima; Sol, & orbis solaris; clavus, & rota; humanitas Christi, & Persona Verbi.

Ob.

*Objectione I.*

**S**ecunda: Per unionem hypostaticam non solum Persona, & divinitas Verbi; sed etiam attributa divinitatis, omnipotentia, omnipresentia, & omniscientia communicata sunt humanitati Christi: Ergo humanitas per communicatam sibi omnipresentiam facta est ubique praesens, & sic de aliis. Antecedens patet ex illo Coloss. 2. v. 9. *In ipso, id est in Christo, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* At plenitudo divinitatis complectitur omnia attributa divina: Item ex illo Matth. 11. v. 27. *Omnia mibi tradita sunt a Patre meo.* Si omnia, ergo etiam omnipresentia. *Resp.* Tripliciter intelligi potest. quod attributa divina communicata sint humanitati Christi. *Primum:* Quod communicata sine illi, non in se, sed in Persona Verbi. Sic verum est. Nam humanitati datum est, ut subsistat in persona Verbi, quae est omnipotens, omniscia, ubique praesens. *Secundum:* Quod communicata sint illi, etiam in seipso: non tamen proxime, immediate, & formaliter; sed mediate, consequenter, & identice. Sic etiam verum est. Nam sola subsistentia Verbi proxime, immediate, & formaliter communicata est humanitati in se, & per illam proxime, immediate, & formaliter subsistit humanitas. Sed quia illa subsistentia re ipsa idem est cum essentia, & attributis divinis, ideo consequenter, & identice, essentia, & attributa divina communicata sunt humanitati: non ut humanitas per illa sit omnipotens, omniscia, & ubique praesens; sed ut per illa, quatenus identificantur cum subsistentia, subsistat. *Tertium:* Quod communicata sint ipsi humanitati in se proxime, immediate, & formaliter, sicut subsistentia illi communicata est, ac proinde sicut recte dicitur, humanitatem Christi subsistere subsistentiam divinam; sic etiam recte dici, omnipotentem esse omnidentiam divinam, & ubique presentem omnipresentiam divinam; Sic intelligunt Lutherani: & hoc sensu nos illos impugnamus. Nam si illa tria attributa divina hoc modo communicata essent humanitati, etiam haec res essent

essent communicata netape. Esse actum purum, esse aeternum, esse independentem, cum sit per ratio omnium, & testimonia Scripturarum a Lutheranis allata, neque de omnibus intelligi possint. At haec tria posteriora non sunt communicata humanitati in se proxime, & formaliter: Ergo nec illa tria priora. Minor patet, quia humanitas non est in se formaliter actus purus, cum sit ens in se compositum: Nec in se est ab aeterno, cum sit creata in tempore: Nec est independens, cum dependeat a Deo.

### Obiectio II.

**I**llud autem Apostoli, quod objicitur a Lutheranis;  
*In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: non intelligitur de humanitate Christi, de qua hic disputamus; sed de ipso Christo. Cum enim Christus sit verus Deus, & verus homo; necesse est, ut sicut in eo est plenitudo humanitatis, sic etiam sit plenitudo divinitatis.

Vel quod idem est, sicut in eo est natura humana cum suis proprietatibus, & attributis; sic etiam sit natura divina cum suis proprietatibus, & attributis. Similiter illud: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: dictum est de Christo, non de humanitate Christi.* Poteat autem dupliciter intelligi. Primo: Quod omnia sunt illi tradita per aeternam generationem. Et sic non est ad propositum. Secundo: Quod omnia sunt illi tradita per unionem hypostaticam: non tamen in ipsa humanitate, sed in persona Verbi.

### Obiectio III.

**A**postolus disertè ait: Christum post Ascensionem fuisse ubique, seu implevisse omnia loca;  
*Eph. 4. v. 10. Ipse est, qui ascendit supra omnes caelos, ut impleret omnia.* Resp. Sensus est, Christum prius descendisse ad inferos, ac deinde per aeternam ascendisse supra omnes caelos, ut omnia loca, infinita, media, summa, successivè impleret per suam præsentiam, gloriam, victoriam, triumphum: Et sic caperet possessionem sui

imperii in omnes creaturas; & tanquam Rex solenni pompa inauguraretur. Unde S. Bern. serm. i. de Ascens. Domini ait: *Jam enim cum se Dominum universorum, quae sunt in terra, & in mari, & in inferno, probasset, non restabat, nisi ut aëris, & calorum se esse Dominum approbaret.*

### Objectio IV.

11. **C**hristus secundum humanitatem sedet ad dexteram Dei, Coloss. 3. v. 1. & Hebr. 1. v. 13. sed dextra Dei est ubique: ergo Christus secundum humanitatem est ubique. *Resp.* Sensus est, Christum sedere ad dexteram Dei, est æqualem esse Deo in potentia, gloria, & maiestate: non quod hæc æqualitas data sit Christo homini in humanitate, sed in Persona Verbi. Non enim sacram est, ut humanitas in se ipsa sit æqualis Deo in potentia, gloria, & maiestate; sed ut sit humanitas Personæ verbi, quæ habet æqualem potentiam, gloriam, & maiestatem cum Persona Patris. *Dices,* hoc factum est in instanti Incarnationis, quando humanitas Christi unita fuit Personæ Verbi. Apostolus autem loquitur de sessione ad dexteram Dei Patris, quæ contigit post Ascensionem. *Resp.* In illa sessione duo spectari debent. *Primo:* Äqualitas Christi cum Deo Patre. Hæc illi data est in instanti Incarnationis. *Secundo:* Manifestatio illius æqualitatis. Hæc facta est in Ascensione; quando Christus, tanquam victor, & triumphator cum solemní pompa ascendit ad cœlum, & cœpit agnosciri, ac honorari tanquam Deus. Phil. 2. v. 9.

### Objectio V.

12. **C**hristus ait Matth. 18. v. 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et cap. 28. v. 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* *Resp.* Christus non loquitur de præsentia corporali, sed de præsentia per suam gratiam, & directionem.

CA-

## C A P U T II.

*De Fide infantium.*

**D**icam **Primo**: Quid tentiat Lutherus. **Secundo**: Quid Lutherani. **Tertio**: Quid Catholici. **Quarto**: Solyam objections Lutheri, & Lutheranorum. Igitur Lutherus docet: infantes habere fidem actualem, qua credant in Christum, & per quam justificantur. Hanc autem fidem gigni in infantibus, partim vi Exorcismi, partim orationibus Ecclesiae, quae adhibentur in exorcismo, (libro contra armatum virum Cochlearum) Sed facile refellitur. **Primo**: Quia præter Lutherum nemo hoc docet. **Secundo**: Nullum habet fundatum in Scriptura, in qua nulla sit mentio Exorcismi. **Tertio**: Multa absurdâ inde sequuntur. **Primo**: Infantes exorcizatos, si moriantur ante baptismum, tamen vari posse per fidem in Exorcismo acceptam, ac proinde baptismum non esse necessarium. Nam ut loco citato Lutherus ait: *Baptismus sine fide non justificat: fides autem sine Baptismo justificat.* **Secundo**: Exorcismum magis esse necessarium ad salutem, quam baptismum, quia Exorcismus confert fidem justificantem, quam Baptismus non confert. **Tertio**: Nos habere aliquod medium necessarium ad salutem ex sola Traditione, nempe Exorcismum, quod Lutherani censem ablurdum esse.

**2.** Hæc de Luthero. Lutherani in tres sectas divisi sunt. Aliqui docent cum Luthero, infantes habere fidem, qua credunt in Christum, ut Leonardus Hutterus in Compendio locorum Theologiae cap. 20. de Baptismo quæst. II. Alii, habere pios quosdam motus, seu inclinationes in Deum, ut Philippus in locis anni 1558. titulo de Baptismo parvolorum. Alii, habere utrumque, & veram fidem, qua credunt in Christum, & pios motus, seu inclinationes in Deum, ut David Cythæus in Catechesi anni 1589. cap. 7. de Baptismo. Omnes tamen dissentunt a Luthero in eo, quod dicant hujusmodi fidem vel pios motus non gigni in infantibus per

Exorcismum, sed in Baptismo per virtutem, & operationem Spiritus sancti.

3. Catholici tria statuunt. *Primo*: Infantes in Baptismo non habere propriam fidem actualē, quā credant in Christum. Hoc enim ex Scripturis colligi non potest, ut constabit ex solutione objectionum. Et Augustinus expressè ait: eos, qui putant infantes credere in Christum, quando baptizantur, injuriam facere humanis sensibus. (*Epiſt. 57. ad Dardanum quæſt. 2.*) Videlicet enim infantes, partim vocis ejulatu, partim motu corporis reluctari, quando aquā Baptismi asperguntur; quod non facerent, si crederent se per illam aquam regenerari; & filios Dei effici. *Et lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24.* ait: *Infantes baptizati, non ex impia voluntate, sed ex etatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem.*

*4. Secundo*: Infantes in Baptismo non habere pios motus, seu inclinationes in Deum. Velenim Lutherani, qui afferunt hujusmodi motus, volunt eos distingui à fide justificante, vel non distingui. Si hoc posterius, jam refutati sunt, quia ostensum est, infantes non habere actum fidei justificantis. Si prius, jam refutant seipſos. Nam alibi, ex communi consensu docent, hominem sola fide justificari. Hi docent, infantes justificari per pios motus, qui juxta suppositionem, à fine distincti sunt.

*5. Tertio*: Infantes in Baptismo non justificari sine fide. Tametsi enim non habeant propriam fidem actualē, aut pios motus in Deum, ut jam dixi, acquirunt tamen habitum fidei, sicut etiam habitum spei, & charitatis. Deinde præter hunc habitum, dicentur etiam actu credere, dupliſensu. *Primo*: Quatenus actu baptizantur. *Secundο*: Quatenus credunt aliena fide. De priori loquitur Augustinus *lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 27.* *Quis nesciat, inquit, credere infantibus esse baptizari? non credere autem, non baptizari.* De posteriori ferm. *10. de verbis Apostoli.* Portantur ad Ecclesiam. *Si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur.* Accommodat illis Mater Ec-

*Ecclesia aliorum pedes, ut deniant: aliorum corda, ut credant: aliorum linguam, ut fateantur: Ut quoniam quoad agri sunt, alio peccante praegravantur: sic cum bijani sunt, alio pro illis confitente salvantur.*

### Objectiones Lutheranorum.

6. **P**rima: Nemo potest justificari sine fide: at infantes in Baptismo justificantur: ergo fidem habent, major patet ex illo Marci 16. v. 16. Qui non crederit condemnabitur. Et Hebr. 11. v. 6. Sine fide impossibile est placere DEO. Resp. Nemo adultus potest justificari, sine propria fide actuali; ut recte colligitur ex testimoniosis citatis. At infantes salvari possunt partim fide aliena, partim propria habituali, ut dictum est.

7. Secunda: Christus diserte ait, infantes habere adhuc fidei, Matth. 18. v. 6. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt. Resp. Christus non loquitur de infantibus; qui non sunt capaces scandali, sed de pueris grandioribus, qui vocati accedebant Christum, ut ex contextu patet.

8. Tertia: Joannes Baptista existens in utero materno, habuit fidem in Christum. Ergo &c. Resp. Exemplum Joannis Baptiste non facit regulam generalm, sicut nec exemplum asinæ Balaam, ut recte notat Augustinus epist. 57. Ad Dardanum quæst. 2. Non enim sequitur: asina Balaam locuta est: ergo omnes asini loquuntur. Nec item: Joannes Baptista credidit in Christum: ergo omnes infantes credunt in Christum. Deinde, Scriptura non dicit Joannem credidisse, sed exultasse, ut bene advertit idem Augustinus loco citatus.

9. Quarta: Si infantes non credunt, jam astantes mentiuntur, quando respondent pro infante baptizando: Credo. Resp. Non mentiuntur, quia non significant illum credere actu proprio, sed alieno, ut recte notat. D. Thomas in 3. parte quæst. 68. art. 9. ad 3. Quomodo autem fides aliena possit illi professa ex S. August. explicatum est. Profess illi fides aliena, sicut obest peccatum alienum.

## C A P U T III.

*De Impanatione.*

**L**utherani nobiscum sentiunt contra Calvinistas, Christum vere præsentem esse in Eucharistia. Sed quo modo sit præsens, in eo dissentunt. Nos docemus fieri præsentem per transubstantiationem, id est, per conversionem substantiæ panis, & vini, in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, sicut substantia aquæ in nuptiis Canæ Galileæ: convertia est in substantiam vini. *Ioan. 2. v. 9.* Hanc conversionem negant Lutherani affrentes, substantiam panis, & vini simul manere cum substantia Corporis, & Sanguinis Christi. Itaque Christum non fieri præsentem in Eucharistia per conversionem unius substantiæ in alteram, sed alio modo. Quis autem ille modus sit, in eo discrepant. Plerique putant præsentem fieri per ubiquitatem. *Alii* per unionem hypostaticam Christi cum pane, & vino. *Alii* per simplicem conjunctionem unius cum altero: omnes tamen in eo conveniunt, quod hæc propositione sit vera. *Panis est Corpus Christi, Vinum est Sanguis Christi.* Item: *Corpus Christi est in pane, cum pane, sub pane.* Atque hinc ortum est vocabulum Impanationis. Hæc omnia examinanda sunt.

## Q U Ä S T I O I.

**A**N Christus sit præsens in Eucharistia per Ubiquitatem? Plerique Lutherani affirmant cum Luther. Sed male: *Primo:* Quia ubiquitas jam explosa est. *Secundo:* Multi Lutherani docent: Christum non fuisse ubique præsentem, nisi post Ascensionem: ergo ante Ascensionem, vel non fuit præsens in Eucharistia; vel si fuit, non potuit esse per Ubiquitatem, sed per transubstantiationem, quod nos docemus. *Tertio:* Quod ubique est, non movetur de loco in locum, ut supra demonstravi: si ergo Corpus Christi est ubique, non movetur de loco in locum; ergo Minister Lutheranus, quando alicui porrigit Hostiam, non porrigit Corpus Christi, sed nudum panem. Nam id, quod porrigit, movetur ex manus

manu ipsius in os. & stomachum comunicantis; Corpus autem Christi, si ubique est, non potest ita moveri.

## QUÆSTIO II.

3. **A**N Christus sit præsens in Eucharistia per unionem hypostaticam? Hoc potest dupliciter intelligi.  
*Primò*: Ut sit præsens per unionem Personæ Verbi cum pane, & vino. *Secundò*: Ut sit præsens per unionem Corporis Christi cum pane, & Sanguinis Christi cum vino. Hoc posterius videtur afferere Lutherus in captiv. Babyl. cap. de Eucharistia. Sed non rectè. Nam unio hypostatica non sit in natura, sed in persona, seu hypostasi: (Inde enim vocatur hypostatica, seu personalis.) At in Christo non est ulla Persona, nisi Verbi: ergo nulla potest fieri unio hypostatica, nisi in Persona Verbi: ergo non est hypostatica.

## QUÆSTIO III.

4. **A**N Christus sit præsens in Eucharistia per simplicem conjunctionem? Hoc putantur sentire Kemnitius, & aliqui recentiores Lutherani. Quos refello ex duobus ipsorum principiis. *Uno*: Quod verba illar. *Hoc est corpus meum*, propriè intelligantur, & non metaphorice; in quo nobiscum sentiunt. *Altero*: Quod per pronomen (*Hoc*) designetur panis, in quo sentiunt cum Calvinistis. Igitur volunt hunc esse sensum verborum: *Hic panis est propriè Corpus Christi*: Nihil absurdius. Quando enim due res distinctæ, ac disparatæ non aliter quam per simplicem conjunctionem conjunguntur, tunc una propriè non potest dici altera. Non enim dicimus, *Aer est panis*, tametsi aer sit in pane, & cum pane? Neque *Angelus est homo*, licet possit esse in homine; ergo si Corpus Christi per simplicem tantum conjunctionem est in pane, & cum pane; non licebit dicere: *Corpus Christi propriè est panis*, aut contrà.

## QUÆSTIO IV.

5. **A**N Christus sit præsens in Eucharistia per transubstantiationem, seu per conversionem totius substantiæ vini in Sanguinem Christi? Affirmant

Catholici cum Conc. Trid. Sess. 3. c. 4. & cum antiquis Patribus. Ex multis citabo paucos. Igitur Ambr. in lib. de iis, qui mysteriis initiantur cap. 9. diserte ait: naturam, seu substantiam panis mutari in Corpus Christi. Et tripliciter probat hanc mutationem non esse impossibilem. *Primum*: Quia Deus potuit facere, ut naturae rerum existerent, quæ antea non existebant: ergo etiam potest facere, ut, cum existant, una mutetur in aliam. *Secundum*: Potuit facere, ut virga Moysis mutaretur in serpentem; ergo. *Tertium*: Potuit multa alia facere, quæ supra naturam sunt; nimirum: ut aqua Ægypti mutetur in sanguinem; ut amara fieret dulcis; ut ferrum securis nazaret supra aquam; ut ignis descenderet de cœlo, ut Christus nasceretur ex Virgine; cur ergo non posset facere, ut substantia panis mutetur in carnem? Addo ego, id quotidie fieri in humano corpore. Panis, quem comedimus, convertitur in carnem, & substantiam nostram. Quis dubitat?

6. Idem Ambr. l. 4. de Sacramentis c. 4. sic habet: *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit Caro Christi: & Cyrillus Hierosol. Catechesi 4. mystagogica: Aquam olim in vinum convertit in Cana Galilæa: & non erit dignus, cui credatur, quod vinum in sanguinem transmutarit: & infra ibid. Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis: & Cyprian. in ser. de Cœna Domini. Panis iste, non effigie, sed naturam mutatus, omnipotentiæ Verbi factus est caro. Et Hilarius lib. 8. de Trinit. De veritate carnis. & sanguinis, non est relictus ambigendi locus. Et Gregorius Nyssen. orat. Cathec. c. 37. Reffè nunc quoque credo: *DEI Verbo sanctificatum panem, in DEI Verbi corpus transmutari.* Hæc testimonia clara sunt.*


7. Objici potest illud 1. Cor. 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Et c. 11. v. 26. *Quotiescumque manducabitis panem hunc. Ex quo videtur sequi, panem manere in Eucharistia, & nullam fieri transubstantiationem.* *Resp.* Apostolus loquitur de pane mutato: *Sicut Christus, cum ait: Cœci dident id est, qui antea erant cœci, nunc vident.*

શ્રીમતીને હોલ્ડ, હોલ્ડિને હોલ્ડિને હોલ્ડિને હોલ્ડિને હોલ્ડિને હોલ્ડિને  
 "દા... દા...  
 જીવન વિષયે વિષયે વિષયે વિષયે વિષયે વિષયે વિષયે વિષયે વિષયે

# LIBER TERTIUS.

*De Controversiis Calvinistarum.*

**C**alvinistæ sortiuntur varia nomina, ut alibi dixi. In Anglia vocantur Puritani: in Gallia Hugonottiæ: in Hollandia Geulii: in Bohemia Picarditæ: in Helvetia Sacramentarii, & Zwingliani: in Germania Calvinistæ. Capita controversiarum, in quibus speciatim à nobis dissident, sunt hæc fere. *Primò*: De attributis divinis. *Secundò*: De Christo. *Tertiò*: De imagine Christi. *Quartò*: De prædestinatione. *Quintò*: De Gratia. *Sextò*: De Autore peccati. *Septimò*: De Baptismo infantium. *Ottavo*: De Exorcismo. *Nonò*: De reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia. *Decimò*: De circulo Calvinistico.



## CAPUT I.

*De Attributis divinis.*

I. **N**HOC capite nominatum disputandum est contra Conradum Vorstium Calvinistam, qui in tractatu de Divinis attributis sic sentit. *Primò*: DEUM secundum essentiam, & essentialē perfectionem, non esse infinitum. *Secundò*: Nec ubique præsentem in hoc mundo, sed tantum in cœlo. *Tertiò*: In D<sup>o</sup> esse accidentia. *Quartò*: Decreta D<sup>e</sup>i non esse ab æterno. *Quintò*: Æternitatem D<sup>e</sup>i non esse indivisibilem, & totam simul, sed divisibilem, & successivam. Hi quinque Atheismi refutandi sunt. Atheismos voco: quia, qui ita de D<sup>o</sup> sentit, non agnoscit verum D<sup>eu</sup>m; Atheus ergo est.

## CONCLUSIO I.

**D**EUS secundum essentiam, seu essentialem perfectionem, est simpliciter infinitus. Patet ex Scriptura, Psal. 144. v. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch. 3. v. 25. *Magnus est, & non habet finem.* Quæ testimonia non possunt intelligi de magnitudine molis, seu quantitatis, quæ in Deo nulla est, sed de magnitudine virtutis, seu perfectionis. Est ergo hic sensus: Deus ita magnus est in virtute, & perfectione, ut non habeat finem, seu terminum suæ virtutis, & perfectionis. Unde sic argumentor: Sicut illud est finitum in virtute, & perfectione, quod habet finem, seu terminum suæ virtutis, & perfectionis; ita è contrario, illud est infinitum in virtute, & perfectione, quod non habet finem, seu terminum suæ virtutis, & perfectionis; At Deus non habet; ergo infinitus est.

**3. Objicit primò:** Vorstius: substantiam Dei videri ab Angelis, & ideo infinitam non esse. Sed consequentia hæc nulla est. Docent enim Theologi, rectè cohærere hæc duo: Dei substantiam infinitam esse, & tamen videri posse ab intellectu finito; non quidem per solas naturæ vires, sed accidente auxilio Dei supernaturali.

**4. Objicit secundò:** Nulla creatura est infinita; ergo nec Deus. Ineptissime profectò; Perinde ac si dicam: Nulla creatura fuit ante mundum conditum; ergo nec Deus. Boni authores colligunt contrarium ex hoc mundo: Ideò creaturæ finitæ sunt in genere entis; quia deest illis aliqua perfectio in genere entis. Nulla enim est, quæ contineat omnes perfectiones in latitudine entis: ergo è contrario, ideo Deus est infinitus in genere entis, quia nulla deest illi perfectio in genere entis.

**5. Objicit tertio:** Potentia Dei non extenditur ad impossibilia: ergo non est infinita. Non minus inepte. An putat Vorstius, infinitam fore potentiam, si ad impossibilia se extenderet? Imò potentia non esset, si id feceret. Sicut enim scientia non dicitur, nisi respectu

scibilium, sic neque potentia, nisi respectu possibilium, Impossibilia enim non cadunt sub potentiam, & si cadent, impossibilia non essent.

## CONCLUSIO II.

**D**EUS secundum substantiam suam ubique praesens est in hoc mundo, & non tantum in cœlo. Patet ex illo Jerem. 43. v. 24. *Cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus.* Et 3. Reg. 8. v. 17. *Cæli cœlorum te non capiunt.* Idem docent Patres: Cyprianus in lib. de vanitate Idolorum. *Dei templum torus est mundus.* Et ibidem: *DEUS est totus ubique diffusus.* Et Augustinus epist. 27. ad Dardanum: *DEUS substancialiter ubique diffusus est.* Et lib. 7. de Civit. Dei c. 30. *DEUS ubique totus, implens cælum, & terram, præsente potentia, non abierte natura.* Et ratio est: quia, si Deus secundum substantiam non esset alibi, quam in cœlo, sequeretur, Christum, cum in terris versabatur, non suiss verum Deum secundum substantiam; at hoc impium est: ergo & illud, ex quo hoc sequitur.

7. Objicit Vorstius illud Psalm. 113. v. 16. *Cælum cœli Domino terram autem dedit filii hominum.* Psalm. 122. v. 1. *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis.* Resp. Deus quidem est ubique secundum substantiam, ut dictum est; sed tamen speciali quodam modo est in cœlo; nempe: per maiestatem, & gloriam; sicut in inferno per justitiam vindicativam; & in humanitate Christi per unionem hypostaticam; & in Ecclesia per assistentiam, & directionem.

## CONCLUSIO III.

**I**N DEO non sunt vera accidentia realiter distincta à substantia DEI. Ratio est, quia quod in se infinitè perfectum est, non potest ulterius in se perfici. At substantia Divina in se infinitè perfecta est, ut paulò ante probavi; ergo non potest ulterius in se perfici. At perficeretur in se, si reciperet in se accidentia realia. Major patet; quia quod in se infinitè perfectum est, hoc in se continet omnes perfectiones possibles, vel formaliter, vel eminenter; ergo ulterius perfici non potest.

potest. Deinde excludit à se omnem defectum, & imperfectionem; ergo etiam omnem potentiam passivam, seu receptivam, cùm talis potentia supponat carentiam, & defectum; ergo non potest in se recipere ulteriorem perfectionem; ergo nec accidentia.

9. *Objicit Vorstius*; Decreta DEI sunt multa; cùm aliud sit decretum creandi, aliud prædestinandi, aliud reprobandi; At substantia DEI est unica; ergo Decreta non sunt substantia, sed accidentia. *Resp. Primò*: Negatur consequentia, quæ non legitime infectur. Quod patet in hoc simili syllogismo. Personæ Divinae sunt multæ; at substantia DEI est unica; ergo Personæ Divinae non sunt substantia, sed accidentia. *Deind:* major propositio aperte falsa est. Non enim in Deo sunt multa decreta, eo sensu, quo id asserit *Vorstius*, id est: non sunt multi actus voluntatis, quorum uno decernat Deus creare mundum; alio prædestinare quosdam ad vitam, alios reprobare ad mortem; sed est unus simplex actus, quo hæc omnia decernit. Simile est in scientia DEI. Non enim sunt multæ scientiæ in Deo, id est, non sunt multi actus intellectus, quorum uno cognoscat Petrum, alio Paulum, alio Joannem; sed est una simplex scientia, seu unus simplex actus intellectus, quo omnia tam creaturas, quam scipsum intelligit. Et ratio est; quia actus intelligendi, & volendi in Deo nihil aliud est, quam ipsa Essentia, seu Substantia DEI, quatenus per modum actus significatur. Hoc sensu dicunt Patres, & Scholastici, non distinguunt in Deo hæc tria; *Esse*, *Posse*, *Operari*, seu essentiam, potentiam, & operationem. Unde sicut essentia DEI est una, simplex; sic etiam una, & simplex scientia; unum & simplex decretum. Et hæc omnia una, & simplex Deitas.

#### C O N C L U S I O IV.

10. **D**ecreta DEI sunt ab æterno, seu, quod idem est, sunt DEO coæterna. Sequitur ex dictis, quia decreta DEI sunt ipsa DEI essentia, seu substantia: Hæc est ab æterno; ergo & illa. *Objicit Vorstius*, omnis causa libera antecedit suum effectum ordine

ordine temporis, seu durationis; at DEUS est causa libera respectu liberorum decretorum; ergo tempore, vel duratione antecedit sua decreta; non ergo decreta DEI sunt æterna. *Resp. Primo:* Major falsa est. Nam Angeli in primo instanti creationis habuerunt liberum actum dilectionis DEI; & Christus secundum humanitatem in instanti conceptionis liberè acceptavit mortem pro humani generis redemptione. *Secundo:* Minor etiam falsa est; quia decreta DEI non sunt effectus DEI; nec DEUS illorum causa est. Nam, ut dixi, decreta DEI sunt ipsa essentia Divina, quatenus terminatur ad res decretas per modum operantis, volentis, decernentis.

## CONCLUSIO V.

11. **A**ETERNITAS DEI non est divisibilis, & successiva, sed indivisibilis, & tota simul. Hoc etiam sequitur ex dictis; quia æternitas DEI non est accidens (cum in DEO nulla sint accidentia,) sed est substantia DEI; at hæc est indivisibilis, & tota simul, in qua nullæ sunt partes sibi invicem succedentes; alioquin esset mutabilis, & corruptibilis; ergo etiam æternitas est indivisibilis, & tota simul, in qua nullæ sunt partes sibi invicem succedentes. Ergo tota coexistit omnibus temporum differentiis.

12. Objicit Vorstius: Si tota æternitas coexistit omnibus temporum differentiis, seu partibus, sequitur. *Primo:* Omnes partes temporis, id est, præteritum, præsens, & futurum simul inter se coexistere. *Secundo:* DEUM posse efficere, ut præteritum non sit verè præteritum, & futurum non sit verè futurum; quia utrumque in æternitate præsens est. *Tertio:* Primum annum mundi conditi, esse hunc ipsum annum præsentem. *Quarto:* Res in æternitate nunquam oriri, aut interire, quia semper æternitati præsentes sunt. *Resp. Prima* consequentia, à qua reliquæ dependent neganda est. Non enim sequitur, si tota æternitas coexistit omnibus partibus temporis, ipsas etiam partes simul inter se coexistere. Nam tota æternitas non coexistit omnibus

partibus simul sumptis, & existentibus, ut supponit Vorstius: sed singulis divisim sumptis, & sibi mutuo succedentibus. v. g. Hodie tota æternitas coëxistit hodierno diei; & cras tota coëxistet crastino diei, & perendie perendino; & sic deinceps. Hinc non sequitur, hodiernum, crastinum, & perendinum simul existere, sed potius unum alteri succedere. Hæc solutio facile accommodabitur ad reliquas consequencias, quæ ex Vorstio allatae sunt.



## C A P U T II.

*De Christo.*

1. **V**ARII sunt errores Calvinistarum de CHRISTO.  
*Primus*: Christum non esse mortuum pro omnibus, sed pro solis prædestinatis. *Secundus*: Christum in cruce desperasse. *Tertius*: Non vere, ac propriè, sed tantùm metaphorice descendisse ad inferos. *Quartus*: Christum esse Mediatorem secundum utramque naturam, divinam, & humanam. *Sextus*: Christum ab initio multa ignorasse, quæ paulatim didicerit. Quatuor priores sunt propriae Calvinistarum; reliqui duo communes Lutheranis, & Calvinistis; omnes ordine refutandi.

## Q U Ä S T I O I.

2. **A**N Christus pro omnibus mortuus sit? Hæc tria connexa sunt: *Primo*: An pro omnibus mortuus sit? *Secundo*: An mors, & meritum ipsius omnibus proficit? *Tertio*: An DEUS det omnibus fidem, gratiam ex merito Christi? *Calvinus lib. 3. Instit. cap. 22. §. 10. & cap. 24. §. 13. docet*: Christum pro solis prædestinatis mortuum esse; meritum ipsius proficit solis prædestinatis; DEUM solis prædestinatis datus fidem, & gratiam ex merito Christi.

3. Catholici non constringunt mortem, merita, & beneficia Christi ad paucos. Sentiunt omnibus esse

com-

communia. Hoc enim Scriptura disertè testatur. 2. Corinth. 5. 15. Pro omnibus mortuus est Christus. Et 1. Tim. 2. v. 6. Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Et 1. Joan. 2. v. 2. Ipse est propitatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et Joan. 1. v. 9. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hinc D. Ambrosius serm. 5. in Psalm. 118. Sol justitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Hæc doctrina tribus propositionibus explicari potest. Prima est: Christi meritum fuisse sufficiens ad totum genus humanum redimendum, & salvandum. In hac conveniunt nobiscum Calvinistæ. Et rectè: quia ipius meritum fuit infiniti valoris propter infinitam dignitatem Personæ, cui humanitas est unita. Altera est: Christi meritum re ipsa non esse efficax respectu reproborum quoad vitam æternam. Neque hic dissentimus: quia reprobri re ipsa non pervenient ad vitam æternam. Si enim venirent, non essent reprobri, sed prædestinati. Tertia est: Christi meritum re ipsa esse efficax respectu reproborum, quoad dona gratiæ in hac vita. Hoc negant Calvinistæ; Nos asserimus. Constat enim multos reprobos habuisse fidem, & alia dona à Deo per merita Christi, ut Judam pro ditorem, Simonem magum, & omnes illos, qui ex Catholicis facti sunt hæretici, de quibus Apost. 1. Tim. 1. v. 19. Quidam circa fidem naufragaverunt. Et 2. Tim. 2. v. 17. Eo quibus est Hymenæus. & Philetus qui à veritate exciderunt. Unde August. in lib. de corrept. & gratia cap. 13. Credendum est, inquit, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverantia usque in finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere, vivere, & aliquamdiu fideliter, ac justè vivere, & postea cadere.

## QUÆSTIO II.

<sup>4.</sup> **A**N Christus in cruce desperaverit? Affirmat Calvinus in Harmonia Evangelica ad cap. 27. Matth. & lib. 2. Instit. cap. 16. s. 10. & 11. Probat autem duplicitate: Primo, ex illo: DEUS DEUS, meus!

meus? ut quid dereliquisti me? Secundū: Quia Christus sustinebat Personam omnium nostrū, qui propter peccata eramus obnoxii æternæ damnationi; ergo debebat persolvere omnes pœnas, quæ homini damnato debebantur, inter quas erat desperatio.

5. Hæc mera blasphemia est. Primi: Quia desperatio est peccatum; est autem blasphemum, asserere Christum peccasse. Secundi: Quando Christus dixit: *D E U S, D E U S meus!* ut quid dereliquisti me? dixit etiam: *Pater!* in manus tuas commendo Spiritum meum. Quod non dixisset, si desperasset. Tertiū: Christus iam tum erat in statu Beatitudinis, & promittebat latroni eundem statum: *Hodie tecum eris in Paradiſo.* At in statu Beatitudinis non potest esse desperatio.

6. Nec obstat illud, ut quid dereliquisti me? Non enim est vox desperantis, sed admirantis. Admiratur Christus, eur in tanto corporis cruciatu derelictus sit; sed mox tollit admirationem. Longè à salute mea verba delictorum meorum. Quasi dicat: Non est mirum, mi Pater, quod relinquis me in his angustiis; quia delicta totius mundi, quæ in me suscepit, non possum aliter expiare, nisi luendo hanc pœnam: verba delictorum meorum, id est, peccata humani generis, quæ mea sunt; quatenus ea in me suscepit, longè à salute mea, id est: non possunt conjungi cum salute corporis mei. Debet pati in corpore, ut illa possim expiare. Quo spectat illud 1. Petri 2. v. 24. *Peccata nostra ipse portavit corpore suo super lignum.* Vide Bellarminum in Commentario Psalm. 21.

7. Deinde falsum est, Christum pertulisse omnes pœnas damnatorum. Præcipua illorum pœna est, privatio æternæ Beatitudinis; at Christus, nec in morte, nec post mortem privatus fuit æterna Beatitudine. Nam ante passionem, dixit Joan. 17. v. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Quid est hoc, *Ubi ego sum?* id est: in statu Beatitudinis. Igitur sensus est: Opto ut mei ministri veniant ad illum statum Beatitudinis, in quo ego nunc sum; at status Beati-

etudinis est immutabilis; ergo si Christus ante passionem fuit in illo statu, semper in eo mansit. Non ergo paenam damni expertus est, & consequenter nec omnes damnatorum paenas.

### QUÆSTIO III.

2. **A**N Christus vere descenderit ad Inferos? *Calvinus lib. 2. Inst. cap. 16. §. 10. v. 11. Q. 12.* tria docet. *Primo:* Christum descendisse ad Inferos; id est, omnes paenas damnatorum in anima perpeccum esse. Quæ explicatio, & nova, & falsa est. *Nova,* quia omnes antiqui Patres explicant, & ajunt: Christum post mortem secundum carnem jaceuisse in sepulchro; secundum animam descendisse ad inferiores partes terræ, ut inde animas Sanctorum veteris Testamenti liberaret. *Aug. epist. 57. ad Dardanum, Hieronymus in Psalm. 15. Ambrosius de mysterio Paschæ cap. 4. & alii.* *Falsa,* quia nunc ostensum est; Christum non pertulisse omnes paenas damnatorum.

9. *Secundum:* Docet, Christum cœpisse descendere ad inferos; id est: cœpisse pati paenas damnatorum, quando in horto dixit: *Pater! si possibile est, transeat a me calix iste.* Deinde profundius descendisse, quando clamavit in cruce: *DEUS, DEUS meus! ut quid dereliquisti me?* *Tertium:* Profundissime, quando post mortem coram severo Dei tribunali, tanquam reus æternæ mortis comparuit. Hæc mera figmenta sunt. Ubi obsecro vel Scriptura, vel Patres asserunt, Christum post mortem pertulisse paenas damnatorum? Nusquam.

10. *Tertium:* Docet corporalem Christi mortem nihil nobis fuisse profuturam, si non etiam post mortem perpeccus fuisset paenas damnatorum. Qui error directè pugnat contra Scripturam, ex qua habemus hæc duo principia. *Primo:* Quod Christus sua passione, & morte perficerit, seu consummaverit opus nostræ redēptionis. *Secundum:* Quod post mortem in illo triduo nihil amplius perpeccus sit. Prius habet ut Hebr. 2. v. 10. *Decebat eum,* qui multos filios in gloriam adduxerat, aut borem salutis eorum per passionem consummare. Posteriorius Luc. 23. v. 43;

*Hodie mecum eris in Paradiso.* Calvinus interpretabitur. Non hodie, sed post triduum mortis mecum eris in Paradiſo. Nam in iſto triduo ſtabo coram ſevero Dei tribunali, & ſuſtinebo omnes pænas damnatorum.

11. Objicit: Calvinus illud Actor. 2. v. 24. *Quem DEUS fufcitavit, ſolutis doloribus inferni.* Ex quo infert: Christum in instanti resurrectionis fuſſe ſolutum, ſeu liberatum à doloribus inferni, ac proinde toto triduo mortis perpeſſum eſſe illos dolores. *Reſp.* Textus non dicit: Christum fuſſe ſolutum, ſeu liberatum à doloribus inferni, quibus antea tenebatur; ſed ne illis tene- retur. Sicut ſi dicerem: Leonem fuſſe ſolutum, ſeu liberatum à laqueis venantium; non quod antea illis fuſſet captus; ſed eos rupiſſe, ſeu perfregiſſe, ne cape- retur. Et hoc significat textus, cum ait: *Quem DEUS fufcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod imposſibile erat teneri illum ab eo.* Vide Aug. ep. 99. ad Evodium.

## QUÆSTIO IV.

12. **A**N Christus ſua paſſione ac morte aliquid ſibi meruerit? Calvinus lib. 2. Inſt. cap. 17. §. 6. Docet, nobis tantum meruiſſe, non ſibi. Nos contrà afferimus, etiam ſibi aliquid meruiſſe; nihi- rum: gloriā corporis, exaltationem nominis, & quæ- dam alia, quae ei data ſunt post paſſionem. Quod aperte colligitur ex Scriptura, Philip. 2. v. 8. *Humiliavit ſe- metipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Propter quod & DEUS exaltavit illum, & dona- dit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Et Hebr. 2. v. 9. Viderimus JESUM propter paſſionem mortis, gloriā, & ho- nore coronatum. Ubi particula (propter) ſignificat cauſam meritoriam.

13. Objicit Calvinus. Quid opus fuit deſcendere Filium Dei, ut ſibi acquireret aliquid novi? *Reſp.* Aliud eſt loqui de Filio Dei, quatenus eſt homo. Nos non dicimus, Filium Dei deſcendiffe de cælo, ut ſibi tanquam Deo, aliquid novi acquireret per meritum; Sed Christum hominem ſuſcepiffe voluntariam mortem, ut ſibi, tanquam homini, acquireret gloriā corporis, & exaltationem nominis.

QUÆ-

## QUÆSTIO V.

**14.** **A**N Christus sit Mediator secundum utramque naturam? Affirmant Adversarii. Nos dicimus, Mediatorem esse secundum humanitatem, non secundum Divinitatem, juxta illud 1. Tim. 2. v. 5. *Unus Mediator DEI, & hominum, homo Christus Iesus.* Ubi particula (*Homo*) addita est, ut constaret, secundum quam naturam esset Mediator, ut notavit August. lib. 2. de peccato originali cap. 28. & serm. 11. de verbis Apostoli. Et ratio est; quia fuit Mediator, quantum per mortem, & passionem suam reconciliavit nos Deo. Hoc autem fecit secundum humanitatem, quia secundum Divinitatem non potuit pati, aut mori.

**15.** *Objicies:* Solus Deus potest renovare corda, & dare Spiritum Sanctum; haec autem sunt opera Mediatoris, teste August. in Enchir. cap. 33. Ergo solus Deus est Mediator. *Resp.* Solus Deus effectivè renovat corda, & dat Spiritum Sanctum; at Mediator facit utrumque meritorie.

## QUÆSTIO VI.

**16.** **A**N Christus ab initio multa ignoraverit, quæ progressu temporis didicerit? Fuit enim hæresis Agnonitarum, qui docebant Christum ignorasse diem judicii, juxta illud Marci 13. v. 32. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius nisi Pater.* Idem nunc docent Lutherani, & Calvinistæ, qui etiam addunt: Christum multa alia ignorasse, quæ paulatim didicerit. Nos contra asserimus: Primo, scivisse omnia, quæ ad ipsius statum, & officium pertinebant; cujusmodi erant omnia præterita, præsencia, & futura circa Angelos, homines, & seipsum. Hæc enim triplici ex causa ad ipsius officium pertinebant: Primo: Quia erat caput hominum, & Angelorum. Secundo: Erat Magister, & Praeceptor Apostolorum, qui docturi erant totum mundum. Tertio: Futurus erat omnium judex. Huc spectat illud Joan. 2. v. 24. *JE-SUS non credebat semetipsum eis, sed quod ipse nōset omnes;*

& quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.

17. Secundò assertimus, Christum in hac vita quædam scivisse, tanquam Judicem, quæ tamen nesciebat, tanquam Praeceptor Apostolorum. Hoc modo sciebat diem Judicii. quia cum ipse esset futurus Judex, non debebat illum ignorare. Et tamen dicebat Apostolis, se nescire illum diem, quia sciebat illum *sub secreto*, non autem ut aliis revelaret. Sicut Confessarius, qui scit aliquid *sub secreto* Confessionis, potest dicere, se nescire. Non enim scit cum potestate aliis revelandi. Non scit ut homo, sed ut Minister Dei. Ita exponunt Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Beda, Theophylactus apud Maldonatum in cap. 24. Matt. v. 16. Eodem sensu intelligitur illud Joan. 15. v. 15. *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ubi Christus loquitur non de omnibus simpliciter, quæ audiverat à Patre; sed ea illis revelat, tanquam Magister, & Praeceptor. Unde cap. 16. v. 12. ait: *Aduer multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Non ergo omnia illis dixerat, sed quæ pro eo tempore dicenda erant.

18. Objicitur illud Luc. 2. v. 52. *Jesus autem proficiebat sapientiam.* Non poterat autem proficere, si omnia sciebat. Resp. Opponi potest illud Coloss. 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia absconditi.* Utrumque verum est, quia utrumque à Spiritu Sancto revelatum. Christus erat plenus sapientia, & scientia; & tamen proficiebat ostensione sapientiae, quia quotidie magis, magisque apparebat ipsius sapientia; sicut etiam potentia, & authoritas.

19. Secundò objicitur illud Hebr. 2. v. 17. *Debuit per omnia fratibus assimilari.* Et cap. 4. v. 15. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Habuit ergo ignorantiam, sicut & nos, sed sine peccato. Resp. Debuit per omnia assimilari nobis, quoad humanam naturam; non quoad singulas humanæ naturæ imperfectiones. Et tentatus est per omnia absque peccato, id est, expertus est omnia adversa, quæ solent homines peti, & tamen non peccavit per impatientiam. CA-



## C A P U T III.

### *De Imagine Christi.*

1. **C**Alvinistæ sunt hostes Imaginis Christi. Certè Beza in colloquio Mompelgarteni ausus est dicere *Fateor me ex animo Crucifixi Imaginem detestari.* Horribilis blasphemia! Et Paræus in cap. 1. E i&th. ad Rom. Dub. 18. Disertè scribit: omnes esse idololatras, qui tuerunt Imaginem Christi, non minus, quam qui colunt imagines serpentum, & aliarum bestiarum. Nos dicimus Imaginem Christi tripliciter spectari posse. Primo: Quatenus est aurea, vel argentea, vel lignea. vel ex alia materia. Secundo: Quatenus artificiosè facta est. Tertio: Quatenus Christum, & eum beneficia nobis repræsentat: & hoc tertio modo religiosè retinendam, colendam, ac honorandam esse. Ratio est, quia Imago Christi non est deterioris conditionis, quam olim in veteri testamento fuerint imagines Angelorum, & ænei serpentis: at hæ jussu Dei factæ sunt, & in honore habitæ.

2. Et quidem de Imaginibus Angelorum scriptum est Exod. 25. v. 18 19. *Dixit Dominus ad Moysen: Facies duos Cherubim aureos, & producetis ex utraque parte Oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero.* Ubi per duos Cherubim aureos intelliguntur duæ statuæ, seu imagines aureæ, repræsentantes duos Angelos Cherubinos, quæ posicæ erant in Tabernaculo super Arcam Eæderis, & expansis alis tegebant Arcam. Erant autem in magno honore, quia erant præcipua pars, & quasi ornamentum Arcæ. At tota Arca honorabatur a Judæis. Primo: *Quia ponebatur in Sancto Sanctorum,* tanquam in loco honoratissimo. Hebr. 9. v. 4. Secundo: Quando translata fuit de domo Abinadab in domum Obededom, David cum universo populo eam honoravit psallendo, & cantando citharis, & alijs musicis instrumentis. 2. Reg. 6. v. 5. Tertio: *Quia Laicis non licebat eam portare, sed tantum Levitis, & Sacerdotibus,*

propter venerationem illi debitam. Ideoque Oza morte punitus est, quod ausus fuisset eam attingere, tametsi bona intentione id fecisset. 2. Reg. 6. v. 7. Quartò: Philisthæi, quia sine debito honore apud se illam retinebant, variis plagiis à Deo attriti sunt. 1. Reg. 5. & 6. E congratio, Obededom, qui illam tribus mensibus in sua domo honorifice detinuerat, Dei benedictionem consecutus est. 2. Reg. 6. v. 11.


3. Similiter de imagine serpentis ænei scriptum est Numer. 21. v. 8. *Fao serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspergerit eum, vivet.* Hoc factum est in deserto, seu solitudine, ubi multi è populo mordebantur ab ignitis serpentibus, & moriebantur. Deus ut occurreret huic malo, mandavit fieri statuam, seu imaginem serpentis ex aere, quam si morti aspicerent, sanabantur. Erat hæc imago in magna veneratione. Primò: Ob causam jam dictam. Secundò: Quia erat Figura Christi in cruce pendens. Nam sicut morti à serpentibus sanabantur ex aspectu in serpentem æneum; ita morti à Diabolo sanantur ex fide in Christum crucifixum. Joan. 3. v. 14.

4. Unde sic concludo: Figura est minoris precii, quam res figurata; quo pacto Moyses, qui erat figura Christi, minoris erat pretii, quam Christus; & Agnus Paschalis, quam Eucharistia; & Circumcisio, quam Baptismus. Si ergo imago serpentis ænei fuit honorata, multò magis Imago Christi honoranda est. Nemo sanus dubitat. Imago serpentis non fuisset honorata, nisi mortis à serpentibus, nisi virtute Christi, qui sanat mortos à Diabolo.

5. Dices: Ezechias Rex confregit imaginem serpentis ænei, 4. Reg. 18. v. 4. Ergo & Imago Christi confringenda est. Resp. Hæc consequentia Calvinistica non valet. Primò: Quia imago serpentis ænei; ut jam insinuavi, facta fuit in eum finem, ut morti ab ignitis serpentibus illam aspicerent, & sanarentur. Itaque durante illo fine, durabat imago: cessante, confringebatur. Duravit autem finis ille, quamdiu Judæi erant

erant in solitudine, ubi erant serpentes venenati. Cef-  
savit, quando ingressi sunt terram promissionis, ubi  
non erat periculum ab hujusmodi serpentibus. At  
Imago Christi crucifixi in eum finem solet fieri, ut re-  
præsentet nobis Christum Salvatorem, & ejus beneficia  
in memoriam revocet. Hic finis durabit usque ad fi-  
nem mundi: semper enim memoria Christi, & bene-  
ficium ejus ante oculos ponenda est: Semper igitur  
imago illius retinenda, & in pretio habenda. Deinde  
serpens æneus, cessante fine, propter quem erat factus,  
cœpit esse occasio idolatriæ, 4. Reg. 18. v. 4. Et ex  
hac etiam parte debuit confringi. Imago autem Chri-  
sti non est occasio idolatriæ apud nos Catholicos, quia  
non alium ob finem eam retinemus, quam ut nobis  
Christum Salvatorem, & beneficia ejus repræsentet.

6. Si Calvinistæ hæc non capiunt, agnoscant sal-  
tēm, quid ipsi facere consueverunt. Ipsi magno sumptu,  
ac artificio curant formari, depingi, exornari, & con-  
servari statuas Principum, imagines uxorum, filiorum,  
Parentum, Avorum, etiam Prædicantium. Quæ ergo  
infanía est, Imaginem Christi conspuere, abolere, &  
exterminare? illorum servare? Nimirūm, pluris illos  
faciunt, quam Christum. Caci sunt, & duces cæcorum.



## C A P U T IV.

### *De Prædestinatione.*

**C**ALVINUS duo docet: Primo: DEUM æternō suō  
decretō quosdam homines ad vitam æternam,  
alios plerosque ad mortem, & damnationem  
prædestinasse sine ullo ipsorum merito, aut culpa, so-  
lūm quia ipsi ita placuit. Libr. 3. insti. cap. 21. §. 1.  
Palam est, DEI nutu fieri, ut aliis ultrò offeratur salus,  
alii ab ejus aditu arceantur. Et cap. 23. §. 1. Minime  
consentaneum est, præparationem ad interitum aliò trans-  
ferre, quam ad arcanaū consilium DEI. Et ibid. §. 2.  
Homines nudō DEI arbitriō, circa proprium meritum,

in aeternam mortem prædestinantur. Et s. c. Dico, esse à DEO creatos, quos ad exitum ituros sine dubitatione præsciebat: idque ita factum, quia sic voluit.

2. Secundū: Hoc DEI decretum adeò fixum, ac immutabile esse; ut tollat omnem arbitrii nostri libertatem in negotio prædestinationis; nec ullo modo in nostra sit potestate, aut salvati, aut damnati; sed inevitabili quadam necessitate hi salventur, illi pereant. Libr. 3. cap. 21. s. 17. Dicimus, aeterno. & immutabili consilio DEUM semel constituisse, quos olim assumere velle in salutem, quos rursus exitio detinere. Et c. 23. s. 8. Non dubitabo simpliciter fateri, voluntatem DEI esse rerum necessitatem, atque id necessarium futurum esse, quod ille voluerit.

3. Certè hæc tam atrocia sunt, ut hominem ad desperationem adigant. Nam quo animo sis, si ex Calvino audias, homines nudò DEI arbitriò in aeternam mortem prædestinati? nihil prodesse bona opera, nihil obesse peccata? solo DEI nutu omnia fieri? Atque hinc oritur hoc dilemma hominum desperatorum: Vel ab aeterno sum prædestinatus, vel reprobatus. Si prædestinatus, necessariò salvabor, etiamsi pessimè vixero. Si reprobatus, necessariò damnabor, etiamsi velim bene vivere. Quo dilemmate miserè cruciantur miseri, dum se expedire nequeunt. Et refert August. libr. de bono perseverantiae cap. 15. Quemdam monachum sui monasterii eò fuisse adductum hac argumentatione, ut tandem desertā vitā religiosā ad sacerduli voluptates revertetur, ac periret. Is est fructus doctrinæ Calvinisticæ.

4. Adde Historiam ex Cæsario, quæ sic habet. Ludovicus Landgravius propter deploratam vivendi licentiam à viris religiosis correptus, ac graviter monitus, ut ad bonam frugem rediret, antequam inopina morte præveniretur, pro excusatione hoc adserebat. Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi Regnum Celorum auferre: Si reprobatus, nulla bona opera conferre. Itemque illud: Cum venerit dies mortis mea, certò moriar, illum nec bene vivendo potero extendere, nec male visen-

*vivendo prævenire.* Quid factum? Incidit in gravem morbum: Medicum ad se vocat. Is, ut erat vir prudens, & verborum Landgravii memor: Domine mihi, inquit, frustra me vocas. Nam si venit hora mortis tuæ, certò morietis, nec possum te juvare. Si non venit, non indiges mea ope. Quid ita vero, ait Landgravius? Quin juva me, antequam mors adrepatur. Tunc Medicus: Si putas vitam corporis conservari posse adhibitam medicinam: cur similiter non credis, vitam animæ juvari posse pœnitentiâ, & contritione? Hoc verbo dicit Medicus, & Landgravio persuasit.

5. Porro, dilemma illud sic explicandum est: si à Deo ordinatus sum ad vitam æternam per certa media, quæ in mea sunt potestate, consequendam, certò consequar vitam æternam, si illa media adhibuerim. Rursum, si sum reprobatus, id est: si à Deo ordinatus sum ad infernum propter mea peccata, quæ liberè commissurus sum certò damnabor, si illa peccata committam, & ab iis non abstineam. Hæc explicatio reddit animum tranquillum, & pacatum. Neque eum, qui in peccatis est, facit desperare; nec ei, qui justus est, securitatem promittit. Quin potius utrumque monet, ut cum timore ac tremore salutem suam operentur.



## CAPUT V.

### *De Gratia.*

1. **C**alvinus sic sentit. *Primo:* Christum non omnibus, sed solis prædestinatis dare gratiam. *Secondo:* Et his non dare gratiam habitualem, & sanctificantem, sed tantum actualem. *Tertio:* Eamque dare, tam parce, ut non sufficiat ad servandam legem Decalogi. *Quarto:* Imò cum hoc onere, ut, qui illam accipiunt, non possint ea liberè uti. Tria priora puncta refutata sunt. Quartum hoc loco refutandum.

2. Docet ergo Calvinus, per gratiam auctualem tolli  
volum liberi arbitrii; nec esse in nostra potestate, cum  
illa cooperari, vel non cooperari. Sic enim habet lib.  
2. Inst. c. 3. s. 10. Ac voluntatem mouet, non qualiter  
multis saeculis traditum est, & creditum, ut nostra postea  
sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari sed  
illum efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo  
repetitum repudiari necesse est: Quem trahit, volentem  
trahit. Hic aperte reprehendit Chrysostomum, & to-  
tam antiquitatem, quæ multis saeculis tradidit, & cre-  
ditum, gratiam Dei prævenientem ita movere, &  
excitare nostram voluntatem, ut liberum nobis sit, vel  
consentire, vel dissentire.

3. Sed Calvinus potius reprehendi debet, qui op-  
ponit se non solum antiquis Ecclesiæ Doctoribus, sed  
etiam sc. ipturis ipsis. Antequam hoc ostendo, breviter  
explicanda est illius sententia. Poteſt enim duobus mo-  
dis intelligi. Primo: Ut voluntas nostra à Deo mota,  
& excitata consentiat quidem divinæ motioni, non ta-  
men liberè, sed necessariò, ita, ut non possit non con-  
sentire. Secundo: Ut mota, & excitata, nihil ipsa agat,  
sed totum quidquid fit, à sola gratia procedat, & vo-  
luntas solum passivè se habeat. Hoc posteriori sensu  
afferitur à Calvino. Nam lib. 2. cap. 3. s. 7. sic ait:  
Erunt fortasse, qui concedent, voluntatem à bono suopte  
ingenio aduersam, sola DEI virtute converti, sic tamen,  
ut præparata, suas deinde in agendo partes habent. Et  
paulò post: Hoc perperam illi tribuitur. Ideo non recte  
à Chrysostomo scriptum est, nec gratiam sine voluntate,  
nec voluntatem sine gratia quicquam posse operari. Hic  
iterum reprehendit Chrysostomum, & aperte docet vo-  
luntatem à Deo excitatam, & præparatam, non habe-  
re suas partes in agendo, sed totum quod fit, à sola  
gratia effici.

4. Unde patet, duos esse Calvini errores. Unus  
est, quod voluntas non cooperetur gratiæ, sed omnino  
nihil agat. Alter, quod non sit in potestate voluntas,  
consentire, aut refragari. Prior refellitur ex illo  
1. Corinth. 15. v. 10. Gratia ejus in me vacua non fuit,  
sed

*sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia DEI mecum. Quæ verba sic explicat Augustinus in lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 5. Non ego autem, sed gratia DEI mecum; id est, non ego solus, sed gratia DEI mecum; ac per hoc: nec gratia DEI sola, nec ipse solus, sed gratia DEI cum illo. Hoc unicum testimonium tam clare explicatum sufficeret. Addam tamen plura: Psal. 26. v. 9. Adjutor meus es tu, ne derelinquas me. Et Psal. 69. v. 1. DEUS in adjutorium meum intende. Si Deus adjuvat nos, sanè, & nos aliquid agimus, ut rectè argumentatur August. serm. 13. de verbis Apostoli. Nomen, inquit: Adjutoris præscribit tibi, quia, & tu ipse aliquid agis. Eodem spectat illud 2. Corinth. 6. v. 1. Ne in vacuum gratiam DEI recipiatis. Et Philip. 4. v. 13. Omnia possum in eo, qui me confortat.*

5. Hinc rectè colligunt Theologi: duplex esse officium gratiæ actualis. *Unum: Prævenire, movere, præparare, & excitare voluntatem nostram ad consensum. Alterum: Voluntatem iam præparatam adjuvare, & cum ea cooperari ad consensum eliciendum. Unde Augustinus in Euchar. cap. 31. Rominis voluntatem DEUS præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Et lib. 2. de peccat. meritis cap. 18. Quid ad DEUM nos convertimus, nisi ipso excitante, & adjuvante, non possumus. Et D. Bernard. libr. de gratia, & lib. arbitrio: Conatus nostri cassi sunt, si non adjuvantur, & nulli, si non excitantur,*

6. Posterior refellitur ex illo, Actor. 7. v. 51. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Loquitur de Judæis, qui tametsi per gratiam, & inspirationem Spiritus Sancti sèpè excitarentur ad fidem, & pœnitentiam, nolentes tamen inspirationi locum dare, sed sponte, ac plena libertate resistebant. Cur alioqui faissent reprehensionem. Eodem spectat illud. Psal. 94. v. 5. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: id est: si internam vocem Spiritus Sancti perceperitis, nolite illi resistere, sed acquiescite. Ubi supponit, in eorum esse potestate, vel obtemperare monitioni divinæ, vel re- luctari,*

Iustari. Et illud Apoc. 3. v. 20. Ecce sto ad ostium, & pulsō: si quis aperuerit mibi januam, intrabo ad illum. Consentit August. lib. de Spiritu & litt. cap. 34. Consenti e, inquit: vocatiōne DEI, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est. Et in lib. de gratia Christi c. 14. Quis non videat, venire quemquam, aut non venire arbitriō voluntatis? Et in titulum Psal. 71. prope finem: Non erat in potestate tua, ut non nascereris ex Adamo? Est in potestate tua, ut credas in Christum.

7. Accedit efficacissima ratio. Constat enim ex Scriptura, alios consentire divinæ vocationis; alios resistere. Consenserunt Matthæus in telonio, Zachæus in arbore, Latro in cruce, Paulus in itinere. Resistērunt Judæi, de quibus Stephanus: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Vel ergo utrique id liberè fecerunt, vel necessariò, aut coacte. Si liberè, vicimus. Si necessariò, aut coacte. duo sequuntur absurdia. Unum: Quod nec illi laudandi, nec hi vituperandi sint. Alterum: Quod Deus det quibusdam suam gratiam, & per eam ipsos cogat ad resistendum; quod planè à divina bonitate alienum est. Quid enim hoc aliud esset, quam Deum esse authorem peccati, & conferre suam gratiam in nostram perniciem, & condemnationem? Quod tamen, ut iam videbimus, concedit Calvinus.

## C A P U T VI.

### *De Autbore peccati.*

1. **D**E hac materia sunt hæ Calvini propositiones, vel potius blasphemiae. *Prima:* Deus ab æterno efficaciter voluit, ordinavit, & prædestinavit, ut Adam peccaret, & totam posteritatem in ruinam secum pertraheret. *Secunda:* Similiter ab æterno voluit, ordinavit, & prædestinavit, ut alia peccata fierent, quæ quotidie fiunt ab hominibus. *Tertia:* Ut hæc voluntas, & ordinatio executioni mandetur. Deus quotidie mandat, urget, & impellit Diabolum,

bolum, ut maleficia concipiatur, & homines ad peccandum inducat. *Quarta*: Neque eo contentus est, sed ipse quoque per se, occulta quadam vi incitat, moveret, & necessitat miseros mortales ad omnia flagitorum genera perpetrandam. *Quinta*: Imò ipse nobiscum peccata nostra operatur; eoque magis ipse, quam nos, quòd ipse sit Principale agens, & operans; nos mere duntaxat instrumenta. *Sexta*: Quare simpliciter asserendum est: DEUS propriè esse causam, & authorem omnium peccatorum. Omnia enim fiunt ipso volente, ordinante, prædestinante, jubente, impellente, operante.

2. Hanc esse mentem Calvini, ex clarissimis ipsius verbis alibi demonstravi. Nec opus est longa confutatio. Horret animus, qui audit. Ex Scriptura disertè ait Psal. 5. v. 5. *Quoniam non DEUS volebat iniuriam tu es.* Et ibid. *Odiisti omnes, qui operantur iniuriam.* Et Sapient. 14. v. 9. *Similiter autem odio sum DEO impius, & impietas ejus.* Et Jerom. 19. v. 5. *Edificaverunt excelsa Baalim, ad comburendas filios suos igni in holocaustum Baalim: quia non pracepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Omitto similia testimonia. Sed addo hanc efficacissimam rationem: Deus non potest efficaciter id velle fieri, quod seriò, ac severè prohibet fieri; sed seriò, ac severè prohibet fieri peccata, ut patet ex decursu totius Scripturæ; ergo non potest efficaciter velle, ut fiant peccata. Nihil certius.

## C A P U T VII.

### *De Baptismo infantium.*

1. **C**Alvinistæ docent hæc duo. *Primò*: Omnes filios fidelium ab utero materno nasci Sanctos, & hæredes vitæ æternæ, ac proinde salvati posse sine Baptismo. Filios autem infidelium, etiam si baptizentur, non salvati, nec Baptismum illis proficere. *Secundò*: Filios illegitimos æternæ damnationi obnoxios esse, nec ad Baptismum admittendos.

2. Prius punctum docet Calvinus, in Antidotō Concilii Trident. Sess. 6. cap. 5. & lib. 2. Instit. cap. 6. §. 24. Et probat, quia illa promissio Abrahæ facta, Gen. 17. v. 7. *Ero DEUS tuus, & seminiſ tui post te,* pertinet ad omnes parentes fideles, & eorum filios: Ergo omnes filii fidelium vi illius promissionis sunt sancti, & hæredes vitæ æternæ: ergo si decedant sine Baptismo, nihilominus salvantur, vi promissionis. Hic error potest refelli ex tribus principiis. Primum est: Quod omnes infantes, tam fidelium, quam infidelium nascantur in peccato originali, Rom. 5. v. 12. & Epb. 2. v. 3. Alterum: Quod ratione peccati originalis sint filii mortis, iræ, damnationis. ibid. Tertium: Quod non possint effici filii Dei, nisi nascantur per Baptismum. Joan. 3. v. 3. Unde August. epist. 28. ad Hieronymum: *Quisque dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramento ejus participatione de vita exeunt; hic profecto;* & contra Apostolicam prædicationem tenit, & totam condemnat Ecclesiasticam: ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, alias in Christo vivificari non posse.

3. Nec obstat promissio Abrahæ facta. Imò ex illa sumo argumentum contra Calvinum. Potest enim dupliciter explicari: Primo: In sensu literali. Secundo: In sensu mystico. Si explicetur in literali, nihil ad rem Calvini facit. Non enim Deus, secundum litteram promisit Abrahæ, & semini eius vitam æternam, sed possessionem terræ Chanaan. Verba promissionis sunt haec: *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaam in possessionem aeternam.* Si autem explicetur in sensu mystico, tunc quidem potest intelligi de vita æterna, non tamen descendit ad filios per carnalem generationem, ut upponit Calvinus, sed per fidem in Christum, ut docet Apostolus Roman. 9. v. 6. *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sum Israelita; neque qui semen sunt Abrahæ, omni filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filii carnis, sed filii DEI: sed qui filii sunt promissionis;*

estimantur in semine. Et Galat. 3. v. 7. *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.* Et ibid. v. 9. *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fidieli Abramam.* Et ratio est manifesta; quia post promissionem Abrahæ factam, Jacob, & Esau ex parentibus fidelibus nati sunt; & tamen Esau ab utero materno non fuit sanctus, & haeres vitæ æternæ, ut patet ex illo Roman. 9. v. 13. *Jacob dilexi, Esau autem odiò habui.*

Posteriorius punctum, quod filii ex illegitimo choro nati sint obnoxii æternæ damnationi, nec ad Baptismum admittendi, docuerunt Calvinistæ in Synodo Vilnensi, anno 1589. ut refert Adrianus Junius lib. 3. de doctrina, & moribus Evangelicorum cap. 17. Sed facile refelluntur. Primo: Quia Jephthæ ex muliere meretrice natus est, ut constat, *Judic.* 11. v. 1. Et tamen Apostolus recenset illum inter Sanctos veteris Testamenti, qui per fidem salvati sunt, *Hebr.* 11. v. 32. Deinde ex Evangelio certum est: Christum æquè pro omnibus, tam legitimis, quam illegitimis mortuum esse. Hos enim nusquam legitur exclusisse, Cur ergo Calvinistæ excludunt?

## C A P U T VIII.

### *De Exorcismo.*

I. **N**ter cæmeronias Baptismi, una est Exorcismus, quo ab homine baptizando expellitur Diabolus, ne vel Baptismum, vel fructum illius impedit. Est autem duplex pars Exorcismi: *Exsuffratio, & Adjuratio:* Nam Sacerdos antequam baptizat aliquem, solet exsufflare, & adjurare Diabolum, ut exeat ab eo, qui baptizandus est. Et quidem, quando exsufflat, utitur his verbis: *Exi ab eo immunde spiritus, & da locum advenienti Spiritui Sancto; da honorem DEO vi- do, & vero.* Quando autem adjurat, utitur istis: *Exorcizo te immunde spiritus, in Nominе Patris, & Fili, & Spiritu Sancti, ut exeras, & recedas ab hoc famulo DEI.* N.

2. Nunc

2. Nunc *quaestio* est, an hæc cæremonia toleranda, & usurpanda sit? Negant Calvinistæ cum antiquis Pelagianis; Nos affirmamus cum Augustino, Chrysostomo, & aliis Patribus. *Primi*: Quia semper in Ecclesia Catholica fuit usurpata, ut fatetur Calvinus lib. 4. cap. 15. §. 19. *Secundi*: Quia ab initio in bonum, ac laudabilem finem fuit instituta, teste Augustino libr. 6. contra Julianum Pelagianum cap. 2. ubi sic habet: *Verum est, quod antiquitus veraci fide Catholica prædictatur, & creditur per totam Ecclesiam, quæ filios fidicium, nec exorcizaret, nec efflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret, &c.* Et lib. 2. de nuptiis, & concupisc. cap. 18. *Accusat Ecclesiam toto orbo diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi ejiciatur foras, &c.*

### Objec<sup>tio</sup> I.

3. **N**ec Christus instituit Exorcismum, nec Apostoli usurparunt: Ergo &c. *Resp.* Duo spectari debent in Exorcismo. *Unum* est, potestas ejiciendi dæmonem. Hanc Christus dedit Apostolis, & eorum successoribus. *Marei* 3. v. 15. *Alterum*: Externa cæremonia, quæ adhibetur ad ejiciendum dæmonem. Hanc Ecclesia instituit, partim exemplò Christi, partim suo jure, & authoritate. *Quod sic ostendo.* Illa externa cæremonia consistit in duobus. *Primi*: In exsufflatione. *Secundi*: In pronunciatione horum verborum: *Exi ab eo immunde spiritus.* Item: *Exorcizo te immunde spiritus, ut exeras ab eo.* Utroque usus est Christus. Priori quidem *Joan.* 20. v. 22. *Et cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* Sicut enim Christus per insufflationem significabat, Spiritum Sanctum ingredi in Apostolos; ita Ecclesia per exsufflationem significat, spiritum immundum exire ab infantibus. Posteriori vero *Marei* 1. v. 25. *Et comminatus est ei JESUS dicens: Obmutesc, & exi de homine:*


Objec<sup>tio</sup> II.

**D**æmon non expellitur ab infantibus per Exorcismum, sed per Baptismum. *Resb.* Per utrumque expellitur; sed diversò modò. Per Baptismum expellitur ab anima: per Exorcismum, à corpore, & sensibus. *Nota:* Dæmon habet potestatem in homines non baptizatos, ratione peccati originalis, ut recte notat, *D. Thomas* 3. p. 9. 7: artic. 2: ad I. Hanc autem potestatem habet tribus modis. *Primo* In anima, quæ per peccatum à DEO aversa est, & Diabolo subjecta. *Secundo* In corpore, quod Diabolus potest vexare, agitare, strangulare. *Tertio* In phantasia, aliisque sensibus internis, & externis, quos potest afficere per illusiones, deceptions, terrores. Hinc lequitur tribus modis expelli posse. *Primo* Ab anima, quod fit per Baptismum. *Secundò* A corpore; ne nocteat, quod fit per Exorcismum. *Tertio* A sensibus, ne ludificet, aut terreat; quod etiam fit per Exorcismum.

## C A P U T IX.

## De Præsentia Christi in Eucharistia.

**C**Alvinistæ negant, Corpus, & Sanguinem Christi verè, realiter, & substantialiter præsentem esse in Eucharistia. Nos asservimus cum Scriptura, habemus verba Christi, quæ clara sunt: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effunditur.* Hinc *Cyrillus Hierosolymitanus* cathec. 4. mystagoe ex: *Can Christus infidicat: Hoc est Corpus meum, qui deinceps audiat dubitaret.* Et infra: *Aquam aliquando mutabat in vinum;* & non erit dignus, cui credimus, quod *vinum in sanguinem transmutavit?* Plura Patrum testimonia citavi lib. 2. cap. 6. quo Lectorem remitto.



## C A P U T X.

*De Circulo Calvinistico.*

1. **D**avid Paræus Calvinista objicit nobis circulum, quod Scripturam probemus per Ecclesiam, & rursus Ecclesiam per Scripturam. Cùm enim quæritur: Unde scis Scripturam esse Divinam? Respondemus: Quia Ecclesia sua infallibili autoritate id dicit. Cùm iterum quæritur: Unde scis Ecclesiam, quæ id dicit, habere infallibilem autoritatem? respondemus: quia Scriptura id dicit.

2. Ego vicissim quæro ex illo: Unde scis, Scripturam esse Divinam? respondet, quia Spiritus hoc dicit. Sed unde scis, privatum tuum spiritum esse infallibilem, & divinum? quia Scriptura hoc dicit. Certe, & hic circulus est mihi Paræe. Nam Scripturam probas per privatum spiritum, & rursus privatum spiritum per Scripturam. Perinde, ac si afferas: Mater est proba, quia filius dicit; & filius est probus, quia Mater dicit.

3. Res sic habet: Philosophi docent, committi circulum, quando hoc per illud, & illud per hoc probamus apud eum, qui neutrum concedit; & æquè de utroque dubitat. v. g. Si negem, & Matrem, & filium esse probum, circulum committes, probando matrem esse probam, quia filius dicit; & filium esse probum, quia mater dicit: Quare? quia utrumque mihi æquè ignotum, & incertum est. Probatio autem debet procedere à notis ad ignota, vel concessis ad inconcessa: ut ex Aristotele, & aliis Philosophis manifestum est. Hinc colligo: circulum fore, si quis Christianus apud Ethnicum, qui nec Ecclesiam, nec Scripturam admittit, probare vellet, Scripturam esse infallibilem, quia Ecclesia dicit; & Ecclesiam infallibilem, quia Scriptura dicit. Nam utrumque illi æquè ignotum, æquè incertum est. E contrario, non fore circulum, si unum per al-

alterum probes apud eum, qui alterum admittit, alterum negat: v. g. Calvinista admittit Scripturam; negat Ecclesiæ infallibilitatem. Re&te ergo convincam illum hoc modo: Scriptura, quam tu admittis, dicit Ecclesiam esse infallibilem: ergo revera infallibilis est. Similiter, si quis idiota admittit judicium Ecclesiæ, & tamen nesciat in particulari, libros Machabæorum esse canonicos; facile persuadebo illi sine circulo. Si sic dicam: Ecclesia, cuius tu authoritatem agnoscis, assertaverat libros Machabæorum esse canonicos: ergo non debes de hac re amplius dubitare.

4. Et hic modus probandi usitatus est in Scriptulis, & Patribus. Ostendam uno, vel altero exemplo. Pharisei admittebant Moysen, negabant Christum. Convicit eos Christus his verbis. Joan. 5. v. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis & mibi, de me enim ille scripsit.* Contra Manichæi admittebant Christum, & Evangelium, negabant Moysen, & Prophetas. Convicit eos Augustinus simili argumentandi modō in libris contra Faustum Manichæum, & lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. I. & sequentibus. Idem nos facimus: Nam rudes Catholicos, qui dubitant de aliqua Scripturæ parte, convincimus judiciō Ecclesiæ, cui se submittunt. Hæreticos verò, qui negant Ecclesiam, convincimus ex Scripturis, quas non negant. Et sic nullum committimus circulum.


5. At Paræus hoc modo excusari non potest. Nam spiritus privatus, quem ipse fingit, à nemine admittitur. Neminem ergo ex privato spirito potest convincere. Quòd sic ostendo. Nomine privati spiritus intelligit Internam testificationem Spiritus Sancti, quam quis in se experitur. Hic spiritus habet tria Privilegia. Primum: Quòd reperiatur in solis prædestinatis. Secundum: Quòd solos prædestinatos, qui legunt, vel audiunt Scripturas, infallibiliter faciat certos de divina earum autoritate, ita, ut statim, cùm audiunt, vel legunt aliquid, infallibiliter nō sint discernere inter Scripturas Divinas, & non Divinas. Tertium: Quòd eadem infallibiliter faciat, eos certos de prælenti justitia,

futura perseverantia, & vita æterna. Hæc privilegia colligit Paræus ex illo Joan. Io. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Ubi per oves ait intelligi prædestinatos, & per vocem DEI, Divinam Scripturam.

6. Hoe posito, videamus, an Paræus possit se expedire à circulo suo, igitur quæro. Unde probas, Paræ, Evangelium Joannis esse verbum DEI? Ex privato meo spiritu, inquis. Sed unde probas, hunc tuum spiritum esse à DEO? Ex Evangelio Joannis: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Sed unde scis, hoc Evangelium esse verbum DEI? Ex privato meo spiritu. Sed unde constat, hunc tuum spiritum esse à DEO? Ex Evangelio Joannis. Sed si neges hoc Evangelium esse Divinum, unde probabis? Ex privato spiritu, qui mihi hoc testificatur. Sed cùm ille spiritus suspectus sit, unde probas à DEO esse; Jam sèpè dixi: Quid mihi molestus es? noli irasci; bone vir. Non vides te in Circulo oberrare?

7. Magis constringam te; Unde scis te habere internam testificationem Spiritus Sancti; Ex Evangelio Joannis: *Oves meæ vocem meam audiunt.* At unde scis te esse ovem Christi? Ex interna testificatione Spiritus Sancti. Sed unde scis hanc testificationem esse à Spiritu Sancto? Quia sum ovis Christi. Iterum oberras in Circulo. Nec facile elaberis. Poteris quidem sic argumentari: Oves Christi audiunt vocem sui Pastoris; sed Paræus est Ovis Christi: ergo Paræus audit vocem sui Pastoris. Major vera est; Sed minor unde probatur? Quid si dicam te hædum esse, non ovem; quid ages? An probabis te ovem esse, quia spiritum privatum habes? At volebas probare, te spiritum privatum habere, quia ovis es. En novum Circulum, quem tibi inculco: Unde constat tibi Paræ, quod habeas privatum spiritum testificantem? quia sum Ovis Christi. Ei unde constat, quod sis Ovis Christi; quia habeo privatum spiritum, qui id testificatur.

Apage cum isto Circulo.




# LIBER QUARTUS.

*De Controversiis Anabaptistarum.*

**V**aria sunt genera Anabaptistarum. *Aliqui* vocantur Cathari, id est, puri ab omni peccato. Hi omittunt illum versiculum Orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra.* *Alii* Tacentes, qui interrogati de Religione non respondent. sed quasi attoniti hærent in suis phantasijis. *Alii* Enthusiaſtæ, qui jactant se cum D̄o loqui, & cœleſtibus visionibus illustrari. *Alii* Libertini, qui putant Christianam libertatem in eo consistere, ut nulli Principi, aut Magistratui politico subjecti sint. *Alii* Mennonistæ, à quodam Menno Friso sic dicti. *Alii* aliis nominibus appellantur. Horum dogmata, seu communia omnibus, seu aliquorum propria, sunt hæc ferè. *Primi*: Nullum esse peccatum originale. *Secundi*: Infantes non esse capaces Baptismi. *Tertii*: Apud Christianos non debere esse Magistratum politicum. *Quarti*: Bellum Christianis esse prohibitum. *Quinti*: Etiam juramentum esse prohibitum. *Sexti*: Polygamiam, seu pluralitatem conjugum pro eodem tempore esse licitam. *Septimi*: Matrimonium dissolvi posse ob diversitatem Religionis. *Octavi*: Animas iustorum post hanc vitam extingui. Quæ omnia falsa sunt, ut patebit ex sequentibus.





# C A P U T I.

*De Peccato originali.*

1. **A**nabaptistæ, cum Pelagianis negant infantes in conceptione contrahere peccatum originale ex Adamo, & cum illo nasci. Sed manifestè contrà Scripturam. Psalm. 50. v. 7. Ecce enim in ini-  
quitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit mi-  
mater mea. Et Roman. 5. v. 12. Per unum hominem  
peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum  
mors: Et ita in omnes homines mors pertransiit, in  
quo omnes peccaverunt. Et Eph. 2. v. 3. Eramus, &  
nos natura filii iræ, sicut & ceteri. Natura, id est,  
ex naturali nativitate, seu propagatione ex Adamo.

2. Objicitur illud Ezech. 18. v. 20. *Filius non por-  
tabit iniquitatem patris:* Tametsi ergo Adamus pecca-  
verit, non debet hoc posteris ipsius imputari. Resp.  
*Filius non portabit iniquitatem patris, nisi sit particeps  
peccati patris.* Potest autem duobus modis esse parti-  
ceps. Primi: Si imitetur peccatum patris. Quo sensu  
dictum est Exod. 20. v. 5. *Ego sum Dominus DEUS  
tuus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in  
tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*  
Secundi: Si ipsius voluntas constituatur in voluntate  
patris, tamen Capitis seu principii totius posteritatis.  
Hoc modo sumus participes peccati Adæ juxta illud:  
*In quo omnes peccaverunt.* Vide August. lib. 3. de pec-  
cat & meritis, & remiss. cap. 7.

3. Objicitur & illud Rom. 4. v. 15. *Ubi non est  
lex, nec prævaricatio.* Sed in infantibus non est lex,  
aut cognitio legis: ergo nec prævaricatio. Resp. Illa  
lex, quam data est Adamo in Paradiso. *De ligno scien-  
tia boni, & mali ne comedas,* fuit etiam data poste-  
ris ipsius. Et quia ille transgressus est hanc legem,  
omnes quoque posteri in illo transgressi sunt, teste  
Apostolo: *In quo omnes peccaverunt.*



THEATRUM  
THEOLOGICUM  
CATOLICUM  
LIBERI  
DE BAPTISMO INFANTUM

## C A P U T I I.

### *De Baptismo Infantum.*

**A**nabaptistæ docent, infantes non esse capaces Baptismi, id-6que baptizandos non esse: Quod sic probant: Illi soli sunt capaces Baptismi, qui sunt capaces doctrinæ, & fidei: Vult enim Christus eos, qui Baptismum suscepturni sunt, prius doceri, & credere, antequam baptizentur, Matth. 28. v. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Et Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit galbus erit.* At infantes propter defectum ætatis, non sunt capaces doctrinæ, & fidei; ergo nec Baptismi.

2. Nos contra asserimus, esse capaces Baptismi, & legitimè baptizari posse. *Primiò:* Quidam sunt capaces gratiæ justificantis, ut patet exemplò Joannis Baptistarum, qui in utero materno sanctificatus est, *Luc. 1. v. 15.* Ergo possunt per gratiam sanctificantem liberari a peccato originali: Ergo sunt capaces remedii contra peccatum originale: Ergo & Baptismi. *Secundò:* Constat ex Scriptura integras familias esse baptizatas, in quibus probabile est fuisse aliquos infantes. *Act. 16. v. 15.* & *in ista v. 33.* & *1. Corinth. 1. v. 16.* *Tertiò:* Cerium est, semper usitatum fuisse in Ecclesia, ut infantes baptizarentur. Unde August. lib. 10. de Genes. cap. 13. *Coniuetudo,* inquit, *Matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Et lib. 1. de peccat. meritis, & rem. cap. 26. expresse ait, Pelagianos non fuisse auctoritate Baptismum parvulorum, quod viderent in tota Ecclesia usitatum esse.

3. Nec obstat, quod non sint capaces doctrinæ, & fidicæ, quia Christus locutus est de solis adultis, cum dixit: *Euntes, docete omnes gentes.* Et præscripsit hunc ordinem Apostolis. Primi: Ut instruerent illos in fide. Secundi: Ut baptizarent. Tertiū: Ut docearent servare præcepta Domini. Qui ordo in infantibus servari non potest. Objicies: Reprobi non sunt baptizandi: sed multi ex infantibus sunt reprobi: Ergo non sunt baptizandi. Resp. Eodem argumento probatur, nec adultos esse baptizandos, quia etiam multi ex adultis sunt reprobi.



## C A P U T III.

### *De Magistratu Politico.*

1. **A**nabaptistæ docent, non licere Christianis gerere Magistratum politicum, erigere tribunalia, exercere judicia, punire gladiō. Primi: Quia Christus id prohibet Lucæ 22. v. 25. Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic. Deinde Apostolus ait Ephesi. 4. v. 5. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Si unus Dominus, non ergo plures. Faceant igitur Reges, Principes, Magistratus. Vide unde Regicidia!

2. Hic error refellitur à Christo, & Apostolo. Nam Christus ait Matth. 22. v. 21. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsar: quæ autem sunt DEI, DEO. Et Apostolus Rom. 13. v. 1. Omnis anima potestatibus submioribus subdita fit. Non enim est potestas nisi à DEO: quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Et infra: Non sine causa gladium portat. DEI enim Minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Et 1. Tim. 2. v. 1. Obsecro itaque orationes fieri pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt. Et ad Timor. 3. v. 1. Admoneo illis,

illos, Principibus, & potestatibus subditos esse. Et i.  
Petri 2. v. 17. DEUM timete, Regem honorificate.  
Quid clarius dici potuit?

3. Cum autem dixit Christus, vos autem non sic: non prohibuit Magistratum politicum, sed instruxit Apostolos, ut ipsi, tanquam futuri Pastores animarum, non tractarent sacerdotalia, nec more secularium dominarentur, sed potius essent humiles. Similiter cum dixit Apostolus? Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, non exclusit Reges, & Principes, sed ploratatem Deorum. Unus est enim Deus, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, cuius alii Reges, & domini ministri sunt. Rom. 13. v. 6.

## CAPUT IV.

### *De Bello.*

1. Nabaptistæ concedunt, bellum ex natura sua licitum esse, & olim licitum fuisse Judæis; negant tamen licitum esse Christianis, quia Christiani debent esse mansueti, & pacifici. Sed errant. Nam & Christianis licitum est, ut docent Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 47. & epist. 5. ad Marcellinum, & epist. 50. ad Bonifacium Comitem, & Ambr. lib. 1. de officiis cap. 40. & Gregorius lib. 1. epist. 72. & alii passim.

3. Et probatur ex Evangelio. Nam Joannes Baptista rogatus a militibus. Quid faciemus, & nos? non dissuasit illis militiam, sed dixit: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Lucæ 3. v. 14. Similiter Christus rogatus a Phariseis, an liceret Cæsari dare centum seu tributum pro stipendiis militaribus, respondit: Redite Cæsari, quæ Cæsar is sunt. Vide Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. 7. Et ratio duplex est. Una: Quia Principes Christiani possunt uti gladio in puniendis

privatis malefactoribus. Rom. 13. v. 4. Ergo etiam vindicanda publica infuria. Altero: Quia bellum ex natura sua licitum est, ut supponitur: Ergo etiam licitum est Christianis, modò non sit illis peculiari mandato prohibitum: At non est prohibitum.

3. Dices: Prohibitum est à Christo Matth. 5. v. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram. Et Matth. 26. v. 52. Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. Resp. Primi testimonium potest dupliciter intelligi. Primi: Ut nunquam resistas malo, sed quotiescumque te aliquis percutit in unam maxillam, præbeas illi & alteram. Hoc necesse non est. Nam neque Christus, neque Apostolus hoc fecit, Christus enim cùm percuteretur in unam maxillam coram Pontifice, non præbuit alteram, sed restitit increpando: Si bene locutus sum, quid me cadis? Si autem male, testimonium redde de malo. (Joan. 18. v. 23.) Similiter Paulus, cùm ex mandato Pontificis juberetur percuti, respondit: Percutiet te DEUS paries dealbate. (Act. 23. v. 3.) Secundo: Potest intelligi, ut non resistas malo, id est, ut non quæras privatam vindictam, sed potius paratus sis alteram maxillam præbere, id est alteram injuriam accipere, quam acceptam uicisci privata autoritate: & intuitu privati tui boni. Hoc Christus vult. Nec inde sequitur, bellum esse illicitum. Nam etiam qui bellum infert, non debet hoc facere ex private affectu vindictæ, sed ex recta intentione boni publici, ut rectè notat August. lib. 22. contr. Faustum cap. 74. D. Thomas in 22. quest. 40. art. 1. Molina de iure, & just. disput. 107. & alii.

4. In altero testimonio sunt duas partes. Una: Converte gladium tuum in locum suum. Ubi Christus non loquitur de bello, sed modestè reprehendit Petrum, ob has causas. Primi: Quod cùm omnes Apostoli interrogassent; Domine, si percutimus in gladio? ipse solus non exspectatō Christi responsō, strinxisset gladium, & servum Pontificis vulnerasset. Secundo: Quod

Quòd temerarium esset, unum hominem contrà integrum militum cohortem inturgere. Tertiò: Quòd, si opus fuisset, Angeli Christum defendissent. An putas, inquit, quia non possum rogar e Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Quartò: Quòd non vellet suam mortem imp̄diri. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum? Hæc non obstant, quo minùs bellum sit licitum, servatis justi belli conditionibus.

5. Altera pars est: Omnes enim qui acceperint gladium gladiò peribunt. Ubi non vult significare; omnes gladiò perituros, qui gladium acceperint; quia constat hoc falsum esse; sed allegat veterem legem, quæ jubebat homicidam occidi. Genes. 9. v. 6. Quicunque effudebit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Et Levit. 24. v. 17. Qui percussit, & occiderit hominem, morte moriatur. Ex eo autem, quòd homicidas secundùm legem debeat occidi, non sequitur, bellum esse illicitum; alioqui fuisset etiam illicitum in veteri Testamento, quia ibi lex illa lata est contrà homicidas. Et ratio est, quia bellum suscipitur pro defensione publicæ justitiae, & ad publicam injuriam propulsandam, aut vindicandam; quod recte fieri potest. Homicidium autem committitur contrà publicam legem Decalogi, & contra justitiam; quòd recte fieri non potest.



## C A P U T V.

### *De Juramento.*

1. **J**urare nihil aliud est, quam Deus, qui mentiri non potest, in testem vocare. Quod duplicitate fit. Vel enim vocamus eum in testem, quando aliquid promittimus. Unde duplex solet distingui juramentum, assertorium, & promissorium. In priori vocamus eum in testem, quòd assertio nostra sit vera: in posteriori, quòd promissio nostra sincèrè facta sit.

z. Nunc

2. Nunc quæstio est, an Christianis licetum sit jurare: Negant Anabaptistæ, quia dicunt Christum prohibuisse Matth. 5. v. 33. ubi dedit nobis hanc legem: Audistis quia dictum est antiquis: non perjurabis: Ego autem dico vobis, non jurare omnino neque per cælum, quia thronus DEI est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque Jerosolymam, quia civitas est magni Regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capidum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. Quam legem repetit Jacobus Apostolus in epistola sua canonica, cap. 5. v. 12. Ante omnia autem, fratres mei nolite jura: neque per cælum, neque per terram, neque aliud quocunque juramentum. Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non.

3. Nos contra assertimus, non juramentum, sed abusum juramenti à Christo prohibitum esse. Prior pars patet, quia Apostolus Paulus sèpè legitur jurasse, quod non fecisset, si à Christo fuisset absolute prohibitum. Rom. 1. v. 9. Testis mihi est DEUS. Et 2. Corin. 1. v. 23. Tūstem invoco D E U M in animam meam. Et Philip. 1. v. 8. Testis mihi est D E U S, quomodo cupiam omnes vos in disceribus J E S u C h r i s t i. Et 1. Tim. 5. v. 21. Testor coram D E O, & C h r i s t o J E S U. Et in epist. ad Hæbreos cap. 6. v. 16. affirmat omnem controversiam finiri per juramentum. Quod etiam confirmari potest ex quotidiana praxi, quæ viget apud Christianos in judiciis, & tribunalibus. Quando enim reus tuam innocentiam non potest probare per testes, jubetur illam interpositio juramento attestari. Et sic cessat lis, & controversia.

4. Posteriorem sic explicō. Abusus juramenti in eo consistit, quod aliqui soleant facilè, etiam in rebus parvi momenti, & sine ulla necessitate Deum in testem vocare, quod est contra reverentiam D e o debitam. Hunc abusum prohibet Christus: Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Ubi particula (omnino) non significat,

sciat, quod nullo casu liceat jurare; sed quod nullâ formâ, neque per Deum, neque per creaturas licitum sit jurare absque necessitate. Quod alibi aliis verbis exprimitur. Exod. 20. v. 7. *Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum.* Et Deut. 5. v. 11. *Non usurpabis nomen Domini DEI tui frustra.* Ubi iste duas particulæ, frustra & in vanum. Idem valent, ac si dicas, temerè, & sine necessitate. Vide Aug. lib. de mendacio cap. 15.

## C A P U T VI.

### *De Polygamia.*

1. **A**nabaptistæ docent licitam esse polygamiam, id est, licitum esse homini Christiano plures simul habere uxores; quod damnatum est in Concilio Tridentino Sess. 24. can. 2. Nos tria tempora distinguimus. Primum: Ab initio mundi usque ad Abramam. Secundum: Ab Abrahamo usque ad Christum. Tertium: A Christo usque ad finem mundi. In primo fuerunt primi parentes cum proximis suis posteris. In secundo Judæi cum suis progenitoribus, Abrahamo, Isaac, & Jacob. In tertio sunt Christiani.

2. Igitur in primo viguit sola monogamia, ex Dei institutione, Gen. 1. v. 27. *Masculum, & feminam creavit eos.* In secundo concessa est polygamia. In tertio redulta est monogamia, & explosa polygamia, Matthæi 19. v. 4. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos.* Et 1. Corinth. 7. v. 2. *Unusquisque suam uxorem habeat, & uniusque suum virum habeat.*





## C A P U T VII.

### *De vinculo Matrimonii.*

1. **A**nabaptistæ docent, vinculum Matrimonii apud Christianos dissolvi posse propter hæresim alterius conjugis, quod etiam damnatum est in Trident. Sess. 24. canon. 5. Et merito. Nam Christus Matth. 19. v. 6. generatim dicit: *Quod DEUS coniuxit, homo non separet.*

2. Nec obstat, quod olim Judæis concessum sit, datō libellō repudii, dimittere uxores suas, & alias ducere; quia hoc factum est propter duritiam cordis eorum, juxta illud Matth. 19. v. 8. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Unde, & Christus generatim dixit, Marci 10. v. 11. *Quicunque dimiserit uxorem suam. & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Et Apost. Roman. 7. v. 2. *Quia sub viro est mulier vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri.* Igitur vivente viro, vobis cubitur adultera, si fuerit cum alio viro.

3. Loquor de Christianis; quia aliud est de infidelibus. Nam si duo infideles contrahant matrimonium, & postea alter conjugum fiat Christianus, & alter persistat in infidelitate, potest Christianus infidem dimittere, & cum alia Christiana contrahere, ut docet Apostolus. 1. Corinth. 7. v. 15. Quod Christianis non licet. In nullo enim casu potest maritus Christianus uxorem Christianam dimittere, & cum alia contrahere. Dices potest id facere ob fornicationem, seu adulterium, ut fatetur Christus Matth. 5. v. 22. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari:* & qui dimissam duxerit adul-

adulterat. Resp. Aliud est, dimittere uxorem suam propter fornicationem; aliud illâ dimissâ, ac vivente, aliam ducere. Prius concessum est à Christo, non posterius. Sic explicat Apostolus 1. Corinth. 7. v. 10. cùm ait: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt praeceptio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit (ob fornicationem) manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ubi duo consideranda sunt: *Unum:* Quòd aliquando uxor possit discedere a viro, ex legitima causa. *Alterum:* Quòd vivente viro, non possit alium virum accipere, sed debeat vel manere innupta, vel priori viro reconciliari.

## C A P U T VIII.

### *De animabus justorum post hanc vitam.*


1. **A**nabaptistæ, præsertim, qui Libertini dicti sunt, docent animas justorum post hanc vitam dormire, id est, extingui, ut refert Calvinus in psychopannychia, & nosfer Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 7. Potest autem duplicitate hoc intelligi. *Primo:* Quòd dormiant, seu extinguantur in perpetuum. *Secundo:* Quòd non quidem in perpetuum, sed usque ad extremum iudicii diem.

2. Priori sensu manifestè faliū est, quia tollit immortalitatem animæ. Nam si animæ justorum extinguuntur post hanc vitam in perpetuum, certè immortales non sunt, sed æquè mortales, ac animæ brutorum animalium: nec post hanc vitam habent ullam mercedem laborum suorum: Nec ulla datur Ecclesia triumphantium hominum in cœlis. Qæ omnia absurdâ sunt Christianis auribus.

3. Posteriori etiam falsum est. *Primo*: Quia anima Christi post hanc vitam non fuit extinta usque ad diem judicii. *Secundo*: Nec animæ Abraham, Isaac, & Jacob: juxta illud Matth. 22. v. 32. *Ego sum DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob.* *Non est DEUS mortuorum, sed viventium.* *Tertio*: Nec anima Samuelis, 1. Reg. 28. v. 12. *Quarto*: Nec anima Oniæ Pontificis 2. Machab. 15. v. 12. *Quinto*: Nec anima Latronis cui dictum est: *Hodie mecum erit in Paradiso.* Denique nec animæ eorum, ad quas descendit Christus in triduo mortis, 1. Pet. 3. v. 19. nec quæ cum eo resurrexerunt.

*Matth. 27. v. 53.*





# LIBER QUINTUS.

*De Controversiis Politicorum.*

**P**olitici non pertinent ad particularem aliquam sectam, sed cum quavis religione permixti sunt. Nam & apud Catholicos, & apud Lutheranos, & Calvinistas reperiuntur aliqui, qui vel pluris faciunt politiam, quam fidem Christi, vel certe, qui movent quæstiones aliquo modo ad politiam pertinentes. Porro capita, quæ ab ipsis disputantur initio hujus operis recensita sunt. Ea nunc ordine persequar.

## C A P U T I.

*An quilibet in sua fide salvari possit.*

**M**uli Politici putant, Catholicos in Catholica, Lutheranos in Lutherana, Calvinistas in Calvinistica fide salvari posse. Quod dupliciter explicari potest. Primo: Omnes, & singulos salvati posse in sua fide, modò credant in Christum, juxta illud Joan. 3. v. 15. Ut omnis, qui credit in ipsum non periret, sed habeat vitam aeternam. Ratio est. Qui tenet fundamentum fidei, salvari potest. At Christus est fundamentum fidei, testis Apostolo. 1. Cor. 3. v. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere preter id, quod positum est, quod est Christus JESUS. Ergo qui tenet hoc fundamentum, id est, qui credit in Christum, salvari potest. Jam vero Catholici, Lutherani, & Calvinistæ credunt in Christum: ergo per fidem in Christum salvari possunt.

2. Secundū: Omnes, & singulos salvari posse in sua fide, modò credant 12. articulos fidei, qui in Symbole Apostolorum comprehensi sunt. Ratio est, quia in illis articulis continetur summa, seu regula totius fidei Christianæ, ut recte notat D. Augustinus serm. 13. d. 5. de tempore, cum ait: *Symbolum est regula fidei nostræ brevis, & grandis. Brevis, numerò verborum: grandis pondere sententiarum.* Et serm. 181. Apostoli certam regulam fidei tradiderunt, quam secundum numerum Apostolorum duodecim sententiis comprehensam Symbolum docaverunt: per quam credentes Catholicam venerent unitatem, & hereticam convincerent pravitatem. Nunc autem Catholici, & Lutherani, & Calvinistæ credunt 12. articulos fidei, qui in Symbolo comprehensi sunt. Ergo per hanc fidem salvari possunt.

### Prior explicatio discutitur.

3. Prior explicatio potest duobus modis intelligi.  
 Primo: Omnes salvari posse, qui confusè credunt in Christum, etiamsi non credant in particulari præcipua mysteria de Christo. Secundū: Omnes salvari posse, qui distinctè credunt in Christum, credendo Christi divinitatem, humanitatem, nativitatem ex Virgine, passionem, mortem, resurrectionem, & alia mysteria, quæ in Symbolo Apostolorum consignata sunt. Si intelligatur hoc secundo modo, jam coincidit eum posteriori explicatione. de qua paulò post. Si autem intelligatur primo modo, falsum est. Non enim sufficit ad salutem si confusè tantum credas in Christum. Primo: Quia alioqui omnes heretici salvari possent, ut Ariani, Donatistæ, Pelagiani, & similes alii. Omnes enim ut minimum confusè credunt in Christum. At consequens est contra Evangelium, in quo zizania jubentur alligari in fasciculos ad comburendum Matth. 23. v. 25. Heretici autem sunt zizania, uti PP. communiter interpretantur. Secundū: Si Catholici in Catholica, Lutherani in Lutherana, & Calvinistæ in Calvinistica salvari possent, eo quod omnes

omnes saltēm confusē credant in Christum; quid necesse esset tot lites, & controversias inter ipsos excludere? Hoc cur Lutherani excluderent Catholicos, & Calvinistas, & hi vicissim illos? Si enim quisque per fidem in Christum salvā potest maneat quisque in sua fide? cesserent persecutio[n]es, & anathemata; servetur pax, & tranquillitas. Hoc autem non sit: ergo indicant haec partes unūquemque in sua fide salvā non posse.

4. Nec obstant testimonia Scripturæ, quæ priori explicatione allata sunt. Non enim intelliguntur de Christo in confuso, sed distinctè, & in particulari, quo ad præcipua mysteria, quæ nobis revelata sunt. V. g. Cùm Christus de seipso dixit: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat;* locutus est speciatim de sua divinitate, ut patet ex contextu, qui sic habet: *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* Et infra: *Qui credit in eum, non judicabitur:* qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine antegeniti Filii DEI. Itaque non sufficit si credas in Christum confusè, sed necesse est, ut credas in Christum; quatenus est unigenitus DEI Filius.

5. Similiter, cùm Apostolus dixit, Christum esse fundamen[t]um fidei, locutus est de præcipuis Christi mysteriis: ut alibi se explicat. Nempe de Christi divinitate, Rom. 1. v. 4. *Qui prædestinatus est Filius DEI;* De humanitate Gal. 4. v. 4. *Misit DEUS Filium suum, factum ex muliere.* De passione 1. Corin. h. 1. v. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum.* De morte, sepultura, & resurrectione, ibidem cap. 15. v. 3. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quantum Christus mortui est pro peccatis nostris, secundum scripturas:* & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die. Et infra v. 14. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est predicatione nostra: inanis est, & fides vestra.* De Ascensione, Ephes. 4. v. 8. *Ascendens in altum, captiuum duxit captivitatem.* De sessione ad dexteram DEI v. tri. Coloss. 3. v. 1. *Quæ sursum sunt quarite, ubi Christus est in astra DEI sedens:* Et de aliis similibus, que

singillatim complexus est Athanasius in *Symbolo*, & tandem ita concludit: *Hec est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

*Posterior explicatio etiam discutitur.*

6. IN posteriori explicatione sumitur hoc principium: Omnes salvari posse, qui credunt 12. articulos fidei in *Symbolo Apostolorum* comprehensos. Quod verum est cum his limitationibus. *Primo*: Si explicitè credas 12. articulos secundùm verum, & legitimum sensum. *Secundo*: Si reliquos articulos, qui non sunt in *Symbolo*, ut minitum credas implicitè, id est, si generatim credas, quod Ecclesia credit; & paratus sis in particulari credere quidquid ab Ecclesia credendum proponitur. *Tertio*: Si nullum habeas errorem veræ fidei contrarium. *Quarto*: Si serves mandata Dei. Hinc ita concludo: Illi non possunt salvari in sua fide, qui neque explicitè credunt 12. articulos *Symboli* juxta legitimum sensum, neque parati sunt alios credere, qui ab Ecclesia credendi proponuntur, neque servant mandata Dei. At Lutherani, & Calvinistæ sunt tales: ergo in sua fide salvari non possunt.

7. Minorem probo per singulas partes. *Primo*: Quia ut taceam de aliis articulis, non credunt hunc, *Sangam Ecclesiam Catholicam*. *Secundo*: Nec parati sunt credere alios articulos, qui à sancta Ecclesia Catholica ad credendum proponuntur. *Item* parati possunt sunt Ecclesiam calumniari, quasi à vera fide defecerit, & adultera facta sit. *Tertio*: Neque deserunt errores veræ fidei contrarios, de quibus libris superioribus agum est. Denique, tantum abest, ut servent præcepta Decalogi, ut etiam doceant, servari non posse: in quo partim suæ malitiæ prætextum querunt, partim accusant Deum, quasi impossibile à nobis exigat.

## C A P U T II.

*An liceat negare fidem Christi ad vitandam mortem.*

1. **R**efert Eusebius lib. 6. Historiæ Eccles. cap. 37. fuisse olim hæreticos qui docerent, non peccare eos, qui in Persecutionibus negant Christum externa voce, modò eum corde confiteantur. Idem hoc tempore sentiunt multi Politici. Sed male. Primi: Quid est contra confessionem fidei, quæ nos obligat, ut fidem Christi non negemus. Quod ipsemet Christus affirmat. Matth. 10. v. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Unde August. tract. 36. in Joannem. *Quanta vita est confiteri Christum, tanta morte est negare Christum.*

2. Deinde est contra virtutem veritatis. Nam veritas obligat nos, ut non mentiamur. Mentiremur autem, si externa voce negaremus fidem Christi quam interno corde confitemur. Hinc sequitur easdem ob causas, non licere negare, te esse Catholicum, si Catholicus es. Primi: Quia hoc esset negare fidem Christi, quod est contra obligationem confessionis fidei. Secundi: Esset mendacium, quod est contra obligationem veritatis. Quæres an etiam peccaret, qui negaret se Lutheranum, aut Calvinistam esse, si revera talis esset? Resp. Peccaret quidem contra veritatem, quia mentiretur, non tamen contra confessionem fidei, quia illa non obligat illum ad confitendam falsam fidem, qualis est Lutherana, & Calvinistica.

## C A P U T III.

*An aliquando liceat tacere, aut dissimulare  
Christi fidem.*

1. **A**livud est negare fidem. quod non licet, ut dixi: aliud tacere, dissimulare, occultare, de quo hic dispuvamus: Et potest esse duplex questio. Una: An aliquis possit tacere, aut dissimulare fidem, quando cogatur a Judaeis, Turcis, aut Gentilibus, an sit Christianus? Vel ab hereticis, an sit Catholicus? Rep. Si interrogatur a persona publica, non potest tacere, aut ambiguè tergiversari, sed tenetur aperte confiteri, quod res est, etiam cum periculo vitae. Si autem interrogatur a privata persona, potest tacere, aut eludere, dicendo. Quid ad te? quorsum meugas? Ratio est, quia publica persona habet potestatem interrogandi quam privata non habet. Vide Sanchez lib. 2. Moral. cap. 4. num. 6. & alios ibidem.

2. Altera est, an aliquis existens apud gentiles vel hereticos tempore persecutionis, possit fugere, vel se occultare, ne cogatur respondere de rebus fidei, ut sic periculum mortis evadat? Rep. Potest juxta illud Marth. 10. v. 23. Cum autem persequentur eos in civitate ista, fugite in aliam. Quod etiam Paulus tuò exemplò approbayit. Cum enim custodirentur portæ civitatis, per murum in spora dimissus est, ut fugâ se salvaret. Actor. 9. v. 25. & 2. Cor. 12. v. 13. Videlicet S. Athan. in Apologia pro sua fuga.

3. Potest tamen fieri, ut hujusmodi fuga propter aliquam circumstantiam sit illicita; præsertim in Pastore, vel Episcopo, qui ratione sui officii tenetur manere apud suos subditos, tempore communis persecutionis, etiam cum periculo vitae: idque ex duplice causa. Primum: Ne subditi fideles, qui manent in persecutione, relinquentur sine Pastore, cuius præsentia tunc maximè necessaria est, c. Sciscaitatis. 7. q. 1. Secundum: Ne infideles contemnant nostram religionem, quando vident eam a propriis Pastoribus in casu necessitatis non defendi, D. Thom. in 2. 2. q. 3. art. 2. ad 2. C. 1.

# C A P U T IV.

*An aliquando liceat simulare alienam fidem.*

1. **D**icitum est, quomodo Christianus debeat se gerere circa confessionem propriæ fidei. Nunc videndum est, an possit aliquando simulare alienam sectam, aut religionem. Quod dupliciter fieri potest. **P**rimò: Externis verbis, ut si dicat se Ariannum, aut Judæum, aut Turcam, aut Gentilem esse, sùm non sit. Hoc nunquam licet, ut supra ostendi, tum quia est apertum mendacium. **S**econdò: Externis signis, ut si cum Gentilibus adoret idolum, aut cum hæreticis publicè oret, conciones audiat, & quæ similia sunt. Est ergo quæstio, an liceat homini Christiano, & Catholicō, apud hæreticos, vel alios infideles usurpare hujusmodi signa, ut occultet se Christianum, & Catholicum esse, ne forte cognitus occidatur.

2. Aliqui generatim putant licere modò fiat animo simulandi tantum, absque interna voluntate profundi falsam religionem. Ità Adrianos in 4. q. 1. de Baptismo in respons. ad s. arg. Et videtur esse sententia D. Hieronymi in cap. 2. ad Galat. ubi ait utilem esse simulationem, & assumendam in tempore. Et excusat Apostolos, qui per simulationem usurparunt ceremonias Mosaicas, quæ iam erant abrogatae, & illicitæ.

3. Alii utuntur distinctione. Nam externa signa, quibus simulari potest falsa religio, possunt revocari ad duo capita. Quædam proprie, ac speciatim instituta sunt ad cultum falsæ religionis: alia verò, tametsi propria sint infidelium, non tamen instituta sunt ad cultum falsæ religionis, sed aliud finem. Putant igitur priora esse illicita, & contra confessionem fidei, non item posteriora. Ità Alexander, Antonius, Navarus, Bannes, & alii apud Valentiam tom. 3. q. 3. p. 2. dub. 4. Ut hæc doctrina melius examinetur, ad particularia signa descendendum est hoc modo, & ordine.



## C A P U T V.

*An liceat per simulationem idola colere?*

1. **N**on licet, Primò: Quia Apostolus damnat hujusmodi cultum. 2. Corinth. 6, v. 14. Secundò: Constat Marcellinum Pontificem graviter peccasse, quod ob metum mortis idolis sacrificaverit, ut patet ex Pontificali Damasi. Tertiò: Multi Martyres per simulationem potuissent evadere mortem, & tamen noluerunt, quia iudicabant non licere. Quartò: Qui per simulationem adorat idola, committit mendacium, non quidem verbō, sed factō, quia significat se idololatram cùm non sit: At mendacium nullo modo licitum est. (instrā cap. 20.)

2. Solent objici aliquot exempla in contrarium. Primò: Exemplum Jehu Regis Israël, qui simulabat se velle sacrificium offerre idolo Baal, ut haberet occasionem occidendi sacerdotes Baal, qui erant in templo congregati. 4. Reg. 10. v. 19. Quam ipsius simulationem approbavit Deus, cùm dixit; *Studiose egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis.* ibid. v. 30.

3. Deinde exemplum Helisæi Prophetæ, qui etiam approbavit simulationem in causa religionis. Cùm enim Naaman Syrus, ut satisfaceret Regi suo gentili, vellet per simulationem adorare idolum in templo Remmon, petivit ab Helisæo, ut pro se oraret Deus pro condonatione hujus peccati. *Resp.* Helisæus; *Vade in pace.* 4. Reg. 5, v. 19. Quasi diceret; poteris hoc bonâ conscientiâ facere, si non habes animum adorandi falsum Deum, sed tantum simulandi adorationem.

4. Tertiò exemplum Davidis, qui immutando faciem suam coram Rege Achis, simulabat se stultum esse, ut evaderet periculum mortis, quod putabat sibi imminere. 1. Reg. 21. v. 13. His exemplis utitur Adrianus loco citatō ad suam sententiam confirmādam, quam præcedenti cap. regensui.

5. Resp. Hæc exempla non obstant nostræ resolutioni. Primo; Quia Jehu per illam simulationem verè peccavit, ut docet D. August. lib. contra mendacium cap. 2. ubi id confirmat ex illo 4. Reg. 10. v. 31. *Jehu non custodivit, ut ambularet in lege Domini DEI Israël, in toto corde suo.* Nec verum est, quod Deus illam approbaverit. Solùm laudavit factum Jehu in eo, quod omnes sacerdotes Baal occiderit, & domum Achab funditus deleverit, ut ex contextu patet.

6. Adoratio Naaman Syri non fuit cæremonia religiosa, sed politica, & licita. Non enim flebatur genua in templo Remmon, ut coleret idolum, sed ut Regi suo præstaret servitium politicum. Pro quo notandum est, fuisse morem Regis Syriæ, ut inniteretur humeris alicujus famuli: sive in templo, sive in foro; ideoque famulum, cuius humeris innitebatur, ex officio debuisse hoc obsequium illi præstare, ubi cunque Rex esset. Si ergo vel staret, vel ambularet, vel genu flebatur, necesse erat famulum etiam stare, vel ambulare, vel genu flebere, non intuitu religionis, sed ratione obsequii civilis, quod qualibet servus tenetur exhibere suo Domino. Unde magna erat differentia inter Naaman, & Regem. Nam adoratio Regis siebat intuitu religionis. Cum enim esset homo gentilis, colebat idolum adoratione, seu flexione. Adoratio autem Naaman siebat intuitu civilis obsequii. Cum enim flebatur genu, non alio animo faciebat, quam ut suo Regi genu flebenti, famulandi studio subserviret. Ita Abulensis in lib. 4. Reg. cap. 5. q. 25. Liranus ibid. circa textum, Azot. lib. 8. Moralium cap. 27. q. 7. & nonnulli alii.

7. David coram Rege Achis non simulavit falsam religionem, de qua simulatione hic agimus; sed stultitiam, & morbum. An licet, quæstio est, quæ hoc non pertinet. Videatur D. Thomas in 2. 2. q.

111. art. 1. ad 3.

## C A P U T VI.

*An liceat cum hæreticis publicè orare?*

1. **S**i naturam rei spectes, non est per se malum, sed indifferens. ire ad tempora hæreticorum, aut gentilium, Potest enim, ratione circumstantiarum, vel bene, vel male fieri. Male quidem, si fiat, vel animo profitendi falsam religionem; vel cum aliorum offensione, & scandalo, vel denique, cum nostro, vel alieno periculo. Bene, si his omnibus seclusis, bona intentione oremus Deum; & aliunde sit aliqua rationabilis necessitas, cur ibi potius, quam alibi opus sit id praestare.

2. Quod duplici exemplo declarari potest. Primo: Exempli Catholicorum, qui habitant inter hæreticos. Nam si Princeps illorum sit hæreticus, & mandet, ut omnes subditi ejuscumque sint fidei, orationis tempore ad unum templum conveniant, poterunt Catholicæ id praestare: modò Princeps non mandet hoc in odium religiosi, sed ob alium finem licitum, & honestum. Ita Azor. lib. 8. moral. cap. 27. quæst. 5. Deinde exemplo servi Christiani, qui apud Turcas, vel Gentiles captus est. Nam si Dominus illius velit uti ipsius servitio, non solum domi, sed etiam in templo, potest servitum illi praestare, & dum praestat, simul animum orandi studiò, ad Deum attollere. Sicut de Naaman dictum est. Vide Azorium ibid. q. 7.

## C A P U T VII.

*An liceat conciones hæreticorum audire?*

1. **H**oc intellige in illis locis, ubi Catholicæ cum hæreticis permixti sunt, ut in Germania, Polonia, Belgio. Ratio dubitandi est, quia talis ceremonia est instituta ad cultum falsæ religionis: ergo.

et temp̄ est illicita, iuxta regulam Alexandri, Antonini, & aliorum, qui cap. 4. §. 3. citati sunt. Contra vero est, quod multi boni viri sine scrupulo audiunt conciones haereticas, quos damnare non possumus.

**2.** *Resp.* Aliud est habere conciones haereticas & aliud audire. Pr̄ius ex se malum est, quia nunquam licet docere haeresim. Post̄ius ex se indifferens est, & potest bene vel male fieri. Male quidem, si fiat vel animo discendi haeresim, vel cum scandalo aliorum, vel cum periculo subversionis. Bene, si, his malis exclusis, fiat in eum finem, ut haeticorum eratores facilis, & securius refutentur. Igitur tamē si actio docendi haeresim ex se instituta sit ad cultum falsae religionis & ideo semper illicita, tamen actio audiendi ejusmodi conciones non est determinata ad unum finem, sed ad varios ordinari potest. **Primo:** Ad cultum falsae religionis. Sic illicita est. **Secundo:** Ad confutationem erorū. Sic licita est, si absit scandalum. Idem fit in contrario. Nam etiam audire fidem Christi, poterit referri ad duos diversos fines. **Primo:** Ad eam discendam. **Secundo:** Ad oppugnandam. Pr̄io modo audiebant illam multi Iudei, & Gentiles tempore Christi, posteriori Phariſæi.

## CAPUT VIII.

*An liceat Sacra menta cum haereticis participare?*

**1.** *L*utherani, & Calvinisti agnoscunt duo tantum Sacra menta, Baptismum, & Eucharistiam.

Dico ergo prima: Non licet Baptismum ab illis petere, extra casum necessitatis. Ratio est, quia licet ipsi verum Baptismum administrent, adhibita legitima materiā, & formā cum intentione baptizandi, tamen, cùm eundem Baptismum possimus petere a Catholicis, impium, & scandalosum est confugere ad haere-

hæreticos. Adjeci, extra easum necessitatibus. Nam si esset urgens necessitas, & non adesset Catholicus, qui Baptismum conferret, liceret accipere ab hæretico.

2. Dico secundò: Non licere etiam cum Lutheranis, aut Calvinistis Eucharistiam participare, quia ipsi vel non habent verum Sacramentum Eucharistiae, ex defectu Sacerdotum consecrantium; vel si aliquando habent quod rarum est, profitentur peculiarem errorum circa idem Sacramentum. Nam Calvinistæ negant Corpus, & Sanguinem Christi realiter adesse in Sacramento. Lutherani concedunt quidem adesse, sed simul assertunt, manere substantiam panis, & vini cum substantia corporis, & Sanguinis Christi. Si ergo Catholici cum illis cōmunicarent, viderentur favere ipsorum errori.



## C A P U T I X.

*An liceat Matrimonia cum hæreticis contrahere?*

1. C<sub>on</sub>tertium est, generatim loquendo, non licere. Primi: Quia est contra prohibitionem Ecclesiæ. can. Case, & con. Non oportet, 28. q. 3. Deinde, est scandalosum. Secundi: Est periculose, quia Catholicus, qui accepit hæreticam, se, & filios suos exponit periculo subversionis. Terti: Committit sacrilegium, profanando sacramentum Matrimonii, dum illud hæreticæ personæ administrat. Quæ omnia sunt prosequitur noster Serarius in libello de Catholicorum cum hæreticis matrimonio.

2. Solet tamen speciatim disputari, an Catholicci in Germania possint contrahere cum hæreticis, præstetim cum jam usu id receptum sit? Affirmant Azorius lib. 8. Moral. cap. 15. quæst. 5. & Sanchez lib. 7. de Matrimonio disput. 17. num. 5. qui citant pro se Navarrum. Alii contrarium tenent. Ego existimo, Catholicos in Germania sumpè excusari posse. Primi: Quia Ca-

Canones illi, qui prohibent talia matrimonia, vel non sunt recepsi in Germania, vel certe per contrariam consuetudinem abrogati. Secundò: In Germania cessat scandalum. Tertiò: Fieri potest, ut Catholicus sit tam firmus in fide, ut non sit periculum subversionis: Et ab initio contractus potest excipere, ut proles catholicè edacentur. Quartò: Ignorantia potest illum excusare à peccato sacrilegii. Multi enim Catholici inculpabiliter ignorant, contractum matrimonii cum hæreticis esse sacrilegium. Imò Navarrus, Sanchius, & Azorius, qui ajunt in Germania licitum esse, negarent esse sacrilegium.


## C A P U T X.

*An liceat comitari hæreticos ad sepulturam?*

1. **A**liqui putant licere, quia nihil mali apparet in eo, quod quis sepeliat mortuos, aut funera eorum prosequatur. Alii, non licere, quia qui hoc facit, videtur illorum hæresim approbare. Sed distinguendum est. Nam in iis locis, ubi Catholici cum hæreticis promiscue vivunt, & quotidie sine prohibitione, aut excommunicationis periculo cum illis conversantur, licitum est Catholicis prosequi, & comitari funera hæreticorum, si præcisè spectetur sepultura. Primò: Quia in ejusmodi locis, ubi nulla est prohibitio, nullum potest esse scandalum: ergo saltem ex hac parte licitum est. Secundò: Sepelire mortuos, est opus misericordiae: ergo ex affectu misericordiae honestè fieri potest. Tertiò: Catholicus potest ducere uxorem hæreticam, ut ex magnis Authoribus dictum est: ergo potest illam post mortem sepelire. Hic enim minus mali apparet, quam ibid.

2. At in aliis locis, ubi prohibitum est Catholicis conversari cum hæreticis, sub pena excommunicationis, non licitum est funera hæreticorum comitari. Primò: Quia talis prohibitio, cum justa sit, obligat in con-

obscientia: ergo contra conscientiam faceret, qui il-  
lam prohibitionem transgrederetur. Secundo: Quia  
tametsi sepelire mortuos, sit opus misericordiae, quan-  
do sit ex interno misericordiae affectu, non tamen est  
laudabile; si fiat contra prohibitionem Ecclesiæ. Ha-  
bemus simile exemplum in Scriptura: offere DEO  
holocaustum, erat opus pium, ac religiosum in lege  
Mosaica: Et qui illud offerebat. At Saul, qui illud  
obtulit contra prohibitionem Samuelis, graviter pec-  
cavit, & in poenam peccati, regno privatus est 1. Reg.  
13. v. 9. & cap. 15. v. 22.



## C A P U T X I.

*An liceat libros hæreticorum legere?*

**A**ffirmant Politici. Nos distinguimus. Jure na-  
turali, ac divino prohibitum est legere libros  
hæreticorum, quando est periculum de-sec-  
tions à fide: licitum quando non est talo periculum.  
Jure humano, variae factæ sunt prohibitions. Hoc  
tempore duæ existant generales. Una in Bulla cœna  
Domini, cum adjuncta excommunicatione, reservata  
Pontifici. Altera in Indice librorum prohibitorum,  
cum adjuncta excommunicatione, non reservata Pon-  
tifici. Unde sequitur. *Primo:* Legentem libros hæ-  
reticorum sine facultate, & dispensatione, incurrit  
duplicem excommunicationem. Unam Bullæ; alteram  
Indicis: Et ab una posse abiolvi à proprio Confessorio  
ab altera, non nisi à Pontifice, aut habente privilegium  
à Pontifice. *Secondo:* Posse aliquem incidere in ex-  
communicationem Indicis, ita ut non incidat in ex-  
communicationem Bullæ, si nimirum legat libros, qui  
prohibiti sunt in Indice, & non sunt prohibiti in Bulla.  
Nam in Bulla tantum prohibiti sunt libri manifeste hæ-  
retici, in Indice plures alii.

2. Dices. *Primi*: Aliquando necesse est legere libros hæreticorum, praesertim quando errores illorum refutandi sunt, qui aliunde quam ex eorum libris integrè, & certò cognosci non possunt. Ergo generaliter illæ prohibitiones non sunt justæ, & rationabiles. *Resp.* Non sequitur, quia quando necesse est legere libros hæreticorum ad eos confutandos, tunc petenda est dispensatio, seu facultas legendi, quæ non negabatur, si is, qui petit, videatur idoneus ad confutandum.

3. Dices *secundi*: Libri hæreticorum continent multa vera, & utilia: ergo non debent prohiberi, quia fultum est, propter aliqua falsa, & in utilia, private se etiam veris, & utilibus. *Resp.* Hinc potius sequitur, non debere legi hæreticorum libros, eo quod vera falsis, & bona malis permisceantur. Sic enim decipiunt Lectorem, nam si sola falsa, & mala dicentur, ratiō ab omnibus rejicerentur: si sola vera, & bona, hæretici non essent. Itaque de industria omnia miscent, ut ex malis bona inficiant, & per bona, mala sua abscondant. Unde Hieronymus epist. 7. ad Laetam: *dena inquit, non datur, nisi melle circumlita.* Deinde si bona, & vera volumus cognoscere, facilius, & secundius, ex Catholicorum, quam hæreticorum libris cognoscemus, juxta illud ejusdem Hieronymi epist. 10. ad Furiam: *Eorum dumtaxat tractatus lege, quorum fidēs nota est.* Non necesse habes: aurum in luto querere.

## C A P U T XII.

*An liceat cum hæreticis disputare de Fide?*


1. **C**ertum est, aliquando licere, aliquando non licere. Non licet in his casibus. *Primi*: Quando Catholicus, qui disputat cum hæreticis de fide, non habet rectam intentionem: ut si disputeret, tanquam dubitans de fide. (D. Thomas in 2. 2. quest. 10. artic. 7.) Tunc enim consistit se in periculum

sum deficiendi à fide. *Secundò*: Quando est Laicus quia cum Laici ut plurimum sint indocti; sub pœna excommunicationis interdicta est illis hujusmodi disputatio. (cap. Quicunque, de hæreticis in 6.) *Tertiò*: Quando est periculum ex parte Auditorum, qui adsunt, ne perturbantur. D. Thom. suprà. *Quartiò*: Quando hæreticus, cum quo disputatur, est pertinax, & aliunde nulla utilitas ex disputatione spectari potest.

2. Dices: *Primò*: Sæpè fit, ut aliquis Laicus sit doctior, quam Clericus aut Religiosus: ergo tunc saltem potest disputare. *Resp.* Non sequitur, quia leges, feruntur generatim pro aliqua communitate, non solent spectare, quid aliquando fieri possit in hoc, vel illo casu particulari, sed quid fiat, ut plurimum. At Laici, ut plurimum sunt indocti, licet aliquando contingat hunc, vel illum esse doctum. Ergo omnes tenentur legem inhibitionis servare. Ità Navarrus, & alii citati à Sanchio lib. 2. moral. cap. 6. n. 5.

3. Dices: *Secundò*: Hinc sequitur, omnes Laicos quantumvis doctos, qui in Germania disputatione cum hæreticis de fide, non solum peccare, sed etiam excommunicatos esse, quod est absurdum, & contra communem horum opinionem. *Resp.* Non sequitur, quia in Germania, ubi Catholici, & hæretici permixti sunt, non est in usu supradicta inhibitio, sed per contrariam consuetudinem est abrogata, ac proinde non obligat: Ità Valentia tom. 2. q. 10. assertione 2.

4. Dices: *Tertiò*: Si Laicus, quia indoctus est, peccat disputando de fide, etiam Clericus peccabit, si indoctus sit. Et sic erit par ratio utriusque. *Resp.* Clericus non peccat contra inhibitionem Ecclesiasticam, de qua sermo est, quia illa comprehendit solos Laicos, sed peccat contra Jus naturale, quia exponit se periculo erroris. Hinc sequitur, tam Laicum, quam Clericum indoctum peccare: sed Laicum contra legem naturalem & Ecclesiasticam, Clericum contra naturalem tantum. Item, Laicum excommunicari, non Clericum.



## C A P U T X I I I .


*An liceat pacisci cum Hæreticis?*

1. **C**um Hæreticis non facile inveniuntur sunt contrariae causas, conventiones, foedera, pacta, sive publica, sive privata (etiam si alias licita, & honesta sint) propter tres causas. **P**rimò: Propter periculum subversionis. Nam sèpè periculum est, ne Catholici, qui paciscuntur cum hæreticis, deficiant à vera fide. **E**xod. 34. v. 15. & Deut. 7. v. 3. **S**econdò: Propter scandalum, quia aliquando fit, ut infirmi scandalizentur, quando vident Catholicos cum hæreticis iniuste pacita, & conventiones. **z.** **M**achab. 6. v. 24. **T**ertiò: Propter perfidiam hæreticorum. Non enim facile paciscendum est cum iis, qui non servant fidem. Hæretici nec Deo, nec hominibus servant fidem.

2. **Q**uod Deo non servent, probo exemplò Lutheri. Is triplici titulo fuit perfidus in DEUM. **P**rimò: Quia fidem Catholicam, quam in Baptismo suscepserat, & multis annis professus fuerat, tandem abjecit; quæ summa perfidia est. In qua imitatus est Hymenæum, & Alexandrum, de quibus Apost. 1. Tim. 1. v. 19. Circa fidem naufragaverunt, quos tradidi Sathanæ. **S**econdò: Quia cum esset Monachus, solemní voto promisit Deo perpetuam castitatem. Non servavit, sed monialem simili voto obstrictam, sacrilegō coniubio sibi adjunxit. Similis mulierculis, de quibus idem Apostolus 2. Timoth. 5. v. 11. Cum luxuriata fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. **T**ertiò: Quia cum publico ritu in Academia catholica Doctor Theologie promoveretur, juramento se obstrinxit, defensurom se illam doctrinam, quæ tunc multis sæculis usu erat recepta. Nec hoc præstitit. Novam doctrinam est commentus, quæ tertia perfidia est. Luthérium secuti sunt Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ. Plerique, si non

triplici, ut Lutherus, certè, vel uno, vel duplice  
titulo perfidi in Deum.

3. Hinc infero, si tam improbi sunt, ut pro nihilo  
ducant fidem Deo promissam violare, neque nobis  
promissam servatuos. Res ipsa loquitur. Exstant  
exempla vetera, & nova. Vetera taceo. Nova omni-  
bus nota sunt.



## C A P U T X I V.

*An si paciscaris cum Hæreticis, fides servanda  
sit?*

1. **D**ixi non facilè paciscendum cum illis esse; si  
tamen pactus es, & nihil aliud obstat, quam  
hæresis, fides servanda est, non minus, quam  
si cum Catholicis pactum iniisses; ratio est, quia ob-  
ligatio pacti, seu motuæ promissionis oritur ex triplici  
virtute, nempe veritatis, fidélitatis, & justitiæ, Ve-  
ritas ad hoc obligat, ut sincerè, & non fidele promittas,  
id est, ut quod verbò promittis, etiam animo pro-  
mittas, ne mendax sis. Fidelitas ad hoc, ut opere  
præstes, quod promissum est, ne perfidus sis: Ju-  
stitia ad hoc, ut alteri, cum quo pactus es, tribuas jus  
suum, quod illi debetur ratione pacti, ne injuriosus sis.  
At hæ virtutes æquè te obligant, sive cum Catholicis,  
sive cum hæreticis paciscaris. Nunquam enim licet  
mentiri, nunquam perfidum esse, nunquam alterius  
jus violare, seu injuriam facere. Et sanè si semel con-  
cederes, hæc ideo licere, quia hæretico mentiris, hæ-  
retico perfidus es, hæretico injuriam dicis; conseguen-  
ter dandum esset licere tibi hæreticum occidere, furtò  
res ejus auferre, odio eum prosequi. Quæ omnia ab-  
surda sunt, & divinæ legi repugnantia.

2. Excipio tamen tres casus (quos boni Authores  
excipiunt) in quibus non teneris servare fidem, sive  
Catholico, sive hæretico promissa sit. *Primus est:*  
*Quando promissio, vel pactum est de re turpi, vel illi-  
cita;*

cita; ut si paciscaris cum aliquo de committendo furto, homicidio, adulterio, mendacio, usura. Hujusmodi enim pactum non obligat, cum nemo obligari possit ad peccatum. Quo spectat illud vulgare: *In malis promissis rescinde fidem.* Secundus est: Quando pactum vi, aut metu cadente in constantem virum, injuste extortum est. Tunc enim potest rescindi pro arbitrio ejus, qui injuste metum, aut vim passus est, cap. 2. & 4. Et his, quæ vi, & l. ultima, eodem tit. Et rectè, quia qui injuste metum, aut vim ineussit, fecit alteri insuriam: ergo tenetur illum in priorem statum restituere. Tertius est: Quando is, cum quo pactus es, non servat tibi fidem. Tunc enim nec illi teneris servare, respectu ejusdem pacti juxta illud: *Fragenti fidem, fides frangatur eidem.* Et regula Juris est: *Frustra quis fidem postulat sibi servari ab eo, cui fidem à se fratram servare recusat.* Hæc omnia accommodari possunt ad particulares casus, qui quotidie occurunt.

## C A P U T XV.

*An hæretici propter hæresim puniri possint.*

1. **A** Gimus solūm de pæna capitis. Et quæstio est, an Princeps, vel Magistratus possit hæreticos, propter solam hæresim, pæna capitis punire? Affirmant Calvinistæ; negant Lutherani. Nos distinguimus. Duo enim spectari possunt in hæresi. Primo: Quod sit peccatum. Et hoc illi commune est cum omnibus aliis peccatis. Secundo: Quod turbet pacem, & tranquillitatem Reipublicæ. Hoc non est illi commune cum omnibus, sed tantum cum aliquibus, ut cum homicidio, furto, rapina, adulterio, rebellione, & similibus. Priori modo non punitur à Magistratu pænâ capitidis, sed posteriori. Et quidem justè.

2. Primo: Quia in Veteri Testamento pæna mortis affecti sunt idololatræ, falsi Prophetæ, blasphemæ,

& qui similia peccata, quæ rem publicam turbare solent, perpetrassent. Moyes jussit occidi multa milia Israëlitarum, eò quod adorassent idolum Vituli, & à reliquo populo secessionem fecissent. Exod. 32. v. 27. Helias interfecit Baal, 3. Reg. 18. v. 40. Idem fecit Jehu, 4. Reg. 10. v. 25. Mathathias trucidavit quendam Judæum sacrificantem Idolis, 1. Mach. 2. v. 24. Neque solùm usitata fuit hæc pæna, sed etiam à Dño præcepta, Levit. 20. v. 2. & cap. 24. v. 16. & Num. 25. v. 5. & Deut. 13. v. 6. & alibi.

3. Secundò: In N. T. pæna mortis afficiuntur homicidæ, fures, adulteri, rebelles: At hæretici non minùs turbant pacem, & tranquilitatem reipublicæ, quam illi: si ergo illi justè merentur hanc pænam, merentur etiam hæretici. Dices, Non est parratio. Nam homicidæ, fures, adulteri, rebelles turbant pacem politicam, & ideo puniuntur à Magistratu politico. At hæretici non turbant pacem politicam, sed Ecclesiasticam; & ideo non debent puniri à Magistratu politico pæna corporali, sed ab Ecclesiastico pæna spirituali. Responde: Hæretici turbant utramque pacem. Primò: Quidem, ac per se, pacem Ecclesiæ, quæ consistit in unitate fidei. Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Deinde, consequenter pacem reipublicæ, quæ publica animorum dissensio, ibi publica pax esse non potest. Hoc testatur Christus, cum ait: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Testantur exempla vetera & nova. Ariani turbaverunt totum Orientem, Macedoniani, Graeciam, Iconomachi, & Albigenses. Romanum Imperium; Hussitæ, Bohemiam? Calvinistæ Angliam, Galliam, Belgium, Poloniæ. Et his proximis annis, qui obsecro excitârunt rebellionem contra Pientissimum nostrum Imperatorem Ferdinandum II. Res nota est omnibus.

4. Nec mirum. Nulla unquam familia fuit, in qua dissentiens religio pacem non turbârit. Exempli gratia discordia inter Isaac, & Ismaëlem in familia Abraham; inter Jacob, & Laban in Mesopotamia; inter Moy-

Moysen, & uxorem ejus Sephoram, dum irent in Agyptum. Quomodo ergo in toto regno, Provincia, civitate pax sperari potest, ubi religionis, ac fidei summa est discordia? Certè non potest. Nam ubi hæretis, ibi superbia; ubi superbia, ibi dissensio. Cùm ergo hæretici superbi sint, cùm in Ecclesia dissensionem excent, cùm altaria nostra evertant, cùm sacrificia, jejunia, & festa nostra execrentur, Clerum abigant, ceremonias contemnant, imagines destruant; quomodo in politicis pacem, & concordiam nobiscum servaturi sunt? Vix sperari id potest. Qui olim coniunctiores, quam Judæi, & Itraélitæ? Fratres erant. At postquam aliare contra altare, templum contra templum erectum est; mox in expiabili odio dissociati sunt.

5. Nunc repeto argumentum, quod posui, sub hac forma: Hæretici magis perturbant pacem Christianam, quam homicidæ, fures, adulteri: At hi justè puniuntur pénâ capitis: ergo multò magis illi. Major probata est, quia pax Christiana est duplex: *Una*: Ecclesiastica, quæ consistit in unitate fidei, & Sacramentorum: *Altera*: Politica, quæ consistit in externa justitia, tranquillitate. Utramque turbant hæretici; alteram tantum homicidæ, fures, adulteri. Ergo illi perniciosiores sunt, quam hi. Magis igitur pénâ capitis plectendi.

6. Objici solet parabola zizaniorum Matth. 13. v. 29. Ubi servi quærebant à Domino, an deberent eradicare zizania, quæ in medio tritici succreverant. Et respondit illis: *Non*, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul, & triticum. *Sinite utraque crescere usque ad messem*, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, &c. Ubi per zizania intelliguntur hæretici; per triticum, Catholici; per messem, dies judicii; per messores. Angeli. Vult ergo Christus per hanc parabolam significare, hæreticos non esse eradicandos, id est, non interficiendos: sed simul cum Catholicis in eodem agro, id est, in eadem Ecclesia, usque ad diem judicii relinquendos.

7. Resp. Christus per zizania non intelligit solos hæreticos, sed omnes malos, sive sint Catholici, sive hæretici: sicut per triticum, vel bonum semen, intelligit omnes bonos. Sic ipse met explicitat, cùm ait: *Bonum semen sunt filii regni, zizania autem filii nequam.* Nec tamen intelligit omnes bonos, & malos pro quo-cunque tempore; sed omnes, qui tales perseverant usque ad finem viæ, id est: omnes prædestinatos, & reprobos. Igitur, qui ad tempus mali sunt, & postea benè moriuntur, non sunt zizania, sed triticum. Et viciissim, qui ad tempus boni sunt, & postea male moriuntur, non sunt triticum, sed zizania. Quid etiam explicat Christus verbis jam citatis, cùm ait per triticum intelligi filios regni, id est, prædestinatos; & per zizania, filios nequam, seu Diaboli, id est, reprobos. De his subdit; *Et mittent eos in caminum ignis.* De illis verò: *Fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Cùm ergo in hac vita non possit nobis constare, qui sint benè, vel male morituri, seu, qui sint prædestinati, & qui reprobri, non potest etiam constare, qui sint triticum, & qui zizania: Ac proinde nec possumus, nec debemus zizania separare à tritico, ne erremus. Hoc primum fiet in die judicii, quando Angeli separabunt malos à bonis, hædos ab ovibus, reprobos à prædestinatis. Quo etiam sensu dixit Apost. 1. Corin. 4. v. 5. *Nolite ante tempus judicare, quo ad usque veniat Dominus ( in die judicii ) qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,* 2. Tim. 2. v. 19. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Quasi dicat: alii in hac vita non cognoscunt.

8. Hinc patet: aliud esse in hac vita eradicare zizania; aliud, in hac vita occidere hæreticos, fures, homicidas, adulteros. Hoc licet, illud non licet. Nam Reges, & Principes acceperunt à Deo jus gladii, ut puniant hujusmodi malefactores, quando constat tales esse, quod constare potest. Rom. 13. v. 4. At nemo nostrum accepit à Deo jus, seu potestatem colligendi zizania de medio tritici, id est, separandi reprobos à prædestinatis, quia nemini constat, quinam illi sint.



## C A P U T XVI.

*An Princeps Catholicus possit Hæreticos in sua Provincia tolerare?*

1. **H**Æc duo distincta sunt. *Primò*: Princeps Catholicus concedit suis subditis, ut fiant hæretici, vel introducit hæresim; vel introduxitam confirmat, & ratam habet, vel alio quocunque modo positive in eam consentit, & cooperatur. *Secundò*: Princeps Catholicus solum permittit, seu tolerat hæreticos in sua Provincia. Prius nullo modo licitum est; quia hæresis est peccatum, & quidem maius peccatum, quam furtum, homicidium, adulterium: At Princeps nullo modo potest concedere suis subditis, ut fiant fures, homicidae, adulteri; neque potest introducere hujusmodi peccata in suam Provinciam, neque introducta confirmare, & rata habere; neque alio quocunque modo positivè in ea consentire, & cooperari. Ergo idem de hæresi dicendum est. Nemo dubitat.

2. De posteriori quæstio est, quam hoc loco disputamus; an scilicet Princeps in aliquo casu possit permettere, seu tolerare hæresim in sua Provincia, in qua Catholici, & hæretici permisi sunt? Aliqui absolute negant. *Primò*: Quia nullo modo licet favere hæreticis; & qui favent, incurront excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. At tolerare, seu permettere hæresim in sua Provincia est favere hæreticis; ergo non licet. *Secundò*: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona, teste Apostolo Rom. 3. v. 8. At hæresis sine dubio mala est; ergo non licet eam tolerare, etiamsi aliquid boni inde eventurum sit. *Tertiò*: Reges Hebræorum, qui olim in suo regno permittebant idololatriam, gravissime à Deo reprehensi sunt; ut Jeroboam, Joram, & alii plures: ergo signum est, hujusmodi permissionem Deo displicere.

3. Alii rectius sentiunt: Principem in quibusdam casibus posse permettere hæresim; in quibusdam non posse. Ac primò certum est: posse permettere, quando non potest impedire; ut si in aliqua civitate, vel Provincia sint multò plures, & potentiores hæretici, quam Catholici; & sint tamē pertinaces, ut non possint, nisi vi coacti ab exercitio cohiberi. Quid faciat tunc Princeps? non potest eos vi cogere, quia non est potens; nec aliis occurrit impediendi modus, cùm sint pertinaces; igitur tolerandi sunt, quamdiu aliter fieri non potest.

4. D. Thomas in 2. 2. qu. 20. art. 11. addit alios duos casus. Unus est: Quando ex permissione speratur majus bonum. Et hoc modo etiam Deus permittit non solum hæresim, sed alia omnia peccata, quæ in hoc mundo sunt; quia potest inde majus bonum elicere, juxta illud Gen. 50. v. 20. *Vos cogitastis de me malum inquit Joseph ad fratres suos. Sed DEUS vertit illud in bonum, ut exaltaret me, & salvos facheret multis populos.* Aug. in Ench. c. 27. Melius iudicavit de malis bene facere, quam inala nulla esse permettere.

5. Alter est. quando ex permissione evitatur majus malum, quod aliter evitari non potest; ut si Princeps Catholicus vellet quidem impedire, vel coercere hæreticos in sua Provincia; sed si tentaret, ipsi cum vicinis populis, & principibus hæreticis, impetu facto Catholicos opprimerent, & eorum exercitium abolerent. Tunc enim consultius esset permittere, seu tolerare hæreticos permixtos cum Catholicis, quam cum tanto dispendio, & jactura illos irritare.

6. Extra hos casus non potest Princeps permettere hæreticos in sua Provincia, vel civitate. Itaque peccant illi qui ex mera negligentia permitunt illos sensim irepere: vel qui spe lucri temporalis libenter eos tolerant; ut fieri solet in quibusdam magnis emporiis, ubi Hæretici, Judæi, Turcæ, Gentiles tolerantur ratione mercaturæ: vel qui ob cognationem, affinitatem, aut alium respectum humanum non volunt eos offendere, aut impedire: quod vitium latè patet.

7. Quæres: An Princeps non solum possit permittere, seu tolerare hæreticos, sed etiam promittere, seu pacisci se permissurum, seu toleraturum? *Resp.* Hæc regula servanda est: Quandocunque permisso, seu tolerantia alicujus mali licita est, tunc etiam promissio talis permissionis, seu tolerantiae licita est. Quando autem permisso, seu tolerantia est illicita, tunc etiam promissio illius est illicita. Patet in simili: nam si matrimonium inter Petrum, & Catharinam potest esse licitum, etiam promissio talis matrimonii potest esse licita. Si autem matrimonium, ratione alicujus impedimenti, non potest esse licitum, nec promissio potest esse licita. Ratio philosophica est; quia honestas, vel turpitudo actionis pendet ab honestate, vel turpitudine objecti; sed promissio est quædam actio; Ergo honestas, vel turpitudo illius pendet ab honestate, vel turpitudine rei promissæ, quæ est illius objectum. Si igitur res promissa honesta, & licita est, etiam promissio honesta, & licita est. Et è contrario, si illa est illicita, etiam hæc illicita est.

8. Argumenta contraria, quæ initio allata sunt, facile diluuntur. *Primum* est: Non licet favere hæreticis: sed qui permittit hæresim, favet hæreticis. *Ergo:* *Re/p.* Major vera est hoc sensu; non licet favere hæreticis, quoad hæresim. *Minorem* distinguo: Qui permittit hæreticos sine legitima causa, favet illis; secus, si ex legitima causa.

9. *Secundum* est: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: at hæresis mala est: Ergo non licet eam tolerare. *Resp.* Negatur consequentia. Nam aliud est, facere malum; aliud permittere, seu tolerare malum. Verum est: non esse facienda mala, ut eveniant bona: falsum: non esse permittenda mala, ut eveniant bona. Potest igitur fieri duplex syllogismus. *Prior:* Non sunt facienda mala, ut eveniant bona; sed hæresis est mala, ergo non est facienda, ut inde eveniat bonum. Totum concedo. *Posterior:* Non sunt permittenda mala, ut eveniant bona: sed hæresis est mala: ergo non est permittenda, ut inde eveniat bonum. *Major* falsa est.

Nam Deus permittit omnia mala, quæ fiunt in hoc mundo, ut eveniant bona; & tamen non peccat.

10. *Tertium* est: Reges Hebræorum, qui olim in suo regno permittebant idololatriam, à Deo reprehensi sunt: Ergo. *Resp.* Aliqui ex illis Regibus fuerunt idololatræ, qui non solum permittabant, sed etiam approbabant, & promovebant idololatriam, ut omnes Reges Israël, & nonnulli ex Regibus Juda. Hi meritò reprehensi sunt. Alii non erant idololatræ, sed fideles ex quibus aliqui permittebant idololatriam, vel ex negligencia, vel ex respectu humano: qui etiam digni erant reprehensione. Alii ex timore periculi, ut Josphat, qui initio regni non ausus fuit auferre excelsa. 3. *Reg.* 22. v. 44. Postea tamen factus audacior, abstulit. 2. *Paral.* 17. v. 6. Quo nomine fuit commendatus.



## C A P U T XVII.

*An Princeps, vel Magistratus possit Judæos tollere in sua Civitate, vel provincia.*

1. **T**ria spectari debent in Iudæis. *Prima:* Secta, & exercitium Judaicum. *Secunda:* Usura. *Tertia:* Odium in Christianos. Hæc omnia mala, & prohibita sunt. Est ergo quæstio, an Princeps, vel Magistratus possit hæc mala permettere, seu tollere? Et quæ possit esse legitima causa permittendi, seu tolerandi? *Resp.* Per sequentes conclusiones.

## CONCLUSIO I.

1. **M**agistratus potest permettere ritus, & exercitium Judæorum, si adsit sufficiens causa. Hoc facit Pontifex Romæ, & multi Principes in suis Provinciis. Causa triplex assignari potest. *Prima:* Ut per ritus Judaicos, v. g. per circumcisionem, & Agnum paschalem adumbretur, & confirmetur veritas Christiana de Baptismo, & Eucharistia. Hanc causam approbat D. Aug. lib. 18. de Civitate Dei cap. 46. & D. Thom. in

in 2. 2. qu. 10. art. 11. Altera: Ut Judæi, qui exercent suos ritus, & intelligunt à Christianis, inter quos habitant, ritus illos fuisse tantum umbras, & figuræ Christianæ religionis, facilius convertantur ad fidem Christi. Hanc etiam approbat D. Thom. locò citatò. Tertia: Ut Principes, vel Magistratus Christiani sub prætextu permissionis possint accipere pecunias, & alia munera à Judæis, quibus permittunt exercitium; hec non licet. Nam peccata publica, quibus offenditur Deus, non possunt permitti propter solum lucrum temporale, quod ex permissione speratur.

## CONCLUSIO II.

3. **M**agistratus potest permettere usuras Judæorum, si adsit sufficiens causa. Hoc etiam facit Pontifex, & multi Principes Christiani. Causa potest esse duplex. Una: Ad impediendum m'jus malum. Si enim non permetterentur usuræ, multa fierent furta, rapinæ, oppressiones pauperum, desperationes, & his similia incommoda. Igitur ad hæc evitanda permitti possunt usuræ, tanquam minus malum. Altera: Ut Principes, & Magistratus Christiani, qui permittunt usuras, sint participes lucri; hoc non licet; quia certum est: usuras jure naturali, ac divino prohibitas esse; & lucrum, quod per usuras acquiritur, esse merum furtum. Sicut ergo peccant Judæi contra justitiam, accipiendo lucrum usurariorum; ita peccant Christiani, qui sunt participes illius lucri. Censentur autem esse participes, quando eo fine permittunt usuras, ut possint inde aliquid lucri decerpere.

4. Hæc conclusio dupliciter limitanda est. Primo: Quod permitti possint usuræ communes, quæ non exceedunt lucrum, quod lege, vel consuetudine permisum est; non autem usuræ exorbitantes, de quibus paulò post. Secundo: Quod Magistratus non possint participes esse lucri usurarii, propter solam permissionem usurarum, tametsi alio titulo possint. Et quidem duplicit. Primo: Titulò punitionis; quia potest punire Judæos propter usuras; & lucrum, quod ex usuris injustè acqui-

quisitum est, vel restituere suis dominis; vel, si incerti  
sint Domini, in publicam utilitatem convertere. Se-  
cundò: Titulò exactiōnis; quia potest exigere à Judæis  
annuum tributum, seu vectigal, non ratione permis-  
sionis usurarum, sed ratione concessæ habitationis in  
loco Christiano.

## CONCLUSIO III.

5. **M**agistratus, vel Princeps Christianus non potest  
bonâ conscientiâ permittere, aut impunitum  
relinquere odium Judæorum in Christianos.  
*Notas:* Duplex est odium: *Unum* internum, quod cùm  
occultum sit, à Magistratu puniri non potest. *Alterum*  
*externum*, quod erumpit in apertam injuriam. Hoc  
à Magistratu coercenti potest, ac debet. Dicimus ergo,  
hujusmodi odium, quando à Judæis in Christianos ex-  
ercetur, nullo modo tolerandum esse, sed severè pu-  
niendum: & Principem graviter peccare, si delinqua-  
tes non puniat. Ratio est: quia Princeps ex officio te-  
netur punire omnem injuriam publicam, ut justitia  
conservetur: ergo etiam tenetur punire injuriam,  
quam Judæi committunt in Christianos.

6. Quæ sanè injuria multiplex est. *Primiò:* Quia  
apertè blasphemant Christum. *Secundiò:* Infantes Chri-  
stianorum occultè surripiunt, mactant, & sanguine eo-  
rum, nescio qua superstitione, satiantur. *Tertiò:* Exi-  
gunt intolerabiles usuras à civibus, rusticis, militibus,  
pauperibus. Quidquid autem exigunt ultra sortem,  
furtum est, intolerabile ergo furtum committunt.  
*Quartò:* Exigendo hujusmodi usuras, plurimum nocens  
Reipublicæ, seu communitati. Non enim potest stare,  
aut florere Respublica, quando populus usuris oppressus,  
& exhaustus est. *Quintò:* Præter usuras accedit alia  
injuria. Nam quidquid in foro venale est, hoc Judæi  
præripiunt Christianis, offerendo majus pretium ven-  
ditoribus, quam alii emptores offerre solent. Ac postea,  
quod iniquissimum est, coguntur Christiani duplex pre-  
tium dare Judæis, si velint emere. quæ ad familiam  
alendam necessaria sunt. *Sextò:* Ut hæc omnia impune  
faciant,

faciant, distribuunt munera Officialibus Principum, ut ab iis protegantur. Hinc fit, ut populus, qui ægræ fert hujusmodi injurias, pronus sit ad concitandam seditionem, tum in ipsos Judæos, tum in patronos, ac defensores; in illos quidem, quia fures, & expilatores sunt; in hos vero, quia sunt socii futuri, & expilatorum.

7. Hæc tanta mala, ut reliqua dissimulem, si Princeps, aut Magistratus non impedit, vel punit, particeps est peccati, & ad restitutionem tenetur. Potest autem tripliciter impedire. *Primò*: Si Judæos expellat ex sua Provincia, vel civitate. *Secundò*: Si non expellat quidem, sed cogat eos ad agriculturam, vel artes mechanicas, vel ad alia opera servilia exercenda; nec patiatur eos in otio, & luxu vivere, sicut jam vivunt. *Tertius*: Si privet eos omnibus pecuniis, ac divitiis per usuram acquisitis, & in bonum publicum convertat. Ultinam hæc in præmixta deducantur.

8. *Objicies*: Si Judæi, vel expellantur, vel usuras non accipiant, sequentur duo incommoda. *Primò*: Quia Principes, tempore necessitatis non habebunt pecuniam pro bello; hanc enim solent petere à Judæis. *Secundò*: Subditi Principum, qui egerint pecuniâ, non poterunt mutuò accipere. *Resp.* Quod hæc incommoda non sequantur, constat in iis Regnis, & Provinciis, ubi nulli Judæi sunt; & tamen Principes, & subditi non queruntur. *Addo*: contrarium potius sequi. *Primo*: Quia expulsis Judæis plus præsidii conferre poterunt cives, quam Judæi solent. Nam quidquid Judæi conferunt, hoc per injustas usuras accipiunt à civibus & neque hoc solum, sed quidquid ipsis, vel ad vitam alienam, vel ad corrumpendos Officiales necessarium est, accipiunt igitur à civibus tres portiones. *Unam*: quam dant Principi; *alteram*: quam dant Officialibus; *tertiam*: qua se alunt. Certè si cives expulsis Judæis retinerent has tres portiones, parati essent plus dare suo Principi, quam Judæi dant. Hi enim dant unam portionem ex tribus; illi duas darent. Et nihilominus unam pro se retinerent, qua nunc carent.

## CAPUT XVIII.

*An Reges, & Principes habeant Primatum Ecclesiæ?*

1. **H**Æc quæstio disputatur propter Regem Angliæ, qui usurpat sibi Primatum, seu supremam gubernationem Ecclesiæ Anglicanæ: & vocat se caput ejusdem Ecclesiæ; quod etiam ante ipsum fecerunt, Elisabetha, Edovardus, & Henricus VIII. De qua re scripsi libellum ante plures annos, in quo ostendi, Regem Angliæ, nec jure naturali, nec divino, nec humano, nec consensu doctorum hominum, nec titulô præscriptionis, nec secundum principia suæ Doctrinæ habere hujusmodi Primatum.

2. Nunc idem brevissimè ostendo. *Primo:* Quia Christus, qui fuit primarium Ecclesiæ Caput, non dixit Herodi Regi, sed Petro Apostolo: *Pax oves meas.* Ergo huic, non illi commissa est gubernatio Ecclesiæ. Similiter Paulus, non Regibus, sed Episcopis tribuit hoc officium, Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Et confirmatur ex praxi, quæ tempore Apostolorum servata est. *Quis tunc Ecclesiam gubernavit?* Apostoli. *Quis primum Synodum indixit?* Apostoli. Act. 15. v. 6. *Quis huic Synodo præsedidit?* Apostoli. *Quis legem Ecclesiasticam de abstinentia ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato fancivit?* Apostoli. *Quis Corinthium incestuosum excommunicavit?* Paulus Apostolus 1. Cor. 5. v. 3. *Quis accusationem adversus Presbyteros, tanquam legitimus Judex admisit?* Timotheus Episcopus. 1. Timot. 5. v. 19. Nullæ hic partes Regum; nullum vestigium.

3. Hæc homini prudenti sufficiunt. Addo tamen: ipsos Angliæ Theologos, qui hoc tempore scribunt de Primatu sui Regis, adeò inter se dissentire, ut magis defruant Primatum, quam astruant. Hoc patet ex his quæstionibus. *Prima:* An Rex Angliæ habeat aliquem

Primum in Ecclesia? Plerique afferunt. At Richardus Thomsonius maluit, Suprematum, quam Primum appellare. Secunda: An Primatus ille, quem Rex habet, sit Ecclesiasticus, & spiritualis? Aliqui sic vocant: At Thomsonius, & Burillus non audent sic vocare, sed potius Primum quoad Ecclesiastica, & Spiritualia. Tertia: An Rex ab hoc Primum possit vocari Primas Ecclesiae? Henricus Salcolbrigensis simpliciter affirmit. Tokerus, & Burillus simpliciter negant. Quarta: An Rex a suo Primum possit vocari supremum Caput Ecclesiae? Hunc titulum usurparunt Henricus VIII. Edwardus, & Elisabetha. Hoc tempore adserit illum Sacellanus; sed Tokerus, & Burillus repudiant. Quinta: An Primatus Regis consistat in aliqua jurisdictione Ecclesiastica fori exterioris? Affirmant Tokerus, & Salcolbrigensis. Negant Thomsonius, & Burillus. Vide plura in libello nostro, qui inscribitur, Dissidium Anglicanum de Primate Regio.

## C A P U T X I X.

*An, qui juravit se mansurum in Lutheranismo,  
teneatur praestare?*

I. **H**oc tempore reperiuntur multi Lutherani in Germania, qui quidem bene affecti sunt erga fidem Catholicam, sed non audent illam profiteri; quia jurarunt se in Lutheranismo usque ad mortem perseveraturos; & hoc juramento putant se obligatos esse. Sed errant: quando enim juramentum est de re turpi; & illicita, non obligat, nec servandum est: At juramentum, quo quis promittit se permansurum in sua fide, ac religione (qualis est Lutherana) est de re turpi, & illicita: ergo nec obligat, nec servandum est. Major patet ex utroque jure. Ex civili, quia Justinianus Imperator L. Imperialis, de Nuptiis, sic decernit: *Legibus expressum est, illicitae rei jusjurandum servari non oportet.* Ex Canonico, quia apud Gratianum 22. q. 4. per varia capitula habentur hæ regulæ. Primo: Tolerabilius est juramentum non implere, quam turpiter facere.

*Secundū: Juramenta illicita laudabiliter solvuntur, damna  
nabiliter observantur. Tertiū: Juramentum non est  
vinculum iniquitatis. Quartū: Tolerabilius est non im-  
plere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio.*

2. Quod etiam multis exemplis confirmatur. *Prī-  
mū: Exemplū Hērodis, qui peccavit servando illicitum  
juramentum (cap. est etiam ibid.) Deinde: Exemplū  
Davidis, qui laudatur, quod non servaverit juramen-  
tum, quo promiserat se interfectorum Nabal, (cap. Si  
aliquid, ibidem) Tertiū: Exemplū mulieris adulteræ;  
quæ juraverat, se adultero adhæsuram; & quia hoc non  
præstitit, censetur prudenter fecisse. (cap. mulier, ibid.)  
Quartū: Exemplū cuiusdam Hubaldi, qui juraverat, se  
concubinam suam duceturum in uxorem; & propriam  
matrem cum fratribus e domo expulsurum, nec ullam  
eis alimoniam daturum. Cui suasum fuit, ut posterio-  
rem partem juramenti, utpote illicitam, non servaret,  
(cap. inter cætera, ibid.) Quintū: Exemplū mulie-  
rum, quæ juraverant, se permanuras in suo peccato, &  
libidinis infamia. Quibus responsum est ab Imperatore,  
tali juramento eas non obligari. (L. citata C. de nuptiis.)  
Et re&circ;: nemo enim obligatur ad peccatum.*

3. Est & alias causa, quo juramentum servari non  
debet, nempe, quando legibus, aut canonibus contra-  
rium est, L. Si quis inquilinos, ff. de Legatis, & fidei  
committis, s. finali: *Dixi Severus Antoninus rescripsi-  
runt, jusjurandum contra vim legum, & autoritatem  
juris in testamento scriptum, nullius esse momenti.* Et  
cap. Si diligenti, de foro competenti. Nec juramen-  
tum licet servari potuit, quod contra canonica statuta  
illicitis pactionibus informatur. Et ratio est, quia major  
est obligatio publicæ legis, quam privati juramenti:  
ergo, si privatum juramentum repugnat legi publicæ,  
huic tanquam fortiori insistendum est. Hoc sensu dicit  
Innocentius loco jam citato: *Pactione privatorum, juris  
publico minimè derogatur.* Et papinianus l. Jus publi-  
cum, ff. de pactis: *Jus publicum privatorum pactis mu-  
tari non potest.* Et regula juris est, l. Neque pignus  
ff. de diversis regulis juris: *Privatorum contentio juris  
publico non derogat.*

# C A P U T X X .

*An in aliquo casu liceat mentiri?*

1. **N**ostri Theologi distinguunt triplex mendacium: jocosum, officiosum, & perniciosum. *Jocosum* vocant, quod tantum joci, seu recreationis causa profertur. *Officium*: quod alicui prodest. *Perniciosum*: quod injuste nocet. Quod duplice fieri potest. *Primo*: Quatenus est injuriosum Deo, cuiusmodi est omne mendacium in rebus fidei, in Sacramento confessionis, & juramento. *Secundo*: Quatenus est injuriosum proximo, ut contingit in detractione, in falso testimonio, in contradictionibus.

2. Hoc posito, duo certa sunt. *Primo*: Omne mendacium esse peccatum ex prohibitione. *Drus* enim prohibet omne mendacium, *Levit.* 19. v. 11. & *Psal.* 5. v. 7. & *Sap.* 1. o. 12. & alibi. *Secundo*: Non solum ex prohibitione, sed etiam ex natura sua peccatum esse. Nam ex natura sua continet triplicem malitiam, seu deformitatem rectae rationi repugnantem; nempe, abusum sermonis, deceptionem proximi, & violationem amicitiae humanæ. Qui enim mentitur, primo quidem abutitur lingua, & sermone; quia usus linguae, ac sermonis ideo datus est homini ab authore naturæ, ut per illum manifestet proximo, quod in animo sentit. At contraria facit, qui mentitur. *Deinde*: decipit proximum, cui mentitur: ipse enim putat sentire illum in corde, quod ore loquitur. *Denique*: violat naturale jus amicitiae, quantum in se est; nam decipiendo proximum, dat illi occasionem renunciandi amicitiae. Vide *August.* in *Enchir.* cap. 22.

3. Idem confirmatur ex illo. 1. *Joan.* 2. v. 21. *Quoniam omne mendacium ex veritate non est.* Ex quo loco disputat *August.* libr. contra mendacium, cap. 18.

Qui docet aliquod mendacium esse licitum; vel verum docet, vel falsum. Si falsum, non est ei credendum. Si verum, jam aliquod mendacium ex veritate est, quod negat Apostolus. Et ibid. cap. 16. sic: Nemo discit à castitate, esse adulterandum: Nemo discit à benignitate, proximo esse nocendum: Ergo similiter nemo discit à veritate, esse mentiendum. Et concludit his verbis: *Si hoc non docet veritas, non est verum: si non est verum, non est discendum: si non est discendum, nunquam igitur est mentiendum.*

4. Eodem spectat, quod Christus asserit de Diabolo, Joan. S. v. 44. *Cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur, quia mendax est, & pater ejus.* Unde sic concludo: Id, cojus primus author est Diabolus, non potest esse, nisi malum: sicut è contrario, Deus est primus author omnis boni. At Diabolus est primus author mendacii, quia nemo docet, ipsum mentiri, sed ipse suò exemplò alios docuit in paradyso, cùm dixit, *Nequaquam moriemini.* Ergo mendacium non potest esse, nisi malum. Eleganter August. tract. 42. in Joan. *Quomodo DEUS Pater genuit Filium veritatem: sic Diabolus genuit quasi filium mendacium.*

5. Hinc sequitur contra Origenem, Cassianum, Priscillianistas, & nostri temporis Politicos, in nullo casu licitum esse mendacium; ne tunc quidem, quando mentiendo nemini obesses, & tamen alicui prodesse. Quod etiam docet Augustinus in Enchir. cap. 33. cùm ait: *Nec idè nullum mendacium putandum est, non esse peccatum: quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo, possumus enim & furando aliquando alicui prodesse, si pauper, cui palam datur, sentit commodum: & dides, cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec idè tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse: si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amundo moritura, & si vixerit, penitendo purganda. Nec idè peccatum negabitur tale adulterium. Si autem merito placet castitas, quid queso offendit Veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, & violetur ista mensa?*

mentiendo? Plura habet idem Augustin. in libro de mendacio cap. ultimo.

6. Et ratio est: quia quæ intrinsecè, & ex natura sua mala sunt, nunquam bene fieri possunt, etiam si ob bonum finem fiant: sed mendacium intrinsecè, & ex natura sua malum est, ut supra ostendi: ergo nunquam bene fieri potest, etiam si fiat ob bonum finem. Major patet: quia, quod intrinsecè, & ex natura sua malum est, hoc per nullam circumstantiam extrinsecam potest fieri bonum: nam circumstantiae extrinsecæ, & accidentales non mutant intrinsecam rei naturam, & essentiam. Rectè August. libr. contra mendacium cap. 7. Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, quo intentione quid fiat: sed ea, qua constat esse peccata, nullo bona causa obtenuit, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Eodem sensu dixit Apost. Rom. 3. v. 8. non esse facienda mala ut eveniant bona.

7. Ex dictis constat: duplicitia esse peccata, seu mala: Alia: Ex sola prohibitione Dei, vel Superioris: Alia: Intrinsecè, & ex natura sua, v. g. Comedere ex ligno scientiæ boni, & mali, vesci carnibus die Veneris contrahore clandestinum matrimonium, sunt quidem mala, non tamen ex natura sua, sed solum quia prohibita. Alioqui ex natura sua sunt indifferentia; & possunt bene fieri, si non prohibeantur. At furari, adulterari, mentiri, ex natura sua mala sunt, & nunquam bene fieri possunt.

## C A P U T X X I.

*An liceat uti æquivocatione.*

1. **S**ensus est, an liceat alios fallere, decipere, aut eludere per æquivocationes? Calvinistæ strenue utuntur hac arte, & quod ipsi faciunt, nobis per calumniam impingunt. Certè Theodorus Beza in hac palestra fuit exercitatus. Is anno 1556. scripsit


confessionem, in qua asseruit, corpus Christi verè, ac realiter esse præsens in cœna, atque ita secum sentire Helveticos, & Genevenses. Hoc ideo fecit, ut Lutheranos, qui idem docent, dolo ad Calvinismum pertraheret, quasi eadem esset Calvinistarum, & Lutheranorum sententia. Sed quid factum? Lutherani cœperunt triumphare de Zwinglianis, & proclamare ipsos, Beza teste, mutatæ sedam, & cum Lutherò sentire. Tum Helvetii, qui Zwinglio adhærebant, graviter in Bezam investi sunt, quod de mutata ipso-rum sententia falso id sparsisset. Beza ad Æquivocationis asylum confugiens, respondit: se quidem vera scripsisse, sed à Lutheranis male intellecta. Non enim se locutum esse de cœna Domini, quæ celebratur in terra (de qua tamen erat quæstio) sed de cœna, quæ celebratur in Cœlo, ubi Christus verè, & realiter præsens est. Refert hanc historiam Claudio Sancte in responsione ad Apologiam Bezæ, & Bellar. libr. 1. de Eucharistia cap. 2.

2. En specimèn Æquivocationis Calvinisticæ Quid agas cum hoc hominum genere? Nam artificiis eludunt omnia: Dicent: se credere, Pontificem esse Caput Ecclesiæ; sed occulte intelligent, non Pontificem Romanum, qui in terris est, sed Pontificem Christum, qui in cœlis est. Dicent: se heri non fuisse in cœna; sed intelligent cœnam cœlestem. Dicent: Ecclesiam errare non posse; sed intelligent Ecclesiam in cœlis triumphantem. Dicent: se jurasse Regi suo fidelitatem; sed intelligent Regem regum, & Domini- num dominantium. Et sic in allis.

3. Jam, quod deterius est, hanc labem consonantur ipsi nobis aspergere, quasi doceamus, licitum esse æquivocationibus uti. Non ita est. Docemus; in omni congressu, pactione, contractu sincerè, & sine fuso agendum esse. Unus casus est, de quo solet disputari. An icilicet reus, quando in judicio rogatur de cri-mine, possit negare, vel eludere. Utuntur autem Theologi nostri hac distinctione. Si Judex juridicè, id est, servato ordine juris interroget, reum teneri ad faten-

satendam veritatem, non autem teneti, si juridicè non procedatur (cap. Qualiter, & quando, & cap. Cùm oporteat, & cap. Inquisitionis, de accusationibus.) Ratio prioris est: quia quisque tenetur obedire Superiori legitimè præcipienti. Ratio posterioris: quia Judex non habet jus interrogandi, nisi servato ordine juris. Si ergo non servat illum ordinem, non potest reo ullam obligationem imponere ad crimen aperendum; cùm jus non concedat illi hanc potestatem: sensetur autem non servare ordinem juris, quando interrogat de occulto crimen, de quo neque est fama contra reum, neque indicia competentia, neque semplena probatio.

4. Quid ergo faciet reus in tali casu, quo non tenetur fateri crimen à se perpetratum? Respondet D. Thomas in 2. 2. quæst. 29. art. 1. posse eum vel per appellationem, vel alio modo licet subterfugere, sed sine mendacio. Sed quid, si apertè neget, se crimen perpetrasse, eritne mendax? Multi putant non fore, quamdiu crimen occultum est. Nam Judex non presumitur interrogare nisi de crimen, quod aliquo modo in publicam notitiam deductum est. Si ergo reus neget, tale crimen à se perpetratum, non mentionatur, si adhuc crimen occultum est. Nulla hic æquivocatio Calvinistica.



## C A P U T XXII.

*An Duelum sit licitum.*

I. **D**uelum est singulare doctrum certamen ex pacto, seu condicto initum. Monomachiam vocant. Quæritur, quando licitum, & quando illicitum sit? Et quæ sint pœnæ illiciti duelli.

## CONCLUSIO I.

**D**uellum in tribus casibus licitum est. *Primum*: Quando necessarium est ad evitandam injuriam mortem, certò aliequi imminentem. Ita Valentia *tom. 3. quæst. 17. pand. 1.* cum Navarro, & Cajetano. Ratio est: quia semper licitum est subire minus malum, & exponere se periculo mortis per duellum, quam incurrire certam mortem per injuriam occisionem. *Secundum*: Licitum est, quando Princeps, qui justum bellum gerit, videt se imparem esse, ac probabiliter timet succumbere, nisi bellum mutet in duellum. Ita Sanchius *lib. 2. cap. 29. n. 16.* & alii ab eo citati. Ratio est: quia in tali casu cessat malitia duelli, qua in eo consistit, quod uterque, inter quos duellum est, conjiciat se in periculum mortis sine sufficienti causa, at hoc non sit in proposito respectu illius, qui gerit justum bellum. Tamen etiā conjiciat se in periculum mortis, hac tamen facit ex sufficientissima causa; quia per periculum privatæ mortis, vult totum exercitum liberare à majori periculo publicæ cladi, ac internacionis. Nam majus periculum est, quando debilior exercitus confligit cum fortiori in bello, quam quando per pugnat cum pari in duello. *Tertium*: Licitum est, quando miles nostræ partis in bello justo provocat militem alterius partis, eo animo, ut, si alter recusat, nostri milites fiant alaciores ad bellum. Tunc enim suscipitur duellum ad justum bellum promovendum. Item, quando miles contrarie partis provocat nostrum militem, sicut Goliat provocavit unum ex Hebreis. Tunc noster, qui istam causam fovet, potest acceptare duellum eo animo, ut ostendat nostros milites non timere hostem, sed paratos esse ad certamen, quandocunque hosti visum est. Hoc etiam prodest ad promovendum bellum, & ad hostem deterrendum. Hi casus ad duos generales revocari possunt. *Unus* est: quando quis videt se injustè occidendum, nisi acceptet duellum. *Alter:* Quando bonum commune id postulat. Vide *Toletum* *libr. 5. Instit. Sacer. cap. 6. circa finem.*

CON-

## CONCLUSIO II.

**D**uellum non est licitum in his casibus. *Primi*: Quando suscipitur ad ostentationem virium, vel oblecationem spectantium. (cap. 1. de Torneamentis.) *Ratio*: quia sultum ac temerarium est, exponere se periculo vitæ præsentis, ac futuræ, pro inani ostentatione, vel oblecatione. *Secundi*: Quando suscipitur ad vindicandam injuriam. (Valentia quæst. 17. p. 1.) *Ratio*: quia privata persona non potest vindicare injuriam sibi factam. Matth. 5. v. 39. & cap. 26. v. 52. & Rom. 12. v. 12. Publica potest quidem, sed per viam juris, aut belli vindicativi; nisi forte necesse sit, bellum tetolvere in duellum. (Suprà f. 2.) *Tertii*: Quando suscipitur ad indagandam veritatem, & justitiam alterius partis. (cap. Monomachiam, 2. q. 5. & cap. Significantibus, de purgatione Igari.) *Ratio*, quia duellum, quod suscipitur ad te monium veritatis, vel proprii juris, ac innocentia ex se fallax est: quia sœpè contingit, innocentem in duello succumbere. (cap. Significantibus, citato.) *Quarti*: Quando suscipitur ad defensionem proprii honoris, ne laedatur (Cajetanus, Sotus, Navarrus, Valentia, & alii apud Sanchium num. 9.) *Ratio*, quia quando agitur de vero honore, & ignominia, non oportet spectare, quid dicant homines improbi, & mundani; sed quid probi, & sapientes. Mundani putant, viro nobili ignominiosum esse reculare oblatum duellum, scortationem, potionem, & similia, quibus improbi delectantur. Sapientes è contrario censent, honoris eum esse, respovere, quidquid divinæ legi adversatur. *Quinti*: Quando suscipitur ad defensionem bonorum temporalium. (ex communi sententia.) *Ratio*, quia sunt alia duo media aptiora ad hunc finem. *Unum*: Per simplicem defensionem extra duellum. Possum enim, non ex pacto, ut in duello sit, sed ex bona occasione, si offertur, invasorem repellere, & si necesse sit, interficere, ut res meas mihi conservem; præfertim si sint magni pretii. *Alterum*:

Per viam juris; quia si simplici defensioni non esset locus ob periculum propriæ vitæ (ut si Invasor esset fortior, quam ego) possum illum accusare de injuria, & per sententiam Judicis compellere ad restitutionem. Ex his duobus mediis alterum potest eligi; nam si advertam me fortiorum esse Invasorem; possum vi illum repellere: Sin minus, ad sententiam Judicis recurrentum est. Utrobique cessat periculum propriæ vitæ. At in duello tam mea, quam Invasoris vita, periculo exposita est.

## CONCLUSIO III.

4. **A**ntiquo jure, pœna suspensionis statuta est in Clericos duellum exercentes, sive ipsi duellum obtulerint, sive acceptaverint. (*cap. I. de Clericis pugnantibus in duello.*) Novo jure variæ pœnæ constitutæ sunt, tum à Concilio Trid. *Seff. 25. cap. 19. de Reformatione,* tum à tribus Pontificibus, Pio IV. Gregorio XIII. & Clemente VIII. Quas copiosè persecutus Sanchius *lib. 2. cap. 39. num. 18.* Summa earum est hæc: *Primo:* Excommunicantur omnes, qui duellum exercent. Excommunicantur Imperatores, Reges, Principes, qui concedunt locum pro duello. *Secundo:* Excommunicantur omnes, qui præbent consilium, favorem, auxilium ad duellum, & qui præsentes adstant, vel intersunt. *Tertio:* Mortientes in duello privantur sepulturæ Ecclesiasticæ. Denique Clerici præter excommunicationem privantur etiam dignitatibus, beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, si aliquo modo ad duellum cooperentur.

F I N I S.



Per viam juris; quia si simplici defensioni non esset locus ob periculum propriæ vitæ (ut si Invasor esset fortior, quam ego) possum illum accusare de injuria, & per sententiam Judicis compellere ad restitutionem. Ex his duobus mediis alterum potest eligi; nam si advertam me fortiorem esse Invasore; possum vi illum repellere: Sin minus, ad sententiam Judicis recurrentum est. Utrobique cessat periculum propriæ vitæ. At in duello tam mea, quam Invasoris vita, periculo exposita est.

## CONCLUSIO III.

4. **A**ntiquo jure, pœna suspensionis statuta est in Clericos duellum exercentes, sive ipsi duellum obtulerint, sive acceptaverint. (*cap. I. de Clericis pugnantibus in duello.*) Novo jure variæ pœnæ constitutæ sunt, tum à Concilio Trid. *Seſſ. 25. cap. 19. de Reformatione,* tum à tribus Pontificibus, Pio IV. Gregorio XIII. & Clemente VIII. Quas copiosè persequitur Sanchius *lib. 2. cap. 39. num. 18.* Summa earum est hæc: *Primo:* Excommunicantur omnes, qui duellum exercent. Excommunicantur Imperatores, Reges, Principes, qui concedunt locum pro duello. *Secundo:* Excommunicantur omnes, qui præbent consilium, favorem, auxilium ad duellum, & qui præsentes adstant, vel intersunt. *Tertio:* Mortientes in duello privantur sepulturæ Ecclesiasticæ. Denique Clerici præter excommunicationem privantur etiam dignitatibus, beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, si aliquo modo ad duellum cooperentur.

F I N I S.



INDEX RERUM.

A.

<b>A</b> ltaria sunt triplicia.	Pag. 150
Allegoricus, & Anagogicus sensus Sacrae Scripturæ quis sit.	12
Anabaptistæ quotuplices, & eorum dogmata.	261
Animæ justorum post hanc vitam non dormiunt.	271
Antichristus quis dicatur. Ies. non est Papa.	159
Nec ei notæ Antichristi convenient. <i>ibid.</i>	
Apostoli servarunt perpetuam continentiam.	194
Æquivocationes an sint licitæ?	307

B.

<b>B</b> aptismus quomodo ex Scriptura probandus.	38.
Forma verborum ex Traditione habetur & <i>ibidem</i> .	
An repeti possit. 142. Ejusdem Cæremoniæ ex Traditione habentur.	38
Bellum Christianis esse licitum.	265
Bona opera sunt meritoria vitæ æternæ.	216
Objectiones solvuntur.	<i>ibid.</i>

C.

<b>C</b> alvinistæ non habent veram Scripturam. 25. Non possunt ex Scriptura disputare. 29. Nihil credendum ajunt, aut faciendum, quam quod in Scriptura præcipitur. 43. Ecclesiam periisse dicunt. 71. Doubii sunt de Fide. 95. Calviniani Ministri non sunt legitime vocati. 190. Sunt servi inutiles. 218. Varia ipsorum nomina. 233. De infantibus quid sentiant. 253. Æquivocationibus utuntur. 309. Fraudulentia eorum. <i>ibid.</i>	
Calvinistarum Atheismi quinque de Deo. 233. De Christo errores, & blasphemiae. 227. Calvini error de prædestinatione.	249

# INDEX

<b>Canon 3. Scripturæ quid significet?</b>	<b>3.</b>	<b>Canonici 3.</b>
Scripturæ libri qui?	4	
<b>Caput duobus modis accipitur.</b>	<b>97</b>	
<b>Caput Ecclesiæ visibile, ac invisibile fuit Christus.</b>	<b>98</b>	
Nunc est invisibile. 99. S. Petrus fuit Caput.	104	
<b>Catholici sunt securi, &amp; circa fidem errare non possunt.</b>	<b>94</b>	
<b>Catholicus Princeps possitne tolerare hæreticos?</b>	<b>295.</b>	
Casus duo, quibus possit. 296. Quomodo non possit?	297.	Quomodo non possit?
Possitne pacisci se permissum Hæreticos?	ibid.	
<b>Christos Caput est Ecclesia.</b>	<b>97.</b>	
Non est purus homo. 140. Ejusdem est substantia cum Patre.	ibid.	
Una persona, & dux naturæ in eo. 141. Pro omnibus		
est mortuus. 238. In cruce non desperavit. 239.		
Non perpessus pœnas omnes damnatorum in anima.		
240. Passione sua sibi meruit aliquid. 242. Me-		
diator fuit solum secundum humanitatem. 243. Ab		
initio non ignoravit aliqua.	ibid.	secundum hu-
manitatem non est ubique.		manitatem non est ubique.
<b>Christiani in assertionibus fidei Romano Pontifici adha-</b>		
<b>rere debent.</b>	<b>112</b>	
<b>Circulus Calvinisticus quis.</b>	<b>258</b>	
<b>Circumcisionis Controversia tempore Apostolorum</b>		
quomodo decisæ sit?	137	
<b>Cœlibes fuerunt Apostoli.</b>	<b>194</b>	
<b>Communio sub utraque specie non est præcepta.</b>	<b>171.</b>	
sub una licite usurpatur. 172. Non est relata per		
modum hæreditatis.	ibid.	
Laici totum Christum sub		
una specie accipiunt. 174. Objectiones solvuntur.	ib.	
<b>Concilium Iudeorū duplex, eorumque discrimina.</b>	<b>135.</b>	
Concilia variæ controversias fidei decideruat.	140	
<b>Conciones Hæreticorum an audiendas.</b>	<b>282</b>	
<b>Consecratio Pontificis. V. Test.</b>	<b>157</b>	
<b>Contradictiones apparentes S. Scripturæ.</b>	<b>47</b>	
<b>Controversiarum norma, &amp; Judex.</b>	<b>119</b>	
<b>Controversiae, de quibus in Scriptura nulla mentio fit.</b>		
132. In vet. Testam. à quibus decisæ. 135. Infal-		
libilis fuit Judex. 136. De Circumcisione Apostoli		
definierunt. 137. Variæ controversiae à Conciliis		
decisæ.	142	

## D.

- D**æmon quomodo habeat potestatem in non baptizatos? 256  
**D**ecalogi lex servari potest cum auxilio Divinæ gratiæ. 213. Obligat justum. 214  
**D**ecreta Ecclesiæ Pontifice consentiente statuuntur. 112  
**D**eus essentialiter, & simpliciter est infinitus. 234.  
 \*Ubique præfens in hoc mundo 235. Non habet accidentia realiter distincta à sua substantia. ibid.  
**D**ecreta ejus sunt ab æterno. 236. Æternitas ejus est indivisibilis tota simul. 237  
**D**isputare ne liceat cum Hæreticis de Fide. 287  
**D**issimulare quomodo licitum fidem? 279  
**D**octores Ecclesiæ, in quo sensu Scripturæ excellant? 14  
**D**uellum quando licitum? 309. Pœnæ quæ? 312

## E.

- E**cclæsia Christi in terris est visibilis. 58. Cadit partim sub externos oculos, partim sub internam fidem. 60. Comparatur Reipublicæ. 61. Est Una, Sancta, Catholica, Apostolica. 63. & seq. Sponsa Christi. 66. Domus Dei, Columna veritatis. 67. 68. Extra eam nemo potest salvati. ibid. Non potest tota deficere, aut errare in fide. 70. & seq. Authoritas ejus magna est. 77. judicium ejus tutò sequimur. ibid. Tempore Antichristi pars deficiet. 83. Non est similis Luna in defectione. 85. sed aliis. 86. Non est alia, quam Romana. 87. Non fuit in solis infantibus. 88. Nec in uno alteroye cordato viro. 89. Caput quod? 97. S. Petro commendata est singulari modo. 104. Est Judex Controversiarum. 119

- E**piscopi totius orbis ad Rom. Pontificem confugiunt. 112  
**E**ucharistiae figuræ. 177. Christos in ea verè præfens. 230. Non per Ubiquitatem, ibid. Nec per unionem. 231. Sed per transubstantiationem. ibid. & seq.  
**E**xorcismus quid, & quæduplex? 256. Usurpandus, ibid. ex Traditione. 39

## INDEX

## F.

**F**ides sola non justificat. 206. fides justificans in ea non consistit, ut aliquis credat peccata sibi esse remissa. 209. Non differt à fide historica, & miraculorum. ibid. Non datur solis Prædestinatis. 210. Potest amitti. ibid. Non facit hominem certum de sua justitia. ibid. An quilibet possit salvare in sua fide? 274. Fides non est neganda ad vitamandam mortem. 277. fides an Hæreticis servanda? 290. Figuræ Sacrae Scripturæ difficultates pariunt. 28

## G.

**G**ratiae actualis duplex officium. 251. voluntas ei cooperatur. 250. In potestate Voluntatis est, ei consentire, aut refragari. ibid.

## H.

**H**æretici expungunt libros à S. Scripturæ, Canone. 5 Non habent veram S. Scripturam. 25. Non possunt ex scriptura disputare. 29. male re jiciunt Traditiones. 41. Nemo tutus esse potest de sua fide. 94. False accusant Catholicos de Communione sub una specie. 171. Negant liberum arbitrium. 199. Eorum justificatio qualis? 201. Doctrina de fide justificante. 206. Quomodo pacem publicam turbent. 292. An à Catholico Principe tolerandi? 295. An cum iis orandum publicè? 282. Conclaves non audiendæ. ibid. Sacramenta an participanda? 283. An Matrimonia cum ipsis ineunda? 284. An ad sepulturam comitandi? 285. Libri hæreticorum an & quando legendi? 286. An de fide cum ipsis disputationum? 287. An cum ipsis liceat pacisci? 289. An fides servanda? 290. Possuntne puniri propter hæretism? 291

Hæretis potest puniri pœnâ Capitis. 292

## I.

**I**Dola colere per simulationem non licet. 280  
Jejunia Ecclesiæ Catholicæ. 219

Imago

# R E R U M.

<b>Imago Christi tripliciter spectatur.</b>	<b>245.</b>	<b>Colenda.</b>	<b>246</b>
<b>Infantes contrahunt peccatum originale.</b>	<b>262.</b>	<b>Capaces</b>	
<b>sunt Baptismi.</b>	<b>263.</b>	<b>Non nascuntur sancti.</b>	<b>253.</b>
<b>Nec illegitimi obnoxii sunt aeternæ damnationi,</b>		<b>ideo.</b>	
<b>que a Baptismo rejiciendi.</b>	<b>255.</b>	<b>Non habent actualem</b>	
<b>fidem,</b>		<b>qua credunt in Christum.</b>	<b>228.</b>
<b>In Baptismo</b>		<b>In Baptismo</b>	
<b>quomodo justificantur,</b>		<b>actu credant.</b>	<b>ibid.</b>
<b>Infantes soli nunquam in Ecclesia fuerunt.</b>	<b>288.</b>	<b>Eos</b>	
<b>esse baptizandos ex traditione habetur.</b>	<b>388</b>		
<b>Interpretari S. Scripturam non est cujuslibet.</b>	<b>24</b>		
<b>Invocatio Sanctorum pia est,</b>		<b>&amp; utilis.</b>	<b>162</b>
<b>Solvuntur argumenta contraria.</b>			<b>ibid.</b>
<b>Judex controversiarum fidei qualis esse debeat?</b>	<b>119.</b>	<b>&amp;</b>	
<b>seq: Non scriptura.</b>	<b>122.</b>	<b>Quomodo sit infallibilis?</b>	
<b>152.</b>		<b>Analogia cum civili.</b>	<b>144</b>
<b>Judæi non possunt tolerari.</b>	<b>300.</b>	<b>Usuræ.</b>	<b>ibid.</b>
<b>Odium in Christianos.</b>	<b>ibid.</b>	<b>Obsunt Reipub.</b>	
<b>tolerandi, expellendi?</b>		<b>Quomodo to-</b>	
<b>Judæi duplex Concilium habuere.</b>	<b>135</b>	<b>lerandi,</b>	
<b>Jurans se mansurum in heresi, an teneatur?</b>	<b>303</b>	<b>expellendi?</b>	<b>ibid. &amp; seq.</b>
<b>Juramenta de re illicita non obligant.</b>			<b>ibid.</b>
<b>Juramentum quid, &amp; quotuplex?</b>	<b>267.</b>	<b>Licitem est</b>	
<b>Christianis.</b>		<b>Christianis.</b>	<b>268</b>
<b>Justificatio quid, quomodo fiat?</b>	<b>201.</b>	<b>Tollit peccatum,</b>	
<b>non tegit.</b>	<b>202.</b>	<b>Infundit gratiam inherentem.</b>	<b>204</b>

## L

<b>L</b> aicis non licet disputare de fide.	<b>287.</b>	<b>Lapsos post</b>	
<b>Baptismum Ecclesia absolvit.</b>		<b>140</b>	
<b>Leges Ecclesiasticae sanciuntur a Pontifice.</b>			<b>113</b>
<b>Legem homo non potest implere sine gratia Dei.</b>	<b>211</b>		
<b>Lex scripta non est Judex, nec sola est norma.</b>	<b>145</b>		
<b>Liberum arbitrium quid.</b>	<b>199.</b>	<b>Fjus usus in quibus</b>	
<b>actionibus.</b>		<b>200</b>	
<b>Libri heretici, an, &amp; quando legendi?</b>			<b>286</b>
<b>Literalis sensus S. Scripturæ quis?</b>	<b>11.</b>	<b>Est obscurus.</b>	<b>14</b>
<b>Lutherani non habent veram Scripturam.</b>	<b>25.</b>	<b>Non</b>	
<b>possunt ex Scriptura disputare.</b>	<b>29.</b>	<b>Ineptè disputant.</b>	
<b>30.</b>		<b>Agnoscunt aliquas Traditiones.</b>	<b>44.</b>
<b>periisse dicunt.</b>	<b>73.</b>	<b>Ecclesiastici</b>	
<b>Dubii sunt fidei.</b>		<b>95</b>	

# INDEX

- Lutherani Ministri non sunt legitime vocati. 190.  
 Sunt servi inutiles 218. Christum ubique esse docent secundum humanitatem. 221

## M.

- M**agistratus civilis Judex est in Controversiis Civilibus. 144  
**M**agistratus Politicus est licitus Christianis. 264  
**B.** Mariam Virginem post partum mansisse Virginem ex Traditione habetur. 38  
**M**artinus Lutherus non fuit ordinariè vocatus. 194.  
 Nec extraordinariè, ibid. Nova dogmata ipsius grata carni. ibid.  
**M**atrimonium non potest dissolvi apud Christianos propter hæresim. 270  
**M**atrimonia an cum hæreticis ineunda? 284  
**M**endacium triplex. 305. Omne mendacium est peccatum. ibid.  
**M**entiri num aliquando liceat? 306  
**M**oralis sensus sacræ Scripturæ quis sit i 13  
**M**ysticus quis sit? 12. Dividitur in Anagogicum, Allegoricum, & Tropologicum. ibid.

## N.

- N**egans se Lutheranum, aut Calvinistam, cùm sit, quomodo peccet? 277

## O.

- O**bscuritas sacræ Scripturæ. 14. Oritur ex duplice capite. 17. Aliæ causæ obscuritatis. 22. Cur Deus obscuram voluit esse? ibid. Laudatur ab obscuritate, non arguitur. 23  
**O**pera bona sunt meritoria vitæ æternæ. 215. Objectiones solvuntur. 216  
**O**rare pro Hæreticis publicè quomodo licitum? 282

## P.

- P**aciscine liceat cum Hæreticis. 289  
**P**apa non est Anti-Christus. 159. Notæ Anti-Christi illi non convenient. 160  
*Pascha*

# RERUM.

Pascha die Dominica celebrandum.	140
S. Paulus cur S. Petrus restiterit? 109. S. Petrus fuit Caput Ecclesiae. 104. Prærogativa S. Petri. ibid. Objectiones contra ejus Primatum solvuntur. 106	106
Personæ divinæ realiter distinctæ.	140
Peccarum originale quid sit? 196. Quotuplex peccatum. ibid. Veniale quid & quotuplex? 197. Non omnia peccata sunt æqualia, aut mortalia. ibidem. Comparatur maculis, vinculis, vulneribus.	202
Peccatum Originale per Baptismum aboletur.	142
Politici reperiuntur ubique. 273. Docens quemlibet salvati in sua fide.	ibid.
Polygamia illicita est Christianis.	269
Pontifex Caput Ecclesiae visibile. 98. 111. Privilegia Pontificis. 112. Primatus ejus defenditur. 113. & seq.	
Pontificis veteris Testamenti consecratio, & officia. 135	
Præcepta X. possunt servari.	211. & seq.
Prædestinatōrum argumentatio.	248
Purgatorium esse probatur. 183. & seq. Objectiones contra Purgatorium dissolvuntur.	186

## R.

Reges non habent Primatum Ecclesiae.	302
--------------------------------------	-----

## S.

Sacerdotum Vocatio ordinaria. 189. Extraordina- ria.	190
Sacerdotes in Ecclesia occidentali semper fuere cœli- bes.	194
Sacramenta vetera, & nova. 165. Quid sit Sacra- mentum?	166
Sacramentorum causæ. 167. Non sunt instituta, ut excident fidem, 168. Sed ut conferant gratiam. ibid. Septem sunt.	169
Sacramentorum numerus ex scriptura non potest ha- beri. ibid. Sed ex Traditione.	ibid.
Sacramenta cum Hæreticis an participanda?	283
Sacrificium quid, & quotuplex? 178. Missa verè est Sacrificium. ibid. & seq. Objectiones solvuntur. 181	
Salvati nemo potest extra Ecclesiam.	68

# INDEX RERUM.

Salvarine possit quilibet in sua Fide?	273
Sanctos licet invocare, 162. Utile est. Objectiones solvuntur.	ibid.
Sancti in Cælo siont res nostras.	163
Sacra Scriptura tria habet, Canonem, Versionem, Sensem. i Versio Sacrae Scripturæ antiqua, 9. Versiones Hæreticorum, ibid. Sensus Sacrae Scripturæ quadruplex, 13. Obscura est, 14. Sine peculiari DEI illustratione non intelligitur, 16. Obscuritas oritur ex duplice capite, 17. Res Sacrae Scripturæ quadruplices, ibid. Interpres ejus quis, 24. Est esse insufficientem sine Traditionibus, 45. Scriptura cum Traditione est norma Controversiarum, 119. Non est Judex secundum Literam, 123. Nec secundum sensum, 126. Claritas ejus unde pendat? 128. Sensus ex Traditione sepe petendus, 129.	
Sensus literalis Sacrae Scripturæ quis? 11. Mysticus quis? 12	
Sepultura hæreticorum an frequentanda?	285
Servus inutilis quis?	219
Simulare alienam fidem an liceat?	279
Spiritus Sanctus est DEUS.	141
Symbolum fidei esse Apostolicum ex Traditione habetur.	37
Synagoga Judæorum non fuit Catholica.	64
Synagoga non deficit totu à fide, 80. Tempore Christi defecit.	81

## T.

Traditiones veteris Testamenti Pharisaicæ, 31. Mosaicæ, ibid.	
Traditiones Apostolicæ, eandem cum Scriptura habent autoritatem, 34. Sunt de dogmatibus fidei, & de ritibus externis, ibid. Enumerantur, 36. Ecclesiastica servandæ, 40. Male rejiciuntur ab Hæreticis, ibid. Non meremur per eas justificationem, & remissionem peccatorum, 45. Non omnes sunt Apostolicæ, 46. Objectiones contra Traditiones solvantur.	47

## U.

Ubiquitas Lutherorum refellitur.	222
Versiones Sacrae Scripturæ bonæ, malæ, 9. Catholicorum una, & eadem, Hæreticorum varia.	10
Vocatio Ministrorum duplex, 187. Veteris Testamenti, ibid.	
Novi Testamenti, 189. Quoque in vocatione spectanda.	187
Usus Judæorum quomodo tolerandæ?	300

## Z.

Zizania in Evangelio quid significant?	894
----------------------------------------	-----

Finis Indicis.



